Yz. 2060.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRINCIPIA THEOLOGIÆ MYSTICÆ

AD

RENOVATIONEM INTERIOREM,

ET

SANCTIFICATIONEM CHRISTIANI HOMINIS.

AUCTORE

P. MARTINO GERBERT,

Monacho O. S. B. e Congr. D. Blasii in Silva nigra,

Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,

S. Q. R. I. Princ. & Episcopi Constant. &c. &c.

Theologo.

PERMISSU SUPERIORUM.

TYPIS PRINC. MONAST. S. BLASII 1758.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google



PRÆFATIO.

INfamatum eſt theologiæ myſticæ nomen, ob ingentes quas perpeſſa eſt corruptiones, & tulit aberrationes a ſacerrimo ſcopo interioris vitæ, renovationis & ſanctificationis, ad quam ducere debuerat. Quemadmodum enim peccata, & vitia, quo ſanctioribus legibus & præceptis contraveniunt, eo graviora ſunt; ita rerum ſacratiſſimarum deterrimos eſſe contingit abuſus, & ſacrilegia.

Sed enim multos ipſa nominis origo offendit ab ethnicis Platonicisque initiationibus deſumta, & in Græcorum Eleuſiniis ſacris uſurpata. Quæ ipſa tamen ſi illis rebus conſtitiſſent, quas CICERO *Lib. II. de legibus* deſignat, non eſſet, cur propudioſa haberentur: *Multa*, inquit, *eximia, divinaque videntur Athe-*

Digitized by Google

mæ tuæ peperiſſe, atque in vitam hominum attuliſſe, tum nihil melius illis myſteriis, quibus ex agreſti immanique vita exculti ad humanitatem mitigati ſumus; initiaque ut appellantur; ita revera principia vitæ cognovimus: neque ſolum cum lætitia vivendi rationem accepimus, ſed etiam cum ſpe meliore moriendi. Hæc nemo chriſtianus melius exprimere potuiſſet, ſed ſolum CHRISTI evangelium præſtat, & gratia: qua natura noſtra, inſita vitioſitate depreſſa, emergit, atque ex immani vita exculti ad eam mitigamur humanitatem ſanctitatemque, ad quam, primigenia imagine DEI in nobis reſplendeſcente, formati ſumus; ab ea autem deſciſcentes reformamur in novitate ſenſus noſtri, ut apoſtolus nobis acclamat Rom. XII. 2. *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut probetis, quæ ſit voluntas DEI bona, & beneplacens & perfecta.* Ita revera, ut mea faciam laudata CICERONIS verba, principia vitæ cognovimus: neque ſolum cum lætitia vivendi rationem accepimus, ſed etiam cum ſpe meliore moriendi. Solis hæc chriſtianis comperta ſunt, a DEO revelata. Unde, in quem finem conditi ſimus, intelligimus, & qua ad eum pertingere poſſimus ratione, animam nacti immortalem, ad vitam deſtinati æternam.

Animæ equidem immortalitatem hanc etiam ratione perſpicimus; ſed quomodo poſt hanc mortalem vitam perennatura ſit, qualis nos in alte-

altera vita æterna maneat felicitas, & quomodo ea proſequenda ſit in hac vita, ignotum nobis eſt, niſi DEO revelante. Naturæ labem omnes perſentiſcunt & depravationem; ſed originem mali, & medelam ſola nobis pandit religio in CHRISTO, fide & ſpe initiata, ac charitate perfecta.

Hæc ſunt THEOLOGIÆ MYSTICÆ CHRISTIANÆ, quæ nobis præ manibus eſt, PRINCIPIA, nihil novi aut paradoxi complexa, contenta tractatibus illis, qui apud theologos in ſcholis obtinent: quos theologiæ myſticæ haud ignari dudum perſpexerunt, genuinam conſtituere theologiam myſticam: ut naturæ noſtræ cognita pravitate, neceſſitateque, & natura gratiæ, per fidem DEUM cognoſcamus, per ſpem autem erigamur, ut ei per charitatem uniamur.

Non igitur in otioſa ſpeculatione, aut evanida pſeudo-myſticorum contemplatione hæc conſiſtunt; ſed in operoſa aſceſi, qua naturæ noſtræ vitia corrigantur, opitulanteque divina gratia in vita noſtra rite dirigamur, renovemur ſpiritu mentis noſtræ, ac induamus novum hominem, qui ſecundum DEUM creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. *Eph. IV.* 23. 24.

Digitized by Google

Hoc ſemper debuit eſſe ſtudium omnium eorum, qui per fidem in CHRISTUM ſpem priſtinæ ſalutis conceperunt, DEO per charitatem adhærendo: nec eſt nova hæc theologia, etſi novo nomine myſtica ſit dicta, a quo tempore theologia chriſtiana in ſyſtema redigi cœpit: quale cum nobis propoſitum ſit, hanc ſingularem partem ita diſtinguere, & ſeorſim tractare viſum eſt, ut tamen tritis theologiæ in ſcholis uſitatæ veſtigiis inſiſteremus, juxta conſuetos tractatus de natura, & gratia, virturibusque theologicis: cum alias triplex ſoleat diſtingui apud theologos myſticos via purgativa, illuminativa, & unitiva: recte id quidem, ſed quod multis occaſio erroris fuit, qui pſeudomyſticorum nomine infames ſunt: dum nimium ſibi ac humanæ naturæ tribuunt, exiſtimantque ſeſe gradu illo conditioneque eluctatos eſſe, quo, dum in hoc mortali corpore, & rebelli carne degimus, continuo nobis certamen eſt, & cum peccato pravisque habitibus colluctatio in pugna ſpirituali; viamque purgativam nunquam emetimur penitus & excedimus.

Quare primum id nobis agendum duximus, ut naturæ noſtræ ex peccato originali corruptionem explicaremus, & jugem gratiæ neceſſitatem in omni vita & actionibus noſtris ac ſtudiis demonſtraremus, ne quis nimium ſibi tribuens ac elatus a DEO deſeratur. Sed longe deterrimus eſt,

Digitized by Google

eſt, qui Molinoso tribuitur, error: quo natura ſibi relinquitur & operationibus ejus frena laxantur, ſtatu quodam indifferentiæ: dum ſuperior homo, in falſiſſime ſibi perſuaſo ſtatu unionis & reſignationis conſtitutus, nihil, quid cum inferiore homine ac carne accidat, curat; aut prætenſo amore puriſſimo, quidquid ſpem lactare poſſit, aut deterrere, abjiciendo, cœno voluptatum volutatur.

Quid jam iſti digne de gratia ac interiore reformatione hominis ſentire queant? Gratia inquam operatrice facultatum & actionum omnium moderatrice. In ſua quiete myſtica & inertia, fide dæmoniorum, operibus vacua? Si tamen fides dici poteſt caligo illa ſeu ignorantia myſticorum contemplantium & nihil attingentium.

A qua contemplatione audent etiam CHRISTUM in carne excludere, imo DEUM ipſum & ſanctiſſimam Trinitatem; & tamen toti ſpirituales & deifici eſſe videntur: qui eſt apex pſeudo-myſticiſmi deificatio hominis, oſculum, ut vocant, ſeu unio cum DEO, quo anima myſtici in ſuam originem divinam tranſeat, & perfectionem primævam non imaginis tantum divinæ ſed divinitatis ipſius attingat. Et talem ſtatum, qui humanam capacitatem infinitis intervallis excedit, in hac etiamnum vita admittunt. Hinc ſabbatum illud, ſeu quies vitæ contempla-

tivæ myſticorum ac terminus, dum adhuc ſumus in via, qua ad patriam tendimus, ubi manet fides, ſpes, & charitas.

Illi vero, qui puriores & ſubtiliores ſunt myſtici, ſpem ſaltem abjiciunt amore ſuo puriſſimo ac inintereſſato, in quo perfectionem hujus vitæ conſtituunt, ſtatum viæ cum ſtatu patriæ etiam quodammodo confundentes. Sacrificio ſpirituali, actuque reſignationis plenæ, deſideria ad patriam (ſecundum divinas promiſſiones obtinendam in cœlis) & ſpem excludunt, perinde habentes, & indifferentes ad damnationem vel gloriam vitamque beatam in cœlis. Ubi quidem amor DEI puriſſimus erit, ſed ſenſus tamen etiam & apprehenſio propriæ felicitatis, quam non facilius quis, quam ipſam naturam humanam deponere poteſt. Pſeudo-myſtici autem non ſolum in patria, ſed in hac etiamnum vita deponi poſſe, & in ſtatu perfectionis revera deponi, & abjici debere contendunt.

Hæ aliæque immanes aberrationes pſeudomyſticorum ſunt, quæ philoſophiæ ac naturæ ipſi non ſolum ſanæ theologiæ repugnant, cujus principia hic ſiſtimus, ad veram theologiam myſticam cum aſceſi chriſtiana conjunctam, ceu neceſſariam ad theologiam moralem præparationem.

Quod

Quod nec in vulgari theologia ſcholaſtica ſatis ſpectatum eſt, aut in vita chriſtiana. Dum fere ad clauſtra relegata eſt aſceſis, & minor, quam neceſſe ſit, in hoc miſero naturæ lapſæ ſtatu, attentio ad interiorem multiformis gratiæ aſpirationem operationemque eſt allata. Unde tamen totius vitæ chriſtianæ vigor, & ἄσκησις ſeu exercitatio pietatis ad finem vitæ æternæ unice dependet, ſecundum evangelium ac legem gratiæ.

Pſeudo-myſtices autem certum eſt hunc eſſe palmarem errorem, & deteriorem conditionem, ipſa μυήσει, ac τελεταὶς ſeu initiationibus Athenarum, prout eas ex CICERONE deſcripſimus, ad principia vitæ rationemque vivendi pertinentibus. Quomodo etiam APULEJUS *Afer* in libro de habitu doctrinæ Platonicæ ſapientiæ finem deſcripſit, *ut ad DEI meritum ſapiens provehatur, hancque futuram ejus operam, ut æmulatione vitæ ad deorum actus accedat.*

Hoc eſt, quod veteres ſancti patres, imprimis S. CLEMENS *Alexandrinus*, ſpectarunt; donec praxis a theoria diſtingui cœpit, & aſcetica a myſtica eſt ſeparata theologia, & ſeorſim tractata, primum a DIONYSIO, quem *Areopagitam* dicunt; ſed minus adhuc nocue, ut poſtea, dum ſuccubuit variis deinceps fatis theologia myſti-

Verbo Incarnato, & matre ejus nunc ſolis a peccato exemtis. 12. *Quod in reliquos nos miro propagatur modo.* 13. *Ac omnes obſtrictos tenet.* 14. *Non tamen eſt ipſa concupiſcentia.* 15. *Sub qua gemimus.* 16. *Cuive ſervimus.* 17. *Non neceſſitate, ſed voluntatis pravitate.* 18. *Unde omnis mali origo noſtra culpa.*

Caput III.

De neceſſitate, & virtute gratiæ CHRISTI.

19. *Naturæ ſauciatæ ſumme neceſſaria eſt virtus gratiæ.* 20. *Quam multi ingrati non agnoſcunt.* 21. *Cum ſit fundamentum religionis, ac fidei in* CHRISTUM. 22. *In totum genus humanum.* 23. *Per internam Spiritus ſancti operationem.* 24. *Ac gratiam gratum facientem imprimis.* 25. *Et vires ſupernaturales ſubminiſtrantem.* 26. *Pro indigentia ſtatus naturæ lapſæ.* 27. *Ut ſicut peccati* ADAMI, *ita gratiæ* CHRISTI *omnes ſunt participes.* 28. *Niſi qui ipſi deſunt gratiæ.* 29. *Eique intus aſpiranti impedimentum ponunt.* 30. *Qua non ſolum veritas manifeſtatur, ſed etiam virtus præſtatur.* 31. DEO *operante in nobis velle, & perficere.* 32. *Non habituali tantum, ſed etiam actuali gratia.* 33. *De qua fuit cum Pelagianis controverſia.* 34. *Qua juſti nunquam deſtituuntur, niſi ipſi deſint.* 35. *Aſpirat autem gratia præveniendo, cooperando, & ſubſequendo.* 36. *Ut nos ad ſe trahat* DEUS. 37. *Quo omnia referenda, & per gratiam exſpectanda.* 38. *Nec ullus immunis ab omni labe eſt.* 39. *Nec ſe ad* DEUM *ſine gratia poteſt convertere.* 40. *Sine gratia mentem illuſtrante.* 41. *Quæve ad ſingulas actiones adeſſe debet ad operandum.* 42. *Atque ad implenda præcepta.* 43. *Et perſeverandum uſque in finem.* 44. *In vitam æternam.* 45. *Quæ omnia gratis mul-*

nullis præeuntibus meritis præſtantur. 46. *Gratia autem non abeſt niſi præeuntibus demeritis.* 47. *Quouſque autem aſpiret, ignotum eſt.* 48. *Quæ, ſi deſit, exoranda eſt.* 49. *Quod ipſum dono gratiæ fit.* 50. *Myſterium autem eſt, cur unum præ alio renitentem flectat.* 51. *Unde & diſcrimen gratiæ efficacis, & ſufficientis.* 52. *Quandoquidem efficax gratia victrix eſt.* 53. *Salvo tamen libero arbitrio.* 54. *Potius in veram libertatem vindicato.* 55. *Manente potentia ad oppoſitum.* 56. *Quod variis modis explicatur.* 57. *Sufficiens ſaltem eſt, dum effectu fruſtratur.* 58. *Quod noſtro non gratiæ defectu fit.*

Caput IV.

De prædeſtinatione.

59. *Gratiæ & prædeſtinationis nexus, & diſcrimen.* 60. *Quid nomine prædeſtinationis veniat.* 61. *Prædeſtinationis, & præſcientiæ diſtinctio.* 62. *Doctrina de prædeſtinatione quouſque indaganda.* 63. *Iisdem erroribus obnoxia, ac doctrina de gratia.* 64. *DEUS omnibus bene cupit.* 65. *Ac vult omnes ſalvos.* 66. *Hominesque ſua culpa ſalute excidunt.* 67. *DEUS autem gratuito prædeſtinatos eripit.* 68. *Prædeſtinatque ad gratiam, & gloriam.* 69. *Sola liberalitate, & miſericordia per CHRISTUM.* 70. *Dum ex una maſſa damnationis alii aſſumuntur, alii relinquuntur.* 71. *Ac juſte ob demerita damnantur.* 72. *Non ad peccatum, ſed ſupplicium prædeſtinati.* 73. *Permittendo peccata in juſtam pœnam peccati.*

SECTIO II.

DE PROFECTU THEOLOGIÆ MYSTICÆ, FIDE ET OPERIBUS, SPE, ET CHARITATE.

Caput I.

De fide, & operibus.

74. *Virtutes theologicæ.* 75. *Quarum prima fides ſumme neceſſaria.* 76. *Ejus definitio.* 77. *Fides fundamentum juſtificationis.* 78. *Secundum legem gratiæ.* 79. *Non excluſis operibus.* 80. *Ut Proteſtantibus videtur, & pſeudo-myſticis.* 81. *Ipſis ſecum pugnantib⁹.* 82. *Scriptura & traditione juſtitiam operum requirente.* 83. *Ex gratia CHRISTI.* 84. *Merita noſtra dona DEI.* 85. *Juxta legem evangelicam.* 86. *Quæ eſt ſchola vitæ ſpiritualis.* 87. *Ac bonorum operum.* 88. *Inter quæ jejunium.* 89. *Eleemoſynæ.* 90. *Perfectio omnia relinquendo ſequi CHRISTUM.* 91. *Continentia.* 92. *Crux CHRISTI.* 93. *Ac mors pro CHRISTO.* 94. *Qua excepta non datur in hac vita juſtitiæ perfectio.*

Caput II.

De ſpe, & oratione.

95. *Quid ſit ſpes.* 96. *Et oratio.* 97. *Ejuſque efficacia, & conditiones.* 98. *Juxta CHRISTI doctrinam.* 99. *In oratione dominica.* 100. *Fiducia in DEUM collocata ſine præſumtione.* 101. *Sed ſalutari timore DEI.* 102. *Neutiquam deſperando.* 103. *Ac ſpem fruſtrando obduratione,*

excæ-

excæcationeque mentis. 104. Corde impœnitenti. 105. Consummato in Spiritum ſanctum peccato. 106. Irremiſſibili. 107. In hac & altera vita puniendo.

Caput III.

De charitate.

108. Charitas præcipua virtutum theologicarum. 109. Quæ perfecta foras mittit timorem. 110. Et menſuram non habet. 111. Perfecta autem erit in Patria.

Sectio III.

DE STATIBUS DEO DICATIS.

Caput I.

De variis generibus hominum DEO dicatorum, & eorum muneribus.

112. Sublimiſſimus ſtatus clericorum. 113. Canonicorum. 114. Aſcetarum, & monachorum. 115. Ac monacharum. 116. Ad perfectionem ſecundum evangelii conſilia aſpirantium. 117. Cœnobitarum. 118. Eremitarũ. 119. Origo vitæ monaſticæ. 120. Ac variæ regulæ. 121. Et inſtituta religioſorũ. 122. Primarium munus pietatis. 123. Ac bonorum operum. 124. A terrenis curis abſtractio. 125. Victus, & veſtitus. 126. Labor manuum. 127. Studia. 128. Cura animarum & clericatus. 129. Qui eſt ſtatus perfectus.

Caput II.

SUMMARIA.

Caput II.

De cœlibatu.

130. *De continentia, & voto caſtitatis perſonarum DEO dicatarum.* 131. *Etiam in matrimonio.* 132. *De continentia clericorum.* 133. *Et vitando commercio fœminarum.*

PRIN-

PRINCIPIA THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

SECTIO I.
DE SUBJECTO ET OBJECTO THEOLOGIÆ MYSTICÆ, NATURA, ET GRATIA.

CAPUT I.
De vera, & falsa theologia myſtica.

§. I.

Theologia *myſtica* media inter *theoreticam*, & *practicam* de utraque participat: dum & γνῶσιν ſeù ſcientiam

Quæ ſit genuina theologia myſtica.

ea, cum ipſa theologia ſcholaſtica adoleſcens, & in ſyſtema redacta, ceu pars ſingularis theologiæ chriſtianæ.

Nec nos idcirco tamen eam negligendam duximus, ſed depurgatam, & ad communem theologiæ ſyſtematicæ orbitam revocatam damus, tum ad communem chriſtianorum uſum, cum ad peculiarem ſtatuum DEO dicatorum.

SUM-

SUMMARIA.

PRINCIPIA THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

SECTIO I.

DE SUBJECTO ET OBJECTO THEOLOGIÆ MYSTICÆ, NATURA ET GRATIA.

Caput I.

De vera & falsa theologia mystica.

§§. 1. *Quæ sit genuina theologia mystica.* 2. *Quæ falsa.* 3. *Ejusque a genuina discrimen.* 4. *Finis theologiæ mysticæ,* 5. *Et cum theologia morali nexus.*

Caput II.

De naturæ corruptione, & peccato originali.

6. *Homo creatus in statu integritatis.* 7. *Ad finem supernaturalem,* 8. *Unde delapsus ADAM.* 9. *Omnem secum traxit posteritatem.* 10. *Sicut omnes justitiæ originalis fuissemus, & nunc redemtionis sumus participes.* 11.

Verbo

Verbo Incarnato, & matre ejus nunc ſolis a peccato exemtis. 12. *Quod in reliquos nos miro propagatur modo.* 13. *Ac omnes obſtrictos tenet.* 14. *Non tamen eſt ipſa concupiſcentia.* 15. *Sub qua gemimus.* 16. *Cuive ſervimus.* 17. *Non neceſſitate, ſed voluntatis pravitate.* 18. *Unde omnis mali origo nóſtra culpa.*

Caput III.

De neceſſitate, & virtute gratiæ CHRISTI.

19. *Naturæ ſauciatæ ſumme neceſſaria eſt virtus gratiæ.* 20. *Quam multi ingrati non agnoſcunt.* 21. *Cum ſit fundamentum religionis, ac fidei in CHRISTUM.* 22. *In totum genus humanum.* 23. *Per internam Spiritus ſancti operationem.* 24. *Ac gratiam gratum facientem imprimis.* 25. *Et vires ſupernaturales ſubminiſtrantem.* 26. *Pro indigentia ſtatus naturæ lapſæ.* 27. *Ut ſicut peccati ADAMI, ita gratiæ CHRISTI omnes ſunt participes.* 28. *Niſi qui ipſi deſunt gratiæ.* 29. *Eique intus aſpiranti impedimentum ponunt.* 30. *Qua non ſolum veritas manifeſtatur, ſed etiam virtus præſtatur.* 31. *DEO operante in nobis velle, & perficere.* 32. *Non habituali tantum, ſed etiam actuali gratia.* 33. *De qua fuit cum Pelagianis controverſia.* 34. *Qua juſti nunquam deſtituuntur, niſi ipſi deſint.* 35. *Aſpirat autem gratia præveniendo, cooperando, & ſubſequendo.* 36. *Ut nos ad ſe trahat DEUS.* 37. *Quo omnia referenda, & per gratiam exſpectanda.* 38. *Nec ullus immunis ab omni labe eſt.* 39. *Nec ſe ad DEUM ſine gratia poteſt convertere.* 40. *Sine gratia mentem illuſtrante.* 41. *Quæve ad ſingulas actiones adeſſe debet ad operandum.* 42. *Atque ad implenda præcepta.* 43. *Et perſeverandum uſque in finem.* 44. *In vitam æternam.* 45. *Quæ omnia gratis nul-*

nullis præeuntibus meritis præſtantur. 46. *Gratia autem non abeſt niſi præeuntibus demeritis.* 47. *Quouſque autem aſpiret, ignotum eſt.* 48. *Quæ, ſi deſit, exoranda eſt.* 49. *Quod ipſum dono gratiæ fit.* 50. *Myſterium autem eſt, cur unum præ alio renitentem flectat.* 51. *Unde & diſcrimen gratiæ efficacis, & ſufficientis.* 52. *Quandoquidem efficax gratia victrix eſt.* 53. *Salvo tamen libero arbitrio.* 54. *Potius in veram libertatem vindicato.* 55. *Manente potentia ad oppoſitum.* 56. *Quod variis modis explicatur.* 57. *Sufficiens ſaltem eſt, dum effectu fruſtratur.* 58. *Quod noſtro non gratiæ defectu fit.*

Caput IV.

De prædeſtinatione.

59. *Gratiæ & prædeſtinationis nexus, & diſcrimen.* 60. *Quid nomine prædeſtinationis veniat.* 61. *Prædeſtinationis, & præſcientiæ diſtinctio.* 62. *Doctrina de prædeſtinatione quouſque indaganda.* 63. *Iisdem erroribus obnoxia, ac doctrina de gratia.* 64. *DEUS omnibus bene cupit.* 65. *Ac vult omnes ſalvos.* 66. *Hominesque ſua culpa ſalute excidunt.* 67. *DEUS autem gratuito prædeſtinatos eripit.* 68. *Prædeſtinatque ad gratiam, & gloriam.* 69. *Sola liberalitate, & miſericordia per CHRISTUM.* 70. *Dum ex una maſſa damnationis alii aſſumuntur, alii relinquuntur.* 71. *Ac juſte ob demerita damnantur.* 72. *Non ad peccatum, ſed ſupplicium prædeſtinati.* 73. *Permittendo peccata in juſtam pœnam peccati.*

SECTIO II.

DE PROFECTU THEOLOGIÆ MYSTICÆ, FIDE ET OPERIBUS, SPE, ET CHARITATE.

Caput I.

De fide, & operibus.

74. *Virtutes theologicæ.* 75. *Quarum prima fides ſumme neceſſaria.* 76. *Ejus definitio.* 77. *Fides fundamentum juſtificationis.* 78. *Secundum legem gratiæ.* 79. *Non excluſis operibus.* 80. *Ut Proteſtantibus videtur, & pſeudo-myſticis.* 81. *Ipſis ſecum pugnantib⁹.* 82. *Scriptura & traditione juſtitiam operum requirente.* 83. *Ex gratia CHRISTI.* 84. *Merita noſtra dona DEI.* 85. *Juxta legem evangelicam.* 86. *Quæ eſt ſchola vitæ ſpiritualis.* 87. *Ac bonorum operum.* 88. *Inter quæ jejunium.* 89. *Eleemoſynæ.* 90. *Perfectio omnia relinquendo ſequi CHRISTUM.* 91. *Continentia.* 92. *Crux CHRISTI.* 93. *Ac mors pro CHRISTO.* 94. *Qua excepta non datur in hac vita juſtitiæ perfectio.*

Caput II.

De ſpe, & oratione.

95. *Quid ſit ſpes.* 96. *Et oratio.* 97. *Ejusque efficacia, & conditiones.* 98. *Juxta CHRISTI doctrinam.* 99. *In oratione dominica.* 100. *Fiducia in DEUM collocata ſine præſumtione.* 101. *Sed ſalutari timore DEI.* 102. *Neutiquam deſperando.* 103. *Ac ſpem fruſtrando obduratione,*

excæ-

excæcationeque mentis. 104. *Corde impœnitenti.* 105. *Consummato in Spiritum ſanctum peccato.* 106. *Irremiſſibili.* 107. *In hac & altera vita puniendo.*

Caput III.

De charitate.

108. *Charitas præcipua virtutum theologicarum.* 109. *Quæ perfecta foras mittit timorem.* 110. *Et menſuram non habet.* 111. *Perfecta autem erit in Patria.*

Sectio III.

DE STATIBUS DEO DICATIS.

Caput I.

De variis generibus hominum DEO dicatorum, & eorum muneribus.

112. *Sublimiſſimus ſtatus clericorum.* 113. *Canonicorum.* 114. *Aſcetarum, & monachorum.* 115. *Ac monacharum.* 116. *Ad perfectionem ſecundum evangelii conſilia aſpirantium.* 117. *Cœnobitarum.* 118. *Eremitarū.* 119. *Origo vitæ monaſticæ.* 120. *Ac variæ regulæ.* 121. *Et inſtituta religioſorū.* 122. *Primarium munus pietatis.* 123. *Ac bonorum operum.* 124. *A terrenis curis abſtractio.* 125. *Victus, & veſtitus.* 126. *Labor manuum.* 127. *Studia.* 128. *Cura animarum & clericatus.* 129. *Qui eſt ſtatus perfectus.*

Caput II.

SUMMARIA.

Caput II.

De cœlibatu.

130. *De continentia, & voto caſtitatis perſonarum DEO dicatarum.* 131. *Etiam in matrimonio.* 132. *De continentia clericorum.* 133. *Et vitando commercio fœminarum.*

PRIN-

PRINCIPIA THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

SECTIO I.
DE SUBJECTO ET OBJECTO THEOLOGIÆ MYSTICÆ, NATURA, ET GRATIA.

CAPUT I.
De vera, & falsa theologia myſtica.

§. I.

Quæ ſit genuina theologia myſtica.

Theologia *myſtica* media inter *theoreticam*, & *practicam* de utraque participat: dum & γνῶσιν ſeu ſcien-

tiam, quæ eſt ad DEUM ſummum bonum fruendum, ſuppeditat, & interiorem hominis renovationem præſtat, qua aptus ſit ad officia chriſtiana, perfectionemque, ac felicitatem aſſequendam.

Suſpectum eſt vel ipſum theologiæ myſticæ nomen, non ſolum ob illius maximos abuſus, de quibus mox dicemus, verum etiam ab ipſa ſua origine Græca ſeu ἑλληνιστικῇ, gentilium ſacris, ac philoſophorum Platonicorum præſertim initiationibus, ac τελεταίς. Fortaſſis ſupererat quædam obſcura cognitio ſtatus humani in prima ſua integritate, ac perfectione, a qua culpa protoplaſti exciderat homo, quo eum reduci oporteat per τελετὰς ſublime virtutis, & perfectionis ſtudium, atque ad priſtinum ſtatum revocari. Sic ſacra doctrina initiari eſt μυεῖσθαι unde τὸ μυστικὸν, atque οἱ μυούμενοι, μυσαγωγούμενοι, ſeu etiam τελούμενοι, hujusmodi ſacris imbuti, atque ad talem conſummationem perfectionis aſpirantes.

Ea certe nuſpiam niſi in chriſtaniſmo reperitur divina γνῶσις, ſeu cognitio, qua per regenerationem, renovationemque interiorem animæ ad unionem cum DEO, ſimilitudinemque priſtinam, ac imaginem, ad quam creati ſumus, perficimur, mente illuminati, atque ab omni contagione, ſordeque vitiorum repurgati, DEOque per fidem, & dilectionem uniti, intimeque conjuncti. Nihil ſanctius hac theologia, ac γνώσει, chriſtianiſmo unice digna, ſed mox a Gnoſticis corrupta eſt. Eam vero

GLE-

CLEMENS ALEXANDRINUS reſtituere imprimis eſt conatus, in formando ſuo Gnoſtico, præſertim in *pædagogo* inſtruens, ut animæ morbis, perturbationibusque medeatur, eam virtute, ſanctisque actionibus perficiat. Sed is etiam ultra limites abreptus, eum prorſus ἀπαθῆ, atque affectionibus penitus exutum ſiſtere velle viſus eſt: quod pro noſtra conditione, in hac corruptione carnis, ac pugna quotidiana fieri nequit. Id vero agere debemus, ut eo enitamur per interiorem renovationem gratiæ, aſpirante divino numine, & adjuvante, donec in altera ſaltem vita eum ſtatum, ac conditionem divinam emetiamur, ad quam deſtinati ſumus.

Huc ducit theologia myſtica: divina, & arcana de DEO, rebusque divinis ſapientia, qua mens hominis regeniti illuminetur, voluntasvirtutibus divinis inſtructa ab iniquinamentis peccatorum purgetur, ut cum DEO arctiſſime conjungatur. Cæteras definitiones miſſas facimus myſticorum, quæ tam terminis ipſis offendunt, quam reipſa vel maxime ultra oleas feruntur, neſcio quam θέωσιν ſeu perfectionem uſque ad deificationem quandam, non in reſtauratione imaginis DEI per actiones, ac vitam DEO dignam, ſed neſcio quem extaticum, ac enormem contemplationis ſtatum. Quod fit dum aſcetica a myſtica ſeparatur theologia, quæ non ſolum individua, verum etiam unum idemque eſſe debent. Unde iidem ſunt, ac ſemperque habiti fuerunt a veris rerum æſtimatoribus myſtici, & aſcetici theologi, debetque ad praxin dirigi γνῶσις illa, ac inſtitutio hominis chriſtiani, ſeu theologi myſtici, ac unio cum DEO ſummo bono in hac etiamnum vita: cujus cauſa & creati ſumus, & per CHRI-

STUM renaſcimur, reſtauramusque imaginem DEI, ac ſimilitudinem, quam in prima integritate habuimus, per peccatum autem amiſimus. Ita diſcimus ex EUSEBIO, ORIGINEM diſcipulos ſuos inſtituere ſolitum eſſe, ut a cognitione ſui inciperent, deinde bona, quæ ſectanda, & mala quæ fugienda eſſent, diſquirerent. Ita veri myſtici omnes faciunt, atque ad finem per apta media aſpirant, finemque ipſum ſummum bonum ita reſpiciunt cum S. BERNARDO præcipuo myſticorum: *Quid eſt DEUS?* inquit ille, *quod ad univerſum ſpectat, finis. Quod ad electionem, ſalus. Quod ad ſe, ipſe novit. Quid eſt DEUS? Voluntas omnipotens. Virtus benevolentiſſima. Lumen æternum. Ratio incommutabilis. Beatitudo ſumma. Creans mentes ad ſe participandum. Vivificans ad ſentiendum. Afficiens ad appetendum. Dilatans ad capiendum. Juſtificans ad promerendum. Accendens ad zelum. Fœcundans ad fructum. Dirigens ad æquitatem. Viſitans ad conſolationem. Illuminans ad cognitionem. Perpetuans ad immortalitatem. Implens ad felicitatem. Circumdans ad ſecuritatem.*

Hiſt. L. VI. c. 48.

L. V. de conſider. c. 2.

§. II.

Quæ falſa.

Longe alia eſt myſticorum non paucorum cauſa, qui neſcio quod evanidum ſpectrum contemplationis procudendo, in quo omnia repoſuerunt, ſe tantum non totidem deos tenuerunt.

Pſeudo-DIONYSIUS theologiam myſticam vult eſſe, quæ monſtret viam ad inveſten-

veniendum DEUM per negationes, & exceſſus mentales, in caliginoſa, & occulta cognitione. Alias miras alii afferunt & portentoſas definitiones: totaque illa theologia ſcatet terminis ejusmodi, ac loquendi formulis monſtroſis, partim a Fanaticis his ſtudioſe excogitatis, partim ex philoſophia repetitis gentilium, ac undique corraſis ex Pythagorica, Platonica, & Stoica ſecta, ex quibus ſingulis paradoxa ſua hinc inde excerpſerunt: hinc ἀπάθειαν illam, qua hominem affectionibus omnibus exutum ceu truncum, ac inanimem ſiſtunt per mortem quamdam moralem, ſeu ut PSELLUS vocat, νέκρωσιν τῶν παθῶν. Quod ex PLATONIS ſententia oritur; hominem in corpus ceu carcerem detruſum ad ſupera evolare debere, expurgatumque ad priſtinum ſtatum elevari, ac deificari. Unde etiam quidam fuere, qui, hominem creaturam eſſe deſinere, ex chriſtianis viſi ſunt ſtatuere, quod RUSBROCHIO eſt imputatum celebri myſtico ſæculi decimi quinti; cujus errores Jo. GERSON præprimis detexit, quamvis obſcurius loquendo, quod eſt iſtis ſolemne, dubia multa reliquerit.

Phantaſia ſua abrepti homines ejusmodi, imaginantur ſibi de ſtatu ſuo mira quæque ac divina; ita ut Verbo divino parum, aut nihil tribuant, immediatas revelationes jactent, & in his unice delectentur: pie quidem, & ſancte in ſpecie loquentes, ſcribentes, actiones etiam præſeferentes; ſed, dum contemplationi ſuæ unice vacant, exteriora fere deſpiciunt, atque mente ſua ſe DEO immerſos ultra humanam ſortem evectos exiſtimant. Modos loquendi excelſos, peregrinos, & faſtuoſos adhibent pariter ac opiniones, humi-

litati chriſtianæ plane adverſos: qua totos nos quidem DEO tribuimus, & ei adhærere ſolum bonum reputamus; ſed tamen homines nos eſſe mortali carne indutos, ac corruptos naturæ, terræque affixos lugemus: veluti a longinquo aſpirantes ad bonum illud incommutabile; neutiquam plenæ poſſeſſionis, in hac vita, nos inani ſpe lactamus.

Dici non poteſt, quantus ſit numerus poſtrema præſertim hac ætate ejusmodi Fanaticorum, & Enthuſiaſtarum, apud omnes ſectas chriſtianas, poſt veteres illos Gnoſticos, Meſſalianos &c. diverſi generis. Præſertim autem Anabaptiſtæ fere hoc maniæ genere ſunt corrupti, ac Schwenckfeldiani: ex Lutheranis WEIGELII, BÖHMII, HOBERGI &c. Pietiſtæ univerſim hac ſuſpicione laborant, vitio data nimia theologiæ myſticæ cura. Indicem theologorum myſticorum dedit GOTTF. ARNOLDUS ex Lutheranis, e Calviniſtis, P. POIRETUS, ipſi in hoc luto hærentes, præſertim POIRETUS cum ſua BURIGNONIA totum chriſtianiſmum corrumpens longe deterius, quam FENELONIUS cum ſua GUIONIA. Fœminæ hujusmodi exceſſibus imaginationum magis obnoxiæ ſunt: unde earum plurimas MOLINOSUS decepit. Sed mirum eſt viros etiam, eosque magni nominis, abripi potuiſſe, & a fœminis ſeduci.

§. III.

Ejusque a genuina diſcrimen.

Probe ita diſcreta genuina a ſpuria theologia myſtica, piis item, ac ſinceris theologis myſticis a Fanaticis, & impoſtoribus, qui ſuis imagina-

ginationibus nituntur, ſe, aliosque decipiunt; ſecundum ductum evangelii principia theologiæ myſticæ ſunt conſtituenda.

Tota in id eſt evangelii doctrina, ut divinitus edocti, eo per gratiam redeamus, unde per peccatum abſoeſſimus, atque proficiamus in pietate, & incremento ſpiritualis vitæ, & ſanctitatis per CHRISTUM regeniti, ac vires ſupernaturales gratiæ, quibus defectus naturæ noſtræ corruptæ refarciuntur, homoque ad perfectionem, ac integritatem ſuam currit: imago divina reſtauratur, ſecundum quam conditi ſumus, & divinitus exornati, plenum dominium nacti tam ſuper alias creaturas (ad debite utendum illis, easque regendas ſecundum fines a DEO præſtitutos) quam etiam, idque maxime, ſuper nos ipſos animalem, & ſpiritualem hominem: ne ille a bono incommutabili DEO ſummo bono ad commutabilia hujus mundi deflectat. Quod dum accidit in paradiſo, pugna illa ſuperioris, & inferioris hominis enata eſt, qua ad bona fluxa, & commutabilia rapimur a bono incommutabili deflectentes, nec unquam plene, quamdiu in hac vita ſumus, illi cohæremus, quam etiam in hoc connitimur: quod eſt opus noſtrum myſticum, daturque progreſſus ſemper ulterior; ſi recte datis ad hoc viribus gratiæ utimur, atque CHRISTUM imitantes juxta evangelii ductum procedimus, licet ſummum eniti non poſſimus.

Hinc quidem patet, quam vana fuerit philoſophorum jactantia, qui ſe ſuapte natura, ſuisque alis pertingere poſſe exiſtimarunt per

τελεταὶς ſuas, ſeu operationes myſticas, quo nullus adhuc chriſtianorum (quibus corruptionem naturæ vincere conceditur per CHRISTUM, viresque gratiæ ſupernaturales) potuit pertingere, quam etiam conati fuerint. Miſeri autem ſunt illi ex chriſtianis, qui ſe vanis promiſſionibus horumce cæcorum, atque miſeri ſtatus ſui ignarorum hominum ineſcare ſiverunt, ut ſibi imaginarentur perfectionem ſummam, ducerenturque evanidis potius phantaſmatis, quam legibus humilitatis chriſtianæ, potius ſecundum tenebras caliginoſæ contemplationis, quam ſecundum lucem Verbi divini, vitamque evangelio conformem.

Secundum hoc recte veri nominis myſtici triplicem proponunt viam *purgativam*, *illuminativam*, & *unitivam*, quatenus per pœnitentiam ſordibus peccatorum depoſitis, exuti veterem hominem, induamus novum, qui ſecundum DEUM creatus eſt in ſanctitate veritatis, nova creatura in CHRISTI luce ambulemus, qui eſt via, veritas, & vita, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hæc eſt via *illuminativa*, qua ad *unitivam*, ducimur in DEO, cui perfecte quidem in altera vita jungamur, nunc autem toto cordis affectu ei adhæreamus, amando ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute ſecundum præceptum charitatis, in quo tota lex pendet, & prophetæ, atque culmen theologiæ myſticæ, totumque ſtudium, ac labor myſticorum: ut triplicem viam purgationis, illuminationis, & unitionis conſectantes, neutiquam tamen vane exiſtiment, ſe jam comprehendiſſe, & ultra PAULUM aſcendiſſe, qui raptus uſque ad tertium cœlum audivit arcana verba DEI; nihilominus ſe nondum per-

Eph. IV. 24.

perfectum esse agnovit, cucurrit autem ut comprehenderet, ac vitam cum CHRISTO absconditam in DEO quæsivit.

Ita veri mystici semper agendum sibi duxerunt; non theoreticam tantum disciplinam effinxerunt, qualem primus DIONYSIUS ille procudit, ac in systema redigere cœpit theologiam mysticam: quem alii sunt secuti, ex quo tempore universim theologia systematice in scholis transigi cœpit: partibus theologiæ, non sine damno christianæ rei, invicem separatis, atque mysticæ, asceticæque theologiæ parte, functioneque ad claustra fere religiosorum relegatis: cum veteres illi sancti patres quoad omnes suas partes conjunctam theologiam christianam fideles docendo, atque ipsi non tantum speculatione, sed praxi etiam prosequendo, mysticam ceu animam habuerint, tradiderintque.

§. IV.

Interior reformatio naturæ corruptæ ac imaginis divinæ restauratio, qua similes DEO reddimur, est veræ, ac genuinæ theologiæ mysticæ christianæ scopus, & finis in hac vita. Finis theologiæ mysticæ.

Persæpe in sacris scripturis ea naturæ nostræ sors exoptata, & singularis exprimitur, describiturque, qua ex DEO nasci dicimur: participes, ac consortes fieri divinæ naturæ: mystice cum DEO uniri. Nec infrequenter sancti patres utuntur terminis, mysticis theologis familiaribus, Græci præsertim θεοποίεισθαι, ἀποθεῖσθαι, εἰς θεϊκὴν φύσιν μετά-

Jo. I. 12. 2. Cor. V. 17. Eph. II. 10. Jo. IX. 2. 2. Pet. I. 4. Jo. XV. 4. &c. & XVII. 21.

Rom. VIII. 10. &c. *Cor. VI.* 16. &c. *Gal. II.* 20. *1. Cor. III.* 10. *XV.* 10. *Eph. I.* 13. *Rom. VII.* 6. *Eph. IV.* 24. *2. Cor. V.* 28.

μεταβάλλεσθαι κ.τ.λ. Quæ ſatis conveniunt cum recuperatione deperditæ dignitatis vitæ ſpiritualis, ac virium ſpiritualium per regenerationem, & gratiam, qua non ſolum propitius, & benignus Numinis favor, atque benevolentia, merito, ac mediatione CHRISTI pro nobis ſatisfacientis, ac nos DEO reconciliantis; verum etiam divina in nos operatio, & aſpiratio deſignatur, per quam convertimur, vitaque ſpiritualis in nobis producitur, conſervatur, & augetur: dona ſpiritualia conferuntur, primigenia dignitas reſtituitur, ac præſtantia, juxta quam creati ſumus, atque ornati ſecundum imaginem, & ſimilitudinem DEI, in ſanctitate, & juſtitia veritatis: unde & novus ſpiritus creatura, ac homo, in ſcriptura regeniti vocantur, viribus ſupernaturalibus inſtructi, ſecundum quas operari, ac omnes actiones noſtras rite inſtituere ad voluntatem DEI, legem, ac finem præſtitutum, juxta media ſalutis præſcripta: quo interno vigore ceu animentur omnes actiones noſtræ omnium facultatum noſtrarum, atque omnia rite dirigantur, diſponanturque greſſus noſtri ſecundum divinum beneplacitum, ad incrementum perfectionemque ſtatus noſtri: quatenus actiones noſtræ, ac vitales potentiæ vario divinæ virtutis influxu gaudent ad prævertenda, & adjuvanda molimina noſtra: inſtillanda, conſervanda, & augenda divina chariſmata: obſtacula in facultatibus noſtris removenda, & vigorem roborandum, inchoandas, tranſigendas, & perficiendas actiones, ad finem intentum proſequendum, & adipiſcendum.

Sic abſtrahimur a bonis commutabilibus, quibus ob prava ſtudia noſtra, & perverſum

appe-

appetitum inhæremus naturæ poſt lapſum corruptione, quo homo a ſummo bono ad ſeipſum, & fluxa hujus mundi bona abducitur, quæ eſt ſervitus peccati, qua creaturæ magis ſervimus quam creatori, atque præ ſummo ac incommutabili bono nos ipſos amamus, & vilia hujus mundi bona, in iisque ſummum conſtituimus, & quærimus bonum. Dum enim protoparentes noſtri ſermoni ſerpentis deferentes ſibi in animum induxerunt, ſeipſis fore ſe beatos, atque vanam ſpem concipientes ex verbis illis: *Eritis ſicut dii*, ſummum bonum ſibi ipſi poſtpoſuerunt, & pulchritudine pomi allecti de fructu vetito comederunt.

Ita perverſus eſt veri, ac boni ſenſus in homine, ut nunc omnibus aliis potius capiatur, & delectetur bonis, quam ſummo, ac unico bono. Ita dum ab illius amore, & unione deſcivit, imaginemque DEI in ſe corrupit, opus eſt illius reſtauratione, ut iterum ad illud bonum appetitus & ſtudium convertatur, illoque unice frui petat. Creaturis autem non aliter utitur, quam eum, in quem ſunt conditæ, finem, ac uſum, ut illis præſit, ac dominetur ſibi præprimis, ac appetitui inferioris carnalis hominis. Perficitur hoc amore DEI ſuper omnia, quo DEO ſummo bono unimur, atque frui toto deſiderio affectamus in hac vita, in altera autem plene voti compotes erimus.

§. V.

Et cum theologia morali nexus.

Patet hinc neceſſarius theologiæ myſticæ cum morali chriſtiana nexus, ac uſus in actionibus, ac officiis,

ciis, modo, & ordine debito, fineque legitimo tranſigendis.

Omnibus ſuis partibus deficit theologia practica, niſi actiones ſingulæ animatæ ſint, ac vigeant divina aſpirante gratia. Facultates, niſi divinitus adaptatæ, ac viribus ſupernaturalibus inſtructæ, nec quid, nec quomodo agere, ac officia ſua rite præſtare debeant, norunt. Niſi mens hominis regeniti illuſtretur cœleſti lumine, ac voluntas divina virtute inſtruatur, nihil agere valet, quod ad finem ſuum, quo cum DEO uniri cupit, ac in eo felicitate ſua perfrui, conducat. Corrupta noſtra natura, atque ad officia ſua, muniaque ſegnis, & inepta, divinæ gratiæ operationibus ad officia chriſtiana, virtutesque, in arduo poſitas, debet componi, & apta reddi: quod ſtudioſe fecerunt antiqui, ut chriſtianos ad ſuperandas difficultates in via ſanctitatis maximas, divinæ gratiæ intuitu adſtringerent. Hac ſpe, & fiducia unice fideles impelli poſſunt, ac debent.

Pelagianiſmo locus ſecus datur, quod non infrequenter in morali ac vita chriſtiana accidit in praxi, ut homines ſuis viribus tribuant, quæ gratiæ ſunt opera. Nec cogitant, quidquid boni ad ſalutem æternam agimus, ad id a DEO vires gratiæ tribui. Defectus hic maximus eſt exortus, a quo tempore myſticæ, aſceticæ, & moralis theologiæ partes invicem ſunt ſeparatæ: dicique poteſt corruptionem moralem recentis ævi hinc provenire, ut alio loco ex inſtituto demonſtravi, quod non attendatur, quid natura, & gratia in praxi, ac morali conferant. Nævus hic ab eo demum tempore deprehenditur, quo non

Diſſ. de æquanimorum cenſura.

ſolum

ſolum theologiæ partes a ſe mutuo ſunt diremptæ, ſed etiam ſtudia. Præcipui ſcholaſtici doctores priores hunc defectum ſatis attenderunt, quare cum theologia ſcholaſtica, qua parte moralem ſpectat (ſed pro more diſputando, & rationes nectendo potiſſimum tranſigitur) myſticam etiam theologiam ſimiliter tractandam ſibi ſumſerunt D. THOMAS AQUINAS, BONAVENTURA, ALBERTUS M. &c.

Intelligimus autem puram hic myſticam, prout ad ſanctitatem, perfectionemque chriſtianam ducit, non Quietiſticam, aut Maſſilianam: dum neglectis officiis chriſtianis unice contemplationi, ac orationi vacandum ſciſcitur; ſed quatenus revera de vitæ ſpiritualis incremento agitur, in interiore mentis reformatione, divinæ gratiæ in anima operationibus, ac mediis proficiendi, emetiendique præſtitutas vias purgativæ, illuminativæ, & unitivæ vitæ; ut DEO placeamus, eique per amorem uniamur, quo eum non affectu ſolum ſuper omnia diligimus, ſed etiam actiones noſtras ſecundum ipſius voluntatem inſtituendo in effectu ipſo monſtramus, nos a cæteris bonis abſtractos, ipſi ſoli conjungi, & adhærere velle.

Hinc ut naturam noſtram ad malum prohan, atque in vetitum nitentem, in officio retineamus, perpetua nobis lucta eſt, ut contineantur facultates corporis, & animæ cum propenſionibus, & habitibus naturalibus, & moralibus in malum declinantibus, & conſuetudine, ac uſu facile in pejus ruentibus, ac inclinatis. Dum ratio pervertitur, & voluntas abripitur; niſi per gratiam corrigantur, & in orbitam revocentur inclinationes, ne

pro-

propter arctiſſimam cum corpore unionem ſine debito ordine, & dominio, iis inhiet, quæ corpori grata per ſenſus, & imaginationem repræſentantur, contra averſetur, quæ ingrata ſunt, non attentis illis, quæ intellectus ſanus, & lege DEI inſtructus contra objiciat, ad officia, & actiones ſecundum rectam rationem, ac voluntatem DEI dirigendas.

CAPUT II.

De naturæ corruptione, & peccato originali.

§. VI.

Homo creatus in ſtatu integritatis.

Fuit homo in prima ſua origine conditus in ſtatu integritatis in ſanctitate, & juſtitia, naturalibus, & ſupernaturalibus donis exornatus, ad imaginem DEI.

Sociniani, ut conſequenter peccatum originale tollant, etiam antecedentem juſtitiam originalem negant, hominem in puris naturalibus conditum eſſe aſſerentes, qua DEUS hominem, etiam NASONE teſte:

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Imaginem autem DEI conſtituunt in ipſa mente, atque præciſe in hominis creati dominio, quod habet in res creatas.

Qua in re errant, quia cauſam cum effectu confundunt; nec attendunt ad dotes ſingulares, quibus inſtructus fuerat homo, quæ eum aptum

aptum reddebant ad hoc dominium, non ſolum in reliquas res, & animantia, ſed potiſſimum in ſeipſo exercendum, in quo juxta D. THOMAM ſita eſt juſtitia originalis; cujus tres conſtituit effectus: quorum primus ac præcipuus, quod anima, ejusque potentiæ rationales continerentur in perfecta, & totali ſubjectione, & obedientia DEO auctori, nedum naturali, ſed & ſupernaturali præſtanda. Secundus, ut potentiæ inferiores ſenſitivæ continerentur in debita ſubjectione, & obedientia rationi, ita ut illi in nullo repugnarent. Tertius, ut corpus totaliter ſubjiceretur, & obediret animæ. *Erat*, inquit, *rectitudo ſecundum hoc, quod ratio ſubdebatur DEO, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus.... Et illa prima ſubjectio, qua ratio DEO ſubdebatur, non erat ſolum ſecundum naturam, ſed ſecundum ſupernaturale donum gratiæ, non enim poteſt eſſe, quod effectus ſit potior, quam cauſa.* *Hic q. 95, a. 1.* *L. c.*

Debuiſſe in hunc finem facultates omnes rite ordinatas eſſe, ac mentem dotibus, ac virtutibus exornatam, quibus ad hoc apta, & diſpoſita eſſet, ſuapte patet: quæ ipſæ hominem DEO ſimilem reddebant. Intellectus quidem inſigni ſcientiæ, & ſapientiæ luce colluſtratus fuit, qua non ſolum inter bona, & mala, ſed etiam inter bona ipſa commutabilia, & incommutabile diſcerneret, huic unice firmiter adhæreret, cæteris autem ſapienter uteretur, dominareturque; non in eis ſummum conſtitueret bonum, ſed DEO debite ſubordinaret. Quoad voluntatem neceſſario aderat perfectio in amore recte ordinato, quo DEUM ſuper omnia, ſeipſum autem, atque alias res creatas juxta ordinem a DEO præſcri-

ſcriptum amaret. Unde ſanctitas effluxit, atque juſtitia, qua ab omni eo, quod ordinem hunc pervertit, & labem poſſet aſpergere, abſtineret, ac ſuum cuique juxta eundem ordinem tribueret.

Nec is facultatum uſus, qui cum commercio corporis conjunctus eſt, hic ad aliquid contrarium huic ordini pellexit, nec a corporis motibus turbata mens fuit, aut voluntas ſollicitata ad appetenda aliena ab hoc ordine; ſed tranquillitas ſumma, & harmonia partium totius hominis, debitaque ſubordinatio regnarunt, homoque pleno, & imperturbato utebatur dominio. Ut verbo rem dicam, in ſanctitate, & juſtitia creatus, & conſtitutus homo fuit ſine omni labe. Ex quo S. THOMAS concludit, tunc nec veniale peccatum, multo minus mortale, admiſſurum fuiſſe hominem: *Utrumque*, inquit, *horum contingit propter quemdam defectum ordinis ex eo, quod inferius non continetur firmiter ſub ſuperiore ... in ſtatu autem innocentiæ, ut in prima parte habitum eſt, erat infallibilis ordinis firmitas, ut ſemper inferius contineretur ſub ſuperiore, quamdiu ſummum hominis contineretur ſub ſuperiore.*

1. 2. q. 89. a. 3. &c.

q. 72. a. 5.

Ordo hic obtinebat in rebus creatis etiam extra hominem, quibus præfectus erat homo, & quo magis reſtauratur in homine imago DEI, eo magis dominium hoc ſeſe exerit: *Tanto*, inquit laudatus S. doctor, *magis participamus de dicto dominio, quanto magis ad ſtatum attingimus innocentiæ: quod etiam vox evangelica nobis promittit, ſi ejus imitatores fuerimus in juſtitia, & ſanctitate, cum enim Dominus exhortaretur diſcipulos ad animarum ſalutem Verbum DEI prædicando, ſic de eisdem virtutem*

tutem denunciat dicens : ſerpentes tollent, &, ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit &c.

Ita ergo in illo integritatis ſtatu periculum nullum a rebus quibuscunque creatis, & animantibus quantumvis ferocibus fuiſſet, verum ſolo nutu, dominioque abſoluto ad obſequia præſto habuiſſet, ut ex illis quemcunque vellet uſum faceret ſibi, & aliis rebus, quæ a ſuo regimine dependebant. Scientia namque polluiſſet rerum omnium, ac ſapientia ad rectos omnia fines ordinandi, ad ſui, & rerum omnium conſervationem, ut nec extra ſe, nec in ſeipſo malum aliquod phyſicum, contra rerum ordinem, & deſtinationem inveſtaſſet: quo defectu nunc omnia turbantur, maxime in ipſo hominis corpore, omnis generis infirmitatibus, & morti obnoxio, ſecus ac in ſtatu innocentiæ fuiſſet, cujus rei plures cauſas vide apud S. THOMAM hic *q.* 97. *a.* 1.

Cave autem ab exceſſibus Pſeudo-myſticorum, inter quos P. POIRETUS maxime abberravit tam quoad dotes corporis, quam animæ: illud enim putavit fuiſſe pellucidum, ac penetrabile, carnem cryſtalli inſtar puriſſimi, omnia nitidiſſima, lucidiſſima, & luminoſiſſima. Animam autem non ex nihilo, ſed ipſa divina eſſentia ſtatuit, ut ſit pars realiſſima divinæ eſſentiæ, domicilium, & vas repletibile SS. Trinitate, habeatque facultates divinas deſiderium, intelligentiam, acquieſcentiam, & libertatem, in quibus divino lumine penetratis, & plenis ſeu poſſeſſis conſiſtat imago primæva. *Vid. W. Jæger. examin. theolog. nov. contr. XI.*

§. VII.

Ad finem ſupernaturalem.

Ita, cum potuiſſet DEUS hominem in ſtatu naturæ puræ relinquere, eum inſtruxit donis ad finem ſupernaturalem ipſum DEUM in æterna felicitate fruendum; ſi in integritate ſua ſtetiſſet, levi conditione, de non comedendo fructu vetito, appoſita.

A ſtatu integritatis, mox explicato, diſtinguitur ſtatus naturæ puræ, in quo naſceretur homo ſine gratia, & donis ſupernaturalibus, morti etiam, & cæteris miſeriis obnoxius, quæ naturam ipſam conſequuntur, ex corpore, & anima conſtantem. Ut adeo homo haberet in eo ſtatu omnes perfectiones, quas natura exigit, ac pariter etiam imperfectiones naturam hanc noſtram ex tam diſparibus partibus compaginatam.

Pelagiani in tali nos ſtatu reipſa conditos fuiſſe contendebant, ut peccatum originale tollerent, inde in nos provenientes miſerias, naturæ, non pœnæ, tribuentes. Quos dum acriter inſectatur S. AUGUSTINUS, viſus eſt BAJO, JANSENIO non exiſtentiam tantum, ſed etiam poſſibilitatem ſtatus naturæ tollere: quem errorem proſcripſerunt ſummi pontifices hac 27. BAJI propoſitione: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* Decipiuntur autem dum non attendunt, S. AUGUSTINUM contra Pelagianos ſemper loqui, ſuppoſito ſtatu naturæ donis ſuper-

ſupernaturalibus ad finem conſimilem inſtructæ, ad fruendum DEO in æterna felicitate; ſi integritatem ſuam ſervaverit, atque præceptum facillimum, de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni, & mali: quod præceptum dedit DEUS ad comprobandam hominis obedientiam, ut, tam levi conditione impleta promiſſa præmia promereretur cum omni poſteritate ſua; contra autem ſi egerit, debitas lueret pœnas. Poterat facile ADAM obediens a vetito abſtinuiſſe pomo ſingularibus, & ſupernaturalibus rite diſpoſitus donis. Mens illi non læva fuit. Ignorantia aberat ab intellectu, ne, quid agat, agnoſceret, ſeſe contra creatorem ſuum efferendo, obedientiamque negando. Voluntas ei recta fuit, & appetitus bene ordinatus, ut fruens omnibus bonis, atque dominium rerum omnium adeptus, ab unius arboris fructu ſibi temperaret, quem DEUS unicum in abſoluti ſui dominii teſtimonium, tanquam ſupremus rerum conditor, & moderator, reſervaverat. *Quaſi liberalis Dominus*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *magnam, & admirabilem quamdam domum alicujus uſui donans, non totum pretium, ſed aliquantulam ejus partem accipere vult, ut dominii jus ſalvum ſibi maneat: & ille interim ſciat, ſe non ædificii Dominum eſſe, ſed gratia, & beneficentia Domini illo frui. Sic utique & Dominus noſter, cum viſibilia hæc omnia homini concederet, & præſtaret illi, ut verſaretur in paradiſo, & frueretur omnibus, quæ in illo erant: ut ne paulatim ſeductus animo putaret, res, quæ ſub aſpectum cadunt, automata eſſe, deque ſua dignitate altius quidpiam ſentiret juſſit ab uno ligno abſtinere magna definita pœna, ſi hoc transgrederetur;* *Homil. XVI. in Gen.*

ut ſcire poſſet, ſe Dominum habere, cujus liberalitate etiam cæteris rebus frueretur.

Pro ſtatus ſui integritate nulla voluntatem cupido titillabat, qua ad fruendum viſu delectabilem fructum inordinate impelleretur. Naturæ quidem ejus, ſi puram reliquiſſet, fuiſſet proprium, ut propter intimum cum corpore commercium, ſenſuum item uſum, abriperetur bonis etiam ejusmodi corporalibus, & ſenſualibus; contra ac naturæ ipſius ſpirituali bonis ejusmodi fluxis haud ſatiandæ expediret; at, ut hoc amoveret allicimentum, ſupernaturalibus DEUS inſtruxit donis, naturalem illum ſiſtens appetitum, atque ad bonum natura rationali dignum, ſpirituale, & incommutabile affigens, ſeipſum nimirum ſummum DEUM, quo aliquando frueretur, ſi nunc conſtanter ei adhæreret, nec ad bona caduca deflecteret.

§. VIII.

Unde delapſus ADAM.

Sponte ſua, & culpa, homo lapſus in peccatum, integritate ſua excidit, pœnis obnoxius factus dignis ſcelere tali ac tanto, tam funeſto generi humano.

Licet homo in ſtatu integritatis ſuæ integerrimam etiam habuerit voluntatem, atque ad ſatisfaciendum muneri ſuo pronam; tamen quia creatura erat experiendæ obedientiæ expoſita, ac mutabilis, alienum ab ipſo haud fuit, pro libertate arbitrii in utramque partem, ad bonum, & ad malum verſatilis, quin a DEO deficeret. Adhuc in ſtatu probationis erat, nondum confirmato ad ſolum bonum arbitrio, quale eſt eorum, qui jam in termino con-

conſtituti, atque felicitatis culmen adepti, peccare amplius non poſſunt, nec mereri, aut demereri, quod in ſtatum viæ non cadit. *Primum liberum arbitrium*, inquit S. AUGUSTINUS, *quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare, hoc autem noviſſimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque DEI munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ: aliud eſt enim eſſe DEUM, aliud particeps DEI. DEUS natura peccare non poteſt, particeps vero DEI ab illo accipit, ut peccare non poſſit. Servandus autem gradus erat divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo.* Peccavit tamen labilis, & mutabilis homo, licet integer, & incorruptus, falſi ſpecie imbutus, & ſeipſum corrumpens, poſthabita gratia, & DEI præcepto, diaboli potius ſuggeſtioni auſcultans. *De civit. DEI L. XXII. c. 30.*

Hinc illæ lacrymæ, ac ſtatus naturæ lapſæ, in quo verſamur, peccato, morti, cæterisque miſeriis hujus vitæ obnoxii, quas quisque proprio ſenſu, & experientia melius percipit, quam verbis exprimi valeat.

Id autem longe funeſtiſſimum accidit, quod non ſolum integritate ſua exciderit homo, ſed etiam ſpe felicitatis, ineptus redditus ſuapte ſervare legem, quam transgreſſus fuerat, quaque impleta præmium æternæ beatitudinis a DEO conſtitutum conſequi debuerat, ad imaginem DEI factus, & ad ejus fruitionem deſtinatus.

Hæc non potuit non cognoſcere, ac plene perſpicere mala, tanta intelligentia imbutus, facillime autem evitare potuit integer, & rectus, leviſſimo in præcepto, quod non ſervatum juſtiſſima ſequitur, manetque pœna, quæ

prædicta fuerat. *Quisquis*, inquit S. AUGUSTINUS, *hujusmodi dominationem vel nimiam, vel injuſtam putat, metiri profecto neſcit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.* Nimirum in ſtatu illo integritatis, ac juſtitia originali fuit hæc tanta non peccandi facilitas, qua hinc jure exciderat: *Quia igitur*, inquit S. THOMAS, *dicti ſtatus tam ordinata integritas tota cauſabatur ex ſubjectione humanæ voluntatis ad DEUM, conſequens fuit, ut ſubducta humana voluntate a ſubjectione divina deperiret illa perfecta ſubjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam.* Et poſtea: *Per conſequens affectum ſuum rebus ſenſibilibus ſubdidit, in quibus aberrans a DEO multipliciter peccavit.*

L. XIV. de civit. DEI. c. 15.

Opuſc. 2. c. 192.

c. 194.

§. IX.

Omnem ſecum traxit poſteritatem.

Peccatum hoc ADAMI toti ejus poſteritati imputari, etiam infantibus, niſi ad lavacrum regenerationis perveniant, tenet fides catholica; nec repugnat juſtitiæ, mori nos omnes in ADAMO, pro quibus mortuus eſt CHRISTUS unus pro omnibus.

Doctrinam hanc primum laceſſiverunt Pelagiani. RUFINUM pulſaſſe hanc quæſtionem diſcimus ex S. HIERONYMO, qui citat librum DIDYMI, ubi dubium iſtud reſolvit errore ORIGENI imputato, quaſi infantum animæ reæ fuerint peccati commiſſi antequam corpuſculis jungerentur. Aliter Pelagianis eſt viſum: *Dicunt etiam*, ita ipſe PELA-

L. III. cont. Ruf.

LAGIUS ſuam ſub aliorum nomine profert ſententiam, *nulla ratione concedi, ut DEUS, qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Et JULIANUS: *Non capit rerum natura, ut uno tempore, & adeo ſit miſericors DEUS, ut propria uniouique confitenti peccata condonet: & adeo crudelis, ut innocenti impingat aliena.* *Apud S. Aug. de pecc. merit. & remiſſ. L. III. c. 3.* *Apud eund L. I. oper. imperf. Mar. Merc. oper. p. 29.*

Doctrinam hanc in JULIANO MAR. etiam MERCATOR, potiſſimum autem S. AUGUSTINUS invicte impugnavit, adverſarios potius arguens, injuſtum eos facere DEUM, eo ipſo in loco, unde JULIANI verba excerpſimus: *Tu potius*, inter alia inquit, *facis injuſtum DEUM, cum tibi videtur injuſtum peccata patrum reddere in filios, quod ſe ille facere in verbis ſæpe teſtatur, & verbis oſtendit. Tu, inquam, facis injuſtum DEUM, ſub cujus omnipotentis cura cum videas gravi jugo miſeriæ parvulos premi, nullum eos habere peccatum contendis: ſimul accuſans & DEUM, & eccleſiam: DEUM quidem, ſi gravantur, & affliguntur immeriti: eccleſiam vero, ſi exſufflantur, a jure diabolicæ poteſtatis alieni.* *S. Aug. de peccat. mer. & remiſſ. L. III. c. 55.*

Quæſtio iſta ab aliis ei eſt etiam diſſolvenda propoſita: in quem finem compoſuit libros de peccatorum meritis, & remiſſione, quos alibi de baptiſmo infantum inſcribit: ubi inter alia ſuperius tactum argumentum de exorciſmis ſuper infantes, dum baptizantur, in argumentum peccati originalis urget: refertque, Pelagianos ipſos eo redactos eſſe, ut cæremoniam illam minime ferendam exiſtimarint, qui nimirum infantes peccato exemtos tenebant. Ex canone 2. conc. Milev. an. 416. diſcimus, fuiſſe, qui infantes quidem baptizari in re- *L. I. c. 34.*

missionem peccatorum, nihil tamen ex ADAM trahere originalis peccati putabant, forte qui, ut laudatus refert sanctus doctor, statuerunt, peccata esse actualia in infantibus, cum primum nascerentur. Idem argumentum ex baptismo infantum laudatus MERCATOR plurimum urget. Ex S. AUGUSTINI autem citato opere legendus imprimis est liber tertius, ubi ex scripturis hanc veritatem circa infantes recens natos probat, & Pelagianorum exceptiones diluit.

Inter editas noviſſime epiſtolas duas a cel. abbate Gottwicenſi GODEFRIDO una habetur ejus argumenti ad PETRUM, & ABRAHAM, quos dominos dilectiſſimos, & ſanctos filios vocat; qui inter alia ſanctum doctorem conſultabant, an parvuli, qui nihil male vivendo addiderint ad originale peccatum, ante ſuſceptum baptiſmum defuncti, a DEO condemnentur. Illic autem, ſicut alibi paſſim, incunctanter affirmat, eoquod non credentes condemnentur; nihilominus eos, qui ſolo peccato originali detenti moriuntur, omnium leviſſimas pœnas ſuſtinere. Quæſtio hæc deinceps ſæpius iterum eſt mota, atque inter alios ab AMOLONE archiepiſcopo Lugdunenſi ad mentem S. AUGUSTINI deciſa in celebri tunc cum GOTTESCALCO controverſia, epiſtola ad GOTTESCALCUM data.

Manual. ad Laurent. p. 228.

Tota controverſia illa jam præjudicatam habebat ab eccleſia ſententiam; ſed quandoque in transverſum agit: veluti noſtris temporibus proteſtantes ultra limites excedunt; atque ex ipſis ortæ ſectæ, & factiones in alterutrum extremum ſunt dilapſæ, lata ad Pelagianiſmum aperta porta per Remonſtrantes nominatim, ut

ut nihil de Socinianis dicam, aperte cum Pelagianis facientes, cum Remonſtrantes id videri nolint. *ADAMUS*, inquit ex illis LIMBROCHIUS, *utpote generis humani radix, omnes poſteros iisdem malis, quibus ipſe obnoxius fuit, involvit. Non enim credendum, ADAMI peccatum ipſi ſoli nocuiſſe: qui dicitur error fuiſſe PELAGII: ſed & omnia mala, in quæ ob peccatum incidit, etiam ab ipſo in poſteros propagata ſunt: excluſi quippe omnes ſunt, non minus quam ADAMUS, & EVA, ex paradiſo; fœminæ cum dolore liberos pariunt, & maritis ſuis ſubditæ ſunt: viri in ſudore vultus panem ſuum comedunt; omnibusque inevitabilis moriendi neceſſitas incumbit. Mors autem hæc non habet rationem pœnæ proprie dictæ in poſteris: fieri enim nequit, ut inſontes propter alterius peccatum puniantur; ſed eſt naturalis tantum moriendi neceſſitas, ab ADAMO mortis pœna punito in ipſos derivata. Non enim poſteros reſpectu ſtatus ſui naturalis ſe feliciores progignere potuit, ſed nullos niſi iisdem ſecum malis obnoxios; perinde uti pater antea dives, ſed ob crimen aliquod omnibus ſuis bonis mulctatus, neceſſario pauperes progenerat liberos, cum, niſi peccaſſet, divites relicturus fuiſſet: non quia liberi peccatorum patris ſui pœnam luant: ſed naturæ quadam lege, qua nemo bona, quibus ipſe deſtitutus eſt, ad poſteros hæreditario transmittere poteſt.* Sic, quod una manu dat, altera iterum demit, nec reatum, aut mortem æternam, ſed temporalem tantum agnoſcit in nos mortales ex ADAMO deſcendere; impuritatem autem quandam naturalem tantum (magis ex proximis parentibus ſecundum varias indo-

Theolog. chriſt. L. III. c. 3.

les, & temperamenta, quam ex ADAMO derivatam) non juſtitiæ originalis amiſſionem, ac imputationem peccati agnoſcit, quin ex inſtituto pluribus refellit. Eſtque hæc Remonſtrantium communis doctrina, quam initio timidius proferebant, ipſe adhuc EPISCOPIUS; ſed poſtea frontem poſuerunt, præſertim in apologia confeſſion. Audetque LIBERIUS de S. AMORE, ſeu Jo. CLERICUS in epiſtolis ſuis theologicis aſſerere, a paucis defendi hanc ſententiam.

Op. T. II. P. II. p. 81.

Ep. 4.

Nuper eam ex profeſſo DAN. WHITBUS impugnavit, eandem tibiam cum Remonſtrantibus inflans, vitiatæ autem naturæ cauſas alteram ponit perpetuum metum mortis, quem ſcelerum omnium cauſam vocat, & originem; alteram, quod homines naſcimur infantes: peccatum autem imputari non admittit, tantum permitti, ut mala inde orta propagentur. Conatur etiam antiquos patres in partes trahere, ipſamque Judæorum ignorantiam de peccato originali. Ad philoſophicam jurisprudentiam, & naturam juſtitiæ provocat, quæ non ſinant, peccatum auctori remiſſum a DEO imputari. Fanatici in Anglia idem fere ſentiunt. Apud nos P. POIRETUS nihil abſurdius putat, quam peccati imputationem ſtatuere. Par ergo teneat neceſſe eſt de imputatione juſtitiæ CHRISTI, flagitante id æquitate, atque D. PAULO *ad Rom. capite V.* comparationem hanc inter primum ADAMUM, & ſecundum urgente: ut ſicut per unum hominem mors, ita etiam vita in omnes deſcendat.

§. X.

§. X.

In ADAMO igitur omnes nos peccamus, & peccati illius reatu conſtricti tenemur: contraximus originale peccatum, quemadmodum etiam juſtitiæ originalis participes omnes fuiſſemus, liberamur autem gratia ſalvatoris.

Sicut omnes juſtitiæ originalis fuiſſemus, & nunc redemtionis ſumus participes.

Nullum eſt dubium, quin in ſtatu innocentiæ transfuſa fuiſſet juſtitia originaria, pariter ac nunc injuſtitia illius, & peccatum omnibus imputatur: quia in ipſo peccante omnes peccavimus. *Oppoſitorum*, inquit D. THOMAS, *oppoſitæ ſunt cauſæ, eſt igitur attendenda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat DEO ſubjecta; quæ quidem ſubjectio primo, & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem. Unde ex averſione voluntatis a DEO conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas DEO ſubdebatur, eſt formale in peccato originali.* 1. 2. q. 82, a. 3.

Hinc facile tranſigi poteſt quæſtio illa, quomodo voluntas noſtrum omnium in uno coaluerit ADAMO, cujus rei varias theologi excogitarunt rationes. Res autem ipſa in ſcripturis aperte eſt declarata: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo* Rom. V. 12.

om-

omnes peccaverunt. Tota hoc loquitur divinæ diſpenſationis circa genus humanum per CHRISTUM ratio. *In cauſa duorum hominum*, inquit S. AUGUSTINUS, *quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam.* Loquitur id miſer ſtatus damnationis, ac corruptionis, ſub quo gemimus, atque pœnas luimus primi illius peccati originalis, quod non naturæ ipſi, ejusque conditori tribuendum eſt; nec tamen etiam excuſandum eſt peccatum, aut gratia liberationis pro nihilo habenda. Hoc agebant Pelagiani; nobisque imputabant, quaſi cum Manichæis ageremus, ac DEO injuſtitiam tribueremus. *Utrosque damnat*, inquit S. AUGUSTINUS, *atque devitat, quisquis ſecundum regulam catholicæ fidei ſic in hominibus naſcentibus de bona creatura, carnis, & animæ, glorificat creatorem, quod non vult Manichæus, ut tamen propter vitium, quod in eos per peccatum primi hominis pertranſiit, fateatur & parvulis neceſſarium ſalvatorem: quod non vult PELAGIUS.* Et alibi idem: *Melius itaque DEI cauſa agitur, quam ſe iſte agendo dicit defenſare naturam, cum & creator, & ſalvator agnoſcitur, quam cum defenſa velut ſana, viribusque integris creaturæ opitulatio ſalvatoris amittitur.*

L. de pecc. orig. c. 24.

De Nupt. & Concupiſ. c. 3.

De Nat. & grat. c. 142.

Scimus DEUM creaſſe hominem rectum. In iſta rectitudine perfecte DEO ſubjiciebamur, atque ſecundum imaginem DEI omnia nobis perfecte ſubjecta tenebamus; nunc vero omnia adverſa intra nos, & in nobis cumprimis ſentimus, morti præterea temporariæ, & æternæ obnoxii, excluſi a beatitudine illa, ad quam con-

conditi, ac deſtinati fuimus. Hæc nos ſacræ ſcripturæ, &, ut diximus, tota œconomia Verbi incarnati, ſalvatoris noſtri, docet, hocque ariete omnes Pelagianorum inſultus nullo negotio ſunt repulſi. *Nec iniquus eſt* DEUS, inquit S. AUGUSTINUS, *qui Pelagianos contrivit, cum peccatis ſive originalibus, ſive propriis digna retribuit, magisque iniquus, aut infirmus oſtenditur, ſi jugum grave ſuper filios* ADAM *a die, ſicut ſcriptum eſt, nativitatis eorum uſque in diem ſepulturæ, in matre omnium, ſub quo jugo imago ejus atteritur, aut ipſe nullo vel originali, vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipſo imponit invito.*

§. XI.

Verbo incarnato, & Matre ejus nunc ſolis a peccato exemtis

Nedum de CHRISTO, ſed nec de beatiſſima Virgine ejus matre, quando de peccato agitur, debet eſſe ſermo, quam pie credimus ab omni peccato, a labe etiam ADAMI præſervatam.

Diſtinguenda eſt quæſtio de peccato actuali, & originali. Ac quidem, quod CHRISTUM attinet, nullum penitus unquam apud eos motum eſt dubium, qui de Incarnatione Verbi divini verum habuerunt ſenſum. Iſthinc impeccabilitatem CHRISTI repetit TERTULLIANUS: *Solus*, inquit, *homo ſine peccato CHRISTUS, quia & DEUS.* Vix tamen unquam, qui etiam CHRISTUM merum hominem dicebant, ei peccatum imputare ſunt auſi; licet communi cum cæteris hominibus modo natum eſſe nonnulli aſſererent: cum tamen inde veteres ejus immunitatem

L. de anima c. 41.

tatem a labe ADAMI ſumſerint, quod non eo, quo cæteri homines, natus ſit modo: *Si*, inquit DIDYMUS, *corpus ex conjunctione ſumſiſſet CHRISTUS, nulla differentia, exiſtimatus utique eſſet obnoxius ille peccato, cui per ſucceſſionem erant omnes ex ADAM profecti, & orti.* MARIUS MERCATOR, *non ita natus eſt*, inquit, *ut cæteri homines de voluptate carnali, ſed nova in eo generatio ex immaculata ante partum, & poſt partum Virgine ſine libidine adfuit.* Hanc rationem ſæpe urget S. AUGUSTINUS, ac proteſtatur, quando de peccato eſt quæſtio, CHRISTUM omnino excipi debere.

Cont. Manich. p. 209.

Ed. Garnerii p. 60.

De nupt. & concupiſ. L.I. c. 12.

Alicubi etiam excipit beatiſſimam Virginem MARIAM, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi vult quæſtionem. Ubi PELAGIUM refutat, qui ab ABEL uſque ad matrem DEI plures recenſet, qui ſine peccato fuerint. Sed ibi non tantum de originali, verum etiam de actuali peccato eſt quæſtio, de quo etiam nonnunquam antiqui dubitaſſe ſunt viſi; ſed ita jam ORIGENES, ut eodem tamen modo beatiſſimæ Virgini conſultum voluerit, ſicut poſtea, qui eam a labe originali non immunem defenderunt: *Si ſcandalum in Domini paſſione non paſſa eſt*, ait de B. V. MARIA, *non eſt mortuus JESUS pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, & egent gloria DEI, juſtificati gratia ejus, & redemti, utique & MARIA illo tempore ſcandalizata eſt.* Quam vero hoc ſit nullius roboris argumentum, ſi de peccato præſertim actuali ſumatur, & quidem determinato illo ſcandali, facile quis videt, qui nullis præjudiciis occupatur, & Virgini matri honorem

Cont. Julian. L.V. c. 15.

De nat. & grat. c. 36.

Orig. hom. 17. in Luc.

rem debitum integrum vult, Verbi divini cauſa, quod carnem ex ea ſumſit, quam idcirco gratia plenam angelus ſalutavit. MALDONATUS refert magno numero antiquorum ſententias, quorum alii cum concepiſſet, alii majoris auctoritatis antequam concepiſſet, ita gratia imbutam, & veluti dignum habitaculum præparatam eſſe volunt. Quam etiam præ priori amplectitur MALDONATUS, reſpondetque textui Græco κεχαριτωμένη. *In cap. 1. Luc.*

Refutat autem neotericos honori Virginis matris inimicos, qui noxam Virgini matri imputare volunt, ubi potius maxima virtus eluceſcit humilitatis, non incredulitatis vitium, dum ad angelum dicit: *Quomodo fiet iſtud?* Quod ei CALVINUS in harmonia impingit: *Neque enim*, potius cum S. AMBROSIO tenemus, *fas eſt, ut electa ad generandum unigenitum DEI Filium fuiſſe videatur incredula.* MALDONATUS itidem obſervat, veteres uno conſenſu vocem κεχαριτωμένη interpretatos eſſe *gratia plena*, quod etiam novatoribus iſtis diſplicet, voluntque interpretandum, *gratioſa*, *dilecta*, *grata*, *accepta*, aut aliquid ejusmodi. Quidquid autem ſit, deſignatur illic ſingularis illa prærogativa, ac dignitas, qua mater DEI fieri meruit, atque idonea facta eſt. *L. II. in Luc. n. 14.*

Ob id a SS. PP. frequenter EVÆ opponitur, quod ipſum inſigne eſt præconium, ac præſtantiæ illius teſtimonium. S. EPHREM comparationem hanc inſtituit cum EVA adhuc innocente: *Ambæ ſine noxa, ambæ ſimplices, MARIA, & HEVA: altera mortis noſtræ cauſa fuit, vitæ altera.* Qua ratione *T. I. Bibl. orient. p. 90.*

tione B. M. V. ſane ex ſorte humana eximitur, quæ labem peccati ADAMI contraxit.

Hæreſ. 79. Refert S. EPIPHANIUS ex *MARIÆ hiſtoria, & traditione: JOACHIMO ejus patri divinitus hoc in deſerto nunciatum fuiſſe, uxor tua concepit.* Ex quo conjicere licet, fuiſſe antiquiſſimis temporibus, qui conceptionem B. Virginis a communi ordine naturæ abiiſſe, atque adeo a labe originali immunem putarint: eo plane modo, quo CHRISTI nativitas, ut paulo ante vidimus a ſanctis patribus, aliena, & exſors ab ADAMI contagio eſt habita. Sanctus quidem EPIPHANIUS non defert in ea parte huic traditioni, nec ita accipiendum vult, quaſi hoc contra nuptialem conſociationem, ac virilem ſatum acciderit. Neque hoc volumus, quando immaculatam ejus conceptionem pie credimus, nec penitus ex ſorte poſterorum ADÆ exemtam meritorum CHRISTI participatione privamus: ſed ſingulari privilegio præſervata creditur ab omni labe etiam originali: ut tamen a debito ſaltem malum incurrendi liberata ſit.

Qua ratione Eminent. SFONDRATI in *Innocentia vindicata* D. THOMAM explicare nititur, qui ex pietate, ne non CHRISTI redemtio ad MARIAM ſpectare videatur, eam infectam peccato originis probat. Sed eum vindicat purpuratus ille, alios locos benigne interpretatus, alios corruptos cauſatus, aut ſumens præciſam illam D. THOMÆ theſin, B. Virginem conceptam eſſe in peccato originis ex ſenſu moreque patrum antiquorum de conceptione corporis non animæ, quæ tunc contingat, quando corpus animetur: MARIAM autem ſanctificatam

fuiſſe

fuiſſe priusquam ſit animata, quam D. THOMÆ pariter ac aliorum complurium ſententiam communem vocat. Poſt tempora D. THOMÆ de hac re contentiones ſunt exortæ, quas ſumma ſedes ſilentio tandem debuit conſopire.

Dudum quidem jam feſtum conceptionis fuit celebratum, atque canonici Lugdunenſes rem etiam determinare contenderunt, quibus ſeſe S. BERNARDUS oppoſuit, alias erga B. Virginem devotiſſimus. Ita tunc conquieverunt lites: donec poſtea, cum D. THOMAS immaculatam hanc conceptionem rejicere viſus eſſet, res ea plures abriperet; atque ex oppoſito ſe Franciſcani cum SCOTO ſuo ſe opponerent, eodem argumento uſi congruentiæ, decentiæque pro matre Verbi divini. Sunt quidem, qui SCOTUM non pro rata ſententia diſputaſſe volunt; deinceps tamen cum Dominicanis veluti pro aris, & focis, magnoque fervore diu fuit diſceptatum.

In concilio Baſileenſi res ad judicium etiam eccleſiaſticum eſt delata. Opusque fuit, ut ſummi pontifices ejus rei ſatagerent, quod primum SIXTUS IV. fecit, partibus interdicendo, ne mutuo ſe damnarent, & hæreſeos accuſarent. Quæ deinceps moderatio ab aliis etiam pontificibus eſt in conſilium vocata, & SIXTI IV. decreto ſtandum juſſum etiam in concilio Tridentino, ubi declaratum ſeſſione quinta, *non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem MARIAM DEI genitricem, ſed obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis SIXTI papæ IV. ſub pœnis.* DUPINIUS refert, fuiſſe epiſcoporum diſſen- *Bibl. ſcript. T.*

ſum circa decretum de immaculata conceptione: obſervatque articulum hunc in antiquis editionibus priorum ſex ſeſſionum hujus concilii non reperiri, ſed demum inſertum fuiſſe decretis concilii ſub PIO IV. impreſſis in editione concilii Romana, & deinceps deprehendi in omnibus editionibus.

Habetur inter propoſitiones BAJI damnatas 73. *Nemo præter CHRISTUM eſt absque peccato originali, hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex ADAM contractum: omnesque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.* Sed ſimul hic actualia comprehenduntur peccata, a quibus etiam venialibus ſpeciali DEI privilegio immunem eam ab eccleſia haberi concilium Tridentinum teſtatur.

De juſtiſ. c. 23.

Tempore PAULI V. in Hiſpania graves fuerunt ortæ lites, regesque ſolemni legatione non ſemel ſolicitarunt pro deciſione apoſtolicam ſedem. Emanaruntque decreta non abhorrentia ab hac doctrina: ac GREGORIUS XV. 1622. prohibuit, ne quis in ſcriptis, aut ſermonibus privatis aſſereret, B. V. MARIAM eſſe in labe conceptam, niſi qui ſpecialem a ſummo pontifice licentiam habeant. ALEXANDER VII. adhuc ulterius eſt progreſſus, fueruntque, quibus viſus ſit rem decidiſſe; ſed cavit tamen, ne contraria ſententia hæreſeos damnetur.

Unde ad fidem pertinere dici non poteſt, gravesque nuperrime exortæ ſunt lites de voto ſanguinario, quod in Italia MURATORIUS impugnavit. In noſtra etiam Germania adhucdum fervent lites Agredanæ inter P. AMORT, & PP. Franciſcanos ob librum MARIÆ DE JE-

Myſtica citta di

JESU, quæ ceu divinitus inſpirata hujus doctrinæ de immaculata conceptione B. V. propagandæ, ac aſſerendæ cauſa præjudicium facere viſa eſt. Elector Bavariæ coercere conatus eſt P. AMORT acerbis ad ipſius abbatem datis litteris, ubi ordo equeſtris S. GEORGII a CAROLO ALBERTO eſt inſtitutus ad defenſionem immaculatæ conceptionis B. V. A celeberrimis academiis, & plerisque ſcholis publicis jurata ſolemnia habentur, quibus doctrina ea ſuſcipitur. Atque undique terrarum magna ſolemnitate feſtum conceptionis B. V. celebratur: cujus rei præjudicium etiam CLEMENS XI. in favorem immaculatæ conceptionis eſt conteſtatus. *Dio: iſtoria delle madre de Dio.*

§. XII.

In alios, nullo excepto, generatione transfertur peccatum originale, & propagatur, quamvis qua id ratione fiat, planum non ſit. Quod in reliquos nos miro propagatur modo.

Sicut revera homines, verba ſunt concilii Tridentini, *niſi ex ſemine ADÆ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cum ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahunt.* Grandem de propagatione peccati originalis Pelagiani litem moverunt, ut ex illius difficultate facilius poſſent peccatum ipſum originale negare. Anxium, & incertum ea res habuit S. AUGUSTINUM, nec ſibi unquam ſatisfacere potuit. Quare ſcribens ad S. HIERONYMUM, diſpiciendum vult potius, quomodo ab eo malo per CHRISTUM liberemur, quam diſputandum, quomodo id ab ADAMO *Seſſ. VI. c. 3.* *Ep. 29.*

traxerimus: ut qui in puteum prolapſus eſt, non tam ſolicitus eſſe debet de cognoſcendo modo, quo in illum inciderit, quam de inveſtiganda ratione, qua evadere poſſit.

Scripſit libros quatuor de origine animæ; quorum primus eſt ad RENATUM: alter ad PETRUM presbyterum: reliqui duo ad VINCENTIUM VICTOREM: ab ea enim quæſtione litis deciſio pendebat, utrum per creationem ſingulis hominibus indetur: an per propagationem. Conſuluit etiam S. HIERONYMUM per OROSIUM: nec tamen a ſe impetrare potuit, ut in HIERONYMI ſententiam concederet, ſingulas animas novas naſcentibus fieri per creationem: angebat ſanctum doctorem, quomodo animæ non ex ADAMO veniant, & tamen ex illo juſtam ſortem damnationis trahant, niſi ad remiſſionem peccatorum perveniant renaſcendo. Dubia ſua movit tum S. HIERONYMO, cum OPTATO epiſcopo Milevitano juniori, qui itidem creationem animarum defendit binis epiſtolis, ad quas reſpondit S. AUGUSTINUS tribus epiſtolis, ſed conſueta modeſtia. Earum altera ex codice Gottwicenſi edita primum eſt nuper a celeberrimo abbate: ubi iterum ſuam ignorantiam fatetur; aſſerit tamen, a negantibus traducem, eousque certa, & perſpicua e ſacris litteris teſtimonia non fuiſſe prolata.

Pulſabat etiam difficultas, quomodo ex parentibus renatis filii naſcantur labe ADAMI contaminati: & quomodo matrimonium non ſit damnandum, ac propagatio prolis, dum illud a ſancto doctore damnari Pelagiani calumniabantur. *Hinc quippe factum eſt*, ait ipe, *ut de nuptiis, & concupiſcentia librum ſcribe-*

L. I. cont. Julian. c. II.

rem:

rem: nuptiarum ſcilicet bonum diſcernens ab eo malo, unde trahitur originale peccatum. Utebatur autem variis exemplis ex rerum natura petitis, quomodo tum ex regeneratis naſci poſſint vitio inquinati e. g. oleaſtri, tum quomodo propagari poſſit vitium naturæ ex malis e. g. hæreditariis. Ante eum, & totam illam litem, S. AMBROSIUS exemplo magnetis eſt uſus: *Etenim*, inquit, *ſi magnetis lapis tantam naturæ vim habet, ut ferrum ad ſe trahat, & transfundat ſe in illius ſpeciem, ita, ut plerisque experiri volentibus, cum plures annulos ferreos ad eum lapidem admoverint, omnes pari teneat modo, deinde ſi ei annulo, cui adhæſerit lapis, alium admoveas annulum, & rurſum per ordinem ſingulis ſubſtituas; licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehementiore conſtringit, poſteriores remiſſiore, quanto magis humani generis conditio, atque natura ex puriore ſtatu in deteriorem lapſa eſt, quando nequiorem attigit? Nam ſi per eas ſpecies minuitur natura, quæ non ſunt culpæ capaces, quanto magis per animos, atque artus labe pollutos ſcelerum virtus ejus hebetatur?* Epiſt. 45.

§. XIII.

In hoc autem, quod a rectitudine ſua deficiens homo contra DEUM ſe extulerit, conſiſtit peccatum originale, quod totum genus humanum invaſit, ac tenet. Ac omnes nos obſtrictum tenet.

Communiter peccatum originale conſtituunt catholici in habituali averſione a DEO propter prævaricationem, quæ in ADAMO præ-

ceſſit; non peccatum aliquod ab anima perpetratum, antequam corpori ſociaretur: non ipſam hominis ſubſtantiam, ſive a malo principio primum ortam, ſive poſtea per peccatum depravatam; nec ſolum tamen peccatum ADAMI in nobis moraliter perſeverans, quamdiu non eſt remiſſum, aut condonatum; nec ſolam etiam juſtitiæ originalis privationem, ſi hæc juſtitia ſumatur pro gratia AD AMO infuſa, poſteris ejus, ſi non peccaſſet, infundenda; quæ non eſt peccatum, ſed pœna peccati, & ita quidem, ut, cum fuerit mere gratuita, potuiſſet eam DEUS citra peccatum demere: niſi ſumatur pro debita voluntatis ad DEUM ſubjectione, & conſequenter pro integra virium inferiorum ad rationem ſubordinatione: quippe quæ eſt ipſa averſio a DEO, in qua communiter theologi peccatum originale formaliter conſiſtere volunt.

Provenit autem ex ἀταξία, & propenſionibus ex corruptione hæreditaria poſterorum AD Æ, quæ ſe palam data quavis occaſione prodit, atque ab ipſis gentilibus etiam philoſophis eſt agnita: dum viderunt hominem ad mala quævis ferri cæca, & perverſa mente, ineptum ad bona rite cognoſcenda, & cognita proſequenda ex depravatæ naturæ indole, ac ſtudiis, atque ineptia naturali, a prima infantia, ad officia, & finem nobis propoſitum, ſummumque bonum perſequendum.

Hæc ſtatim ſe prodiderunt poſt lapſum in humano genere, citoque corrupit omnis caro viam ſuam. Hinc *videns DEUS, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet.* Idque illi maxime agnove-

Gen. VI. 5.

runt

runt ſemper, quibus DEUS cæcitatem hanc auferre dignatus eſt, aut qui funeſti caſus memoriam, & traditionem, fidemque retinuerunt. Sic DAVID exclamat, & luget: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et JOB agnovit ex corrupta ſtirpe nihil poſſe prodire ſanum, atque exclamat: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?*

Pſ. L. 7.

Job. XIV. 4.

Hæc omnia mala proveniunt ex habituali illa averſione a DEO ſummo, ac incommutabili ad bona commutabilia: unde illa ſervitus peccati, qua creaturæ magis ſerviunt, & mancipantur homines, quam creatori: unde imaginis divinæ in nobis corruptio, ac dominii, ſeu recti ordinis ſubverſio, inordinatioque facultatum inferiorum, & earum adverſus rationem rebellio, concupiſcentia, ignorantia, & averſio a vero bono, converſio vero ad mala corporis, & animæ &c.

Pſ. XIV. 3. LXIII. 4. Rom. III. 10.

§. XIV.

Proclivitas illa, ac fomes, quæ nos ad malum inclinat concupiſcentia dicitur: quæ tamen ipſa peccatum originale non eſt, unde etiam in renatis manet ad luctam.

Non tamen eſt ipſa concupiſcentia.

Animadvertimus in nobis perpetuam quandam, & inextinguibilem ad mala quævis propenſionem, unde a ſummo bono incommutabili deficimus: ea facultates noſtras omnes occupat, & pervertit. In voluntate ſedem figit, in corpore autem, & anima per varios motus inordinatos ſe exerit. Nec unquam in

hac vita deſerit homines etiam renatos, pios, & ſanctos, quam etiam in ea expugnanda, penitusque evellenda elaborent, quam etiam de hoſte hoc ſæpe triumphent.

Non tamen hinc dici debet in his renatis, juſtis, & ſanctis manere peccatum ipſum, eo-
1. Jo. III. 9. &c. quod concupiſcentia maneat. *Nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam juſtus eſt; ſicut & ille juſtus eſt. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius DEI, ut diſſolvat opera diaboli. Omnis, qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex DEO natus eſt.* Cum primum de natura peccati originalis diſputari cœpit, Pelagiani imputarunt, ſecundum catholicos peccatum originale per gratiam regenerationis non penitus tolli, nec plenam peccatorum deletionem fieri. *Nec omnia dicitis*, loquitur in eorum
L. II. cont. Julian. perſona S. AUGUSTINUS, *peccata dimittuntur in baptiſmo, ſi aliquod in baptizatis conjugibus remanet, ex quo regenerantur mali.* Concupiſcentia hic intelligitur, quam Pelagiani volebant eſſe virtutem naturæ, catholici autem vitioſitatem ex peccato originali remanentem etiam in renatis ad agonem juſtitiæ. *Evacuatur*, inquit S. AUGUSTI-
L. I. de pecc. mer. & remiſſ. NUS, *per baptiſmum caro peccati, non ut in ipſa vivente carne concupiſcentia conſperſa, & innata repente abſumatur, & non ſit, ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato. Nam ſi poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet, cum qua pugnet, eamque adjuvante DEO ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit.*

Tum

Tum alibi, cum libro primo de nuptiis, & concupiſcentia quæſtionem movens, quomodo concupiſcentia in regeneratis maneat, nec penitus extinguatur; cavet, ne ceu ſubſtantiale aliquid habeatur ſive corpus, ſive ſpiritus; ſed ceu mala quædam diſpoſitio veluti languor: qui quotidie diminuatur in illis, qui pietate proficiunt, roboretur autem, & cum ætate creſcat in illis, qui ei indulgent. c. 25.

Id ante omnia dicit: *Concupiſcentia non eſt peccatum, quando illi ad illicita opera non conſentiunt.* Et alibi: *Soluto reatu, quo vinctos detinebat, ad agonem manet, non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura.* Libro de perfectione juſtitiæ expreſſe dicit, non concupiſcentiam eſſe peccatum, ſed conſenſum. Laudato de nuptiis, & concupiſcentia opere de pugna illa ſermonem habens, unde malum, aut bonum oriatur conſentiente, aut diſſentiente homine, inter peccatum, & malum probe diſtinguit: etiam qui conſentit, ea damnat deſideria prava, ipſe tamen eſt, qui ea complet, quando vult, & conſentit: qui autem reſiſtit, in hoc bene agit, nihilominus malum adhuc concupiſcentiæ in ſe habet. Quod ſæpe repetit, & tractat argumentum contra Pelagianos, & inter eos JULIANUM, qui concupiſcentiam habebant pro naturæ bono, ac calore naturali. c. 23. *De pecc. mer. & remiſſ. L. II.* c. 4. c. 19. c. 28. *L. III. cont. Julian.* c. 13.

Inde autem, quod continuo etiam in matrimonio contra eam pugnandum ſit, quæque remedio egeat, probat eam malum quoddam eſſe debere. Probe autem diſtinguit a ſenſibus, eorumque vivacitate; diſcrimenque facit ſentiendi utilitatem, & neceſſitatem inter: contra ejusdem JULIANI exceptiones, atque inordinata deſideria, ac voluptatem, ſenſua- *L. IV.* c. 14.

litatemque; quæ malum ſit, ac continuam pugnam ſanctis etiam efficiat, quo nihilominus in bonum utantur. Peccatum autem vocat, *quod peccato facta eſt, & peccati, ſi vicerit, facit reum*, juxta apoſtolum. *Peccati*, inquit, *nomine, quod in illo habitabat, ipſum apoſtolus Rom. VII. nuncupabat concupiſcentiam, quia peccato facta eſt, & ſi conſentientem traxerit, atque illexerit, concipit, paritque peccatum.*

De nupt. & conc. c. 23. Cont. Jul. L. VI. c. 10.

Hæc ultra largimur, fruſtra autem hinc in partes ſuas trahunt S. AUGUSTINUM proteſtantes, qui concupiſcentiam volunt eſſe ipſum peccatum originale, rem ipſam ab effectu non diſtinguentes, atque peccatum in aliquo poſitivo conſtituentes, ut eouſque proceſſerint nonnulli, ut auctore FLACCIO pro ipſa hominis ſubſtantia habeant: non, ut Manichæi, a malo principio ortam, ſed quæ a DEO bona creata in malum degenerarit. Quo quidem rem tandem devenire opus eſt, ſi aliquid poſitivum ſtatuitur peccatum, ut paulo ante ex S. AUGUSTINO notavimus, qui nec corporalis, nec ſpiritualis naturæ ipſam concupiſcentiam admiſit, ſed languorem, ac morbidum naturæ malignantis affectum; ipſum autem peccati reatum probe diſtinxit: ponuntque omnes catholici in privatione, ut jam expoſuimus, & ex Lutheranis CALIXTUS idem agnovit. BELLARMINUS definit, *carentiam doni divini ſupernaturalis per actum peccati ADAMI effectam.* De concupiſcentia autem ita concilium Tridentinum: *Concupiſcentiam, quam aliquando apoſtolus peccatum appellat, ſynodus declarat, eccleſiam catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod ve-*

De amiſſ. grat. & ſtatu pecc. L. V. c. 17. Seſſ. V. n. 5.

re,

re, & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

§. XV.

Ingemiſcit miſer homo, & prægravatur ſub tanto onere peccati, & corruptionis, unde ſuapte eluctari nequit, malis undique preſſus. Sub qua gemimus.

Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios ADAM a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Eccl. XL. 1.

Infans a primo nativitatis momento plorat, & ſentit, antequam intelligat, auræ vitalis incommoda, inops, & impotens. Solutis paulatim ſenſibus, quibus ligatus tenetur, conſueſcit appetere bona fluxa, & commutabilia hujus terræ, antequam bonum incommutabile agnoſcere, facultatibusque mentis uti queat. Quod dum paulatim conceditur, premitur infantiæ imbecillitate, & abducitur naturæ pravitate, nec pondere corruptionis eluctatur ad ima depreſſus, acciſa imagine DEI, amiſſo dominio, iisque animæ dotibus obſcuratis, quibus dextere uti noſſet creaturis, reprobare malum, & eligere bonum. Fertur homo omnibus diebus vitæ ſuæ a prima pueritia ad ea eligenda, quæ noxia ſunt, repudianda autem, quæ utilitatem veram conjunctam habent, impetu quodam naturæ: corpus imperium mentis reſpuit, ipſaque mens ad ima deprimitur, atque inferiori homini litat, caduca præ ſummo affectat bono, iisque delectatur, & inhæret, averſa a bono incommutabili, amore inordi-

Vid. S. Aug. L. IV. cont. Jul. c. 15.

ordinato ſui, & creaturarum, in deſpectum creatoris ſui: juſtitia, qua ſuum cuique tribuitur, & ſanctitate, qua rectum amatur, & in omnibus actionibus, ac ſtudiis agitur, peſſumdata ac profligata.

Nec, meliora edoctus homo, iis defert, dum aut luminis rationis quædam emicat ſcintilla, aut lex innoteſcit, & voluntatem, ut emergat, adſtringit, & ad officium revocat; reluctatur, ad bona apparentia, quibus perverſe delectatur, & amat, inclinatur; vera averſatur, falſa ſpecie decepta cæca mens, & ad mala quævis prona. Hinc peccatorum cumulus in DEUM ſummum bonum, quod poſthabetur. Hi ſunt fructus illi pravi ex arbore mala: hi noxæ originalis effectus, ac corruptæ naturæ. *Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.*

Luc. VII. 43.

Vid. S. Aug. L. IV. cont. Jul. c. 3.

Olim Pelagiani, hodieque Sociniani, ac eorum ſequaces remonſtrantes negant hunc tam funeſtum caſum, & naturæ noſtræ defectus tum morales, cum phyſicos; quos cum infidelibus, gentilibus, Mahumedanis, & Judæis verum ſtatum, & rationem corruptionis noſtræ ignorantibus, non pro effectibus peccati, ſed ordine naturæ habent, ubi undique mala inceſſunt, ac miſerum tenent hominem, quocunque ſe convertit, ſive quæ ipſe agit pravitate voluntatis ſuæ, ſive quas patitur a malignante natura ærumnas, moleſtias, & omnis generis mala a cæteris creaturis, ipſo ſocio homine, ac ſeipſo: ſuſtinet morbos omnis generis uſque ad diſſolutionem tam arcti corpus inter & animam vinculi, mortem inquam. Quæ omnia ſunt effectus primi peccati, ſecundum humani corporis cum anima conſociationem

nem, ac principia adverſariorum humorum, & elementorum, ex quibus conſtituitur corpus; anima autem toto cœlo diverſa eſt a corpore; cum tamen homo creatus ad imaginem DEI in ſtatu integritatis divino munere ita ſit conſtitutus, atque informatus, ut malis omnibus prævertere, ſolisque veris bonis ſtudere poſſet, ac deberet. *Compoſitus eſt homo*, inquit CLEMENS ALEXAND. *ex parte rationis participe, & experte rationis. Sed corpus quidem circa terram operando verſatur, anima autem ad DEUM extollitur.* Ita quidem ſe res ſuapte natura habet; DEI autem providentia compaginatus eſt homo ex corpore & anima tam diſparibus partibus, ut dominus ſui eſſet, liber homo, intelligentia, & ea voluntate imbutus, qua mens corpus ad nutum ſuum haberet, & dirigeret pro lubitu ſuo, & inſtinctu naturæ, quo in ſummum fertur bonum. Nunc autem hac rectitudine deſtructa, atque integritatis ſtatu ceſſante ſua deflectit culpa in ſuis actionibus, ac peccat. *Cum ſint*, idem ait CLEMENS, *innumerabilia, quæ fiunt ab hominibus, ſunt utique duo cujusque peccati principia, ignoratio, & imbecillitas, eſt autem utrumque in noſtra poteſtate, cum nec velimus diſcere, nec cupiditatem continere.* Iſte jam eſt ſtatus naturæ lapſæ, iſti effectus peccati originalis, qui, dum in hac vita ſumus, nunquam penitus ceſſant. *Alioquin*, inquit vetuſtiſſimus auctor METHODIUS, *poſt baptiſmum nullum jam ſcelus perpetraremus, poſteaquam peccatum a nobis funditus eſſet omne ſublatum .... Ex quo conſequens eſt conſopiri modo, fide, peccatum, ne perniciosos fructus emittat, non omnino tamen, ac radicitus extingui. Quo circa*

L. IV. ſtromat.

Ib. L. VII.

Apud Epiph. hær. 64.

nunc

nunc illius quidem germina pravas nimirum cogitationes inhibemus, ne qua radix amaritudinis erumpens moleſtiam nobis afferat: nec apertas ad pullulandum vias, ac ſpiramenta dehiſcere, ac patefieri ſinimus. Hæc ille ſtudia commemorat aſceſeos chriſtianæ in hac vita eorum, qui *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt*, hoc eſt, renati, ac innovati natura mentis ſuæ. *Cum ergo innovamur*, inquit S. HILARIUS, *baptiſmi lavacro per Verbi virtutem ab originis noſtræ peccatis, atque auctoribus ſeparamur, reciſique quadam exſectione gladii DEI a patris, & matris affectionibus diſſidemus: & veterem cum peccatis, atque infidelitate ſua hominem eruentes, & per ſpiritum anima & corpore innovati, neceſſe eſt, ut ingeniti, & vetuſti operis conſuetudinem oderimus.*

Joan. I.

In cap. 10. Matt.

Sed hoc opus, hic labor eſt: hic gemit, ac luctatur humanum genus in hoc corpore peccati, in hac imbecillitate, & miſeria. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine:* Exclamat illic JOB, juſtus ille; hic DAVID, homo ſecundum cor DEI: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum:* quorum interpellationes, ſeu planctus egregie S. AMBROSIUS ſingulari opere perſequitur. Nec non S. EPHREM ſimilem animæ chriſtianæ planctum inſtituit tractatu, de paſſionibus, inſigni, & S. AUGUSTINUS de vera religione, item *lib. XIV.* contra JULIANUM in hoc veram ſtatuit religionem: quæ legi merentur. Conſiderari autem, perpendique debent labores, & ſtudia omnium, qui unquam emerſerunt ex luto miſeriæ: quomodo anima terreſtris, & carnalis, quæ corpus amat,

amat, ex hoc enitatur ſtatu, & ad DEUM elevetur: quando corpus aggravat animam, & cupiditas a ſummo bono retrahit ad ima cæterorum inſtar animantium: homine ad id vix attendente, nec ſuapte emergere valente.

§. XVI.

Sic infelix animus cupiditate ceu torrente abreptus in malum ruit, dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, eumque ſervire facit deſideriis ſuis. Cuive ſervimus.

Infelix ego homo, ipſe PAULUS ſub tanta ſervitute clamat, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Senſerat is, ac ægerrime tulit repugnantem cupiditatem, dictamen veræ rationis ſubvertentem. *Scio enim*, dixerat, *quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Non enim bonum*, ut interpretatur S. AUGUSTINUS, *quod ſecundum rectæ rationis dictamen volo, & expeto, illud operor; ſed quod ſecundum veritatem malum eſt, & quod ut malum, dictante ratione, odi, hoc facio, devictus videlicet violentia cupiditatis.* Loquitur autem hæc in perſona peccatoris; ſed ejus, qui jam cœperit bona requirere, nondum tamen potuerit operibus exſequi. Nec aliter ipſe CASSIANUS, ſeu, qui apud eum loquitur, abbas THEONAS hæc interpretatur: nec dubitat, quod aliis abſonum eſt viſum, hæc PAULUM in propria perſona loqui, quod non conſtanter

Rom. VII. 24.

Ib. 19.

L. I. ad Simplic. quæſt. 1.

Collat. 23.

DEO

DEO potuerit adhærere, ad quod conditi ſumus, & facti ſecundum juſtitiam originalem, ſubordinationemque finium ad ultimum ſummum bonum.

Nunc autem ordine illo ſoluto caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & corruptio invaſit, rebellioque inter corpus, & animam, appetitum animalem, & rationalem, legem membrorum carnalem, & ſpiritualem DEI, ac deſideria carnis ad ſe, & infra ſe mentem obbruteſcentem dejiciunt. *Video autem*, porro ingemiſcit PAULUS, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Voluntas noſtra diverſitate appetituum agitata, corruptione autem propria oppreſſa, ei parti conſentit, quæ nobis eſt cum brutis communis; nec amplius rite novit regere appetitus ſuos, ac invicem ſubordinare ſecundum dominium primigenium imaginis DEI, ac integritatem naturæ, contra molimina partis inferioris & animalis. *Mirum profecto non eſt*, inquit EUSEBIUS, *ſi geminum hocce germen, utpote duplicis naturæ communione temperatum, duplici quoque, vitam, eaque diverſa ratione, conformet; ut modo corporis naturæ ſerviat, modo libertatem partis divinioris propriam complectatur; adeoque ſimul in ſervitute, ſimul in libertate verſetur, hanc a DEO, quas ob cauſas ipſe novit corporis, animique conjunctionem ſortitum.* Adeundus eſt eo in loco, ubi hæc late proſequitur. Tum etiam ejusdem opuſculum decimum tertium, inter ea, quæ edidit SIRMONDUS de bonis, & malis operibus, totum in hoc eſt.

Rom. VII. 21.

L. VI. præparat. evang.

Tom. I. op. var. p. 187.

Sed

Sed experientia quotidiana in toto genere humano id continuo ob oculos ponit ei, qui paululum in ſe rediens, legem rectæ rationis, ac legis DEI ſecum reputat; qui perpendit in ſeipſo tenebras mentis, revolutiones deſideriorum, molimina, ac ſtudia infinita, ac fluctuationes, quibus perpetuo jactamur, & in transverſum quaquaverſum agitamur. *Non enim*, ait S. AMBROSIUS, *in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improviſo effuſæ, mentem, animumque confundunt, atque alio trahunt, quam tu propoſueris, ad ſæcularia revocant, mundana inſerunt, voluptaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque momento, quo elevare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur.* De fuga ſæculi. c. 1.

Ita fit, ut continuo conflictemur cum malo, & in peccatis hæreamus. *Si dicimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* 1. Jo. 1. 8. Quæ S. AUGUSTINUS ſæpe expendit: præſertim autem urget orationem dominicam, in qua quotidie orare præcipimur: *Dimitte nobis debita noſtra*, contra Pelagianam ſuperbiam, quæ extollere audet humanam naturam, & arbitrii libertatem ſub captivitate peccati gementem, atque, dum in pugna etiam ſpirituali pugnat, identidem ſuccumbentem.

§. XVII.

Voluntatis ſuæ perverſitate, non neceſſitate, propria culpa, & electione fertur in malum homo, debilitatis, non deſtructis naturæ viribus, & arbitrii libertate. Non neceſſitate, ſed voluntatis pravitate.

Trahit ſua quemque voluptas; voluntasque in bonum pro ſuo collubeſcentia fertur ſive verum ſive apparens: ac ſemel a vero, ſummo, ac incommutabili bono deficiens, converſa ad fluxa, & apparentia bona, illis delectatur, & inhæret; ſubverſo ordine, & dominio, quod ad imaginem DEI creatus homo habuit in ſe, & alias res, ut voluntas ceu domina uteretur rebus, & moderaretur ſe, ac appetitus ſuos juxta dictamina rectæ rationis, & voluntatem ſupremi Numinis ad optimos ab ipſo intentos fines.

Jam in alia omnia abit perverſitate ſua, nec verum intellectus cæcus ſemper proponit, & agnoſcit bonum, nec voluntatis appetitus ad illud inclinat; ſed terræ affixa hæret, & malum præ bono eligit. Neceſſario quidem in bonum fertur; ſed in illius electione abripitur pravis deſideriis, nec diſcernit, nec ſequitur ductum rectæ rationis, ac legis, voluntatisque divinæ, uti deberet, & poſſet, pro facultate ſua eligendi, quod lubet. Hæc ergo libertas manet, licet debilitatis viribus: *Ut tamen*, loquor cum TERTULLIANO, *inſit & bonum animæ, illud principale, illud divinum, atque germanum, & proprie naturale. Quod enim a DEO eſt, non tam extinguitur, quam obumbratur. Poteſt enim obumbrari, quia non eſt DEUS, extingui non poteſt, quia a DEO eſt. Itaque ſicut lumen aliquo obſtaculo impeditum manet, ſed non comparet, ſi tanta denſitas obſtaculi fuerit via: ita & bonum in anima a malo oppreſſum pro qualitate ejus, aut in totum vacat occulta ſalute, aut qua datur radiat inventa libertate. Sic peſſimi, & optimi quidam, & nihilominus unum omnes ani-*

De anima. c. 23.

mæ

næ genus ; ſic & in peſſimis aliquid boni, & in optimis nonnihil peſſimi. Alias idem contra Marcionitas eam veritatem, & doctores catholici omnes contra Manichæos libertatem arbitrii adſtruxerunt.

Sed alii hinc etiam dubiis angebantur, cur DEUS ADAMO hanc libertatem dederit, per quam præceps in malum ruerit. Difficultatem eam ab EVODIO ſibi propoſitam S. AUGUSTINUS diluit ſingulari opere. *L. II. de* Ubi inter alia libertatem hanc maxime in eo *lib. arb.* effulgere obſervat, quod ſit ſubjecta veritati, quod & felicitatem illius conſtituat. Sed hoc eſt, quod homo lapſus perdidit in pœnam peccati, ut eo bono privaretur, cujus bonum uſum facere noluit, ut ibidem ſanctus doctor docet, & alibi contra Pelagianos ubique inculcat, & urget corruptionem naturæ. *In tantum enim*, inquit, *ſana non eſt, in quantum id, quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet ; dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non ea, quæ vult homo faciat.* Et hanc ſanctus doctor vocat neceſſitatem, ac libertatis jacturam, veræ, inquam, illius ſanæ, & integræ libertatis. *Ipſa enim*, paulo poſt ait, *ſanitas eſt vera libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas. Quia vero peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas.* Non idcirco ipſum deſtructum vult liberum arbitrium. *Semper eſt autem in nobis voluntas libera*, inquit, *ſed non ſemper eſt bona.* Nimirum Pelagiani integrum ſtatuebant liberum arbitrium, quale fuit ante lapſum, ut poſſit æque ſe in bonum convertere, quam in malum :

De per-
fect. juſti-
tiæ. c. 2.

Ib. c. 4.

De grat.
& lib. arb.
c. 15.

Oper. imperf. L. I. c. 82.

Quæ, ut JULIANUS apud AUGUSTINUM loquitur, *in ſuo utpote jure habet, utrum ſurgentium partem ſequatur, id eſt, vel ardua, aſperaque virtutum, vel demerſa, & paluſtria voluptatum.* Hoc, in æquilibrio ita verſans arbitrium, negavit S. AUGUSTINUS, nec admittit catholica de peccato originali, indeque orta corruptione, doctrina: *qua agnoſcitur in prævaricatione ADÆ*, ſunt verba INNOCENTII, *omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere.* Hæc eſt enim concupiſcentiæ tyrannis, ut nos ſub ſervitute peccati detineat; vigor arbitrii, non electio periit, quemadmodum rem GENNADIUS recte explicat; ut juxta FULGENTIUM, *ſit quidem liberum, non tamen bonum: ſit liberum, non tamen rectum: ſit liberum, non tamen ſanum: ſit liberum, non tamen juſtum: & quanto magis a bonitate, rectitudine, ſanitate, juſtitiaque liberum, tanto magis malitiæ, perverſitatis, infirmitatis, atque iniquitatis mortifera ſervitute captivum.*

Epiſt. ad conc. Carthag.

Gennad. de dogm. eccl. art. 21.

Epiſt. 17. nomine Epiſcop. Africanorum ad Monachos Scythiæ.

Quodſi gravioribus quandoque patres uſi ſunt terminis, in expugnanda contraria hæreſi Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum, ſemper tamen tenuit catholicum dogma, & etiamnum hodie contra proteſtantes tenetur, ac definitum eſt a concilio Tridentino, & contra Janſeniſtas in decretis pontificum, non eſſe penitus deſtructum liberum arbitrium, ſed debilitatum; ut non cum neceſſitate, ſed difficultate agat. Alias imputatio peccati ceſſaret, nec ad impoſſibilia quis juſte obligaretur, præſertim ex alieno ADAMI peccato. Quomodo QUESNEL.

NELLUS voluit, poſt lapſum ſufficere ad peccatum libertatem interpretativam, qua aliquid liberum ſit in ſua cauſa, peccato originali, & voluntate ADAMI peccantis. Unde varii alii etiam in praxin errores conſequuntur, quos in QUESNELLO damnavit ſedes apoſtolica.

Cavendum tamen etiam eſt, ne in alterum lapſus fiat extremum, quod pronum eſt, nimium extenuando peccati originalis funeſtos effectus, & corruptionem naturæ humanæ in malum proclivis; opusque fuit hic, ut auctoritatem ſuam interponeret eccleſia, noſtra etiam ætate.

§. XVIII.

Patet hinc mali origo, quod homo creatori ſuo benigniſſimo rebellis factus, rebellem in ſe ſentiat naturam, talemque circumferat, quæ ſemper ad deterius pelliciat, & præcipitet. Unde omnis mali origo noſtra culpa.

Fecit DEUS hominem rectum, ac omni ex parte beatum. Sed is fallaciis ſatanæ miſerè circumventus a DEO creatore ſuo optimo turpiter defecit, ejusque legem, & auctoritatem proterve conculcavit. Hinc a DEO averſa natura miſerandum in modum eſt corrupta, ficque conſtituta per naturalem generationem in omnes devenit: *Quod natum eſt ex carne caro eſt.* Qualis eſt arbor, tales edit fructus, atque animal gignit ad ſimilitudinem naturæ ſuæ. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Jo. III. 6. Job. XIV. 4.

Non hoc vitium eſt naturæ, ſed prævaricationis. Bona illa, quæ ſua culpa amiſit, protoparens nobis transmittere non potuit, nec redintegrare vitium, quod ipſe naturæ intulit in contumeliam creatoris, cujus opus in ſeipſo corrupit, & graviter offendit, læſitque majeſtatem, cui ſatisfacere minime potuit, ſeque, ac poſteritatem ſuam, cujus caput erat, & ſponſor, dejecit ſtatu integritatis ſuæ, talemque reliquit, qualem natura fert carni immerſa, ſenſibus affixa, DEO ſuo rebellis, & ab eo aliena, ad alia deficiens ſenſibilia bona: donec reſarciatur per CHRISTUM injuria, & revocetur anima, renovetur imago DEI, natura mundetur. *Ita omnis anima*, inquit TERTULLIANUS, *eousque in ADAM cenſetur, donec in CHRISTO recenſeatur: tamdiu immunda, quamdiu mundetur. Peccatrix autem quia immunda recipiens ignominiam ſuam ex carnis ſocietate. Nam & ſic caro peccatrix, ſecundum quam incedere prohibemur, cujus opera damnantur concupiſcentis adverſus ſpiritum. Ob quam carnales notantur, non tamen ſuo nomine infamis.* Hic eos perſtringit, qui carnis ipſam naturam, non corruptionem hominis, ipſius culpa factam, carpebant.

De anima. c. 22.

Alii fatum, & neceſſitatem dicebant, qua hominem cernebant abripi concupiſcentia carnis. Alii carnem ac corpus dicebant eſſe carcerem, non proprium domicilium animæ a DEO creatum, & conſociatum. Sed in ſtatu integritatis ſine contrarietate, & rebellione inteſtinarum harumce partium erant corpus, & anima intime ſibi juncta. Rebellionis autem cauſam veram ſolus chriſtianus agnoſcit, & deplorat miſeram ſuam ſortem. *E paradiſo deje-*

dejectus sum, loquentem inducit hominem S. GREGORIUS NAZ. *atque in terram, ex qua sumtus fueram, aversus sum, id unum deliciarum loco habens, quod calamitates meas cognitas habeam, & pro exigua voluptate perpetuo mœrore damnatus sum, eamque pœnam pendo, ut mihi cum eo, qui male in meam amicitiam irrepsit, ac per arboris gustum in fraudem me induxit, bellum gerere sit necesse. Hinc factum est, ut ad laborem nascar, & vivam, & moriar. Hinc indigentia nata est, ex indigentia cupiditas plus habendi, ex cupiditate bella, ex bellis porro tributa, quibus in divina condemnatione nihil gravius est, & acerbius.* Orat. 9.

Hæc est cupiditas illa, seu concupiscentia, quæ carnis nomine venit, radix omnium malorum fons omnium vitiorum, ac vituperatur unice, uniceque est omnis mali origo. *Caro igitur*, inquit TERTULLIANUS, *increpatur in scripturis, quia nihil anima sine carne in operatione libidinis, gulæ, vinolentiæ, sævitiæ, idololatriæ, cæterisque carnalibus non sensibus, sed effectibus.* De anima. c. 4. Quoniam igitur sponte abripi se sinit anima, ac fœdari, sibi soli deputet mala sua, quæ ipsa facit lubens, habens arbitrium suæ voluntatis, & culpam pravitatis, non exercens dominium, quod ad imaginem DEI condita, accepit, dominari vero in se permittens concupiscentiam, quæ, cum parit, parit peccatum. Non ipsi naturæ insitum est peccatum, nisi cum consensu nostro in actionem erumpat, quod cohibere in potestate est arbitrii, si rite virtutem excolamus, & concupiscentiam domemus. *Cum autem*, inquit S. CHRYSOSTOMUS *peccatum audis, ne putes esse vim quamdam existentem,* Hom. 12. in epist. ad Rom. n. 6. 7.

ſed malam actionem ſemper accedentem, & recedentem : quæ non erat antequam fieret, & poſtquam facta eſt, rurſum deletur. Ideo namque & lex data eſt : lex vero nunquam ad naturalium interitum datur, ſed ad emendationem mali ſecundum voluntatem actus. Hoc externi quoque legislatores ſciunt, nec non univerſa hominum natura. Ea enim tantum coercent mala, quæ ex ſegnitie facta ſunt, non vero ea, quæ naturæ cohærentia ſunt, exſcindere profitentur. Nam, quæ naturalia ſunt, immota manent .... Quapropter his miſſis certaminibus, moralem rurſus ſermonem excutiamus : imo vero hæc illorum certaminum maxima pars eſt. Nam ſi nequitiam depellamus, virtutem inducamus, & hinc clare oſtendamus, vitium non eſſe naturæ malum ; eos, qui, unde mala ſint, quærunt, non modo verbis, ſed etiam operibus poterimus ad ſilentium cogere : quod, cum ejusdem ſimus naturæ, a malitia eorum exemti ſumus.

Hæc eſt aſceſis chriſtiana, ac myſtica, ad interiorem renovationem hominis, theologia, qua reformatur imago DEI, ac dominium ſuperioris, quem vocant, in inferiorem hominem, recuperatur, concupiſcentia ſupprimitur, & virtus regnat, paulatim ſuccumbentibus hoſtibus, & facili ſeſe exhibente virtutum exercitio, peccati autem ſequente interitu. *Ne vero*, pergit aureum os, *illud conſideremus, laborioſam eſſe virtutem ; ſed potius poſſe illam a nobis exerceri ; ſi vero ſtudeamus, eam nobis omnino facilem fore. Si vero mihi nequitiæ voluptatem opponas, ejus quoque finem dicito. In mortem enim illa deſinit : quemadmodum virtus in vitam nos manuducit. Imo, ſi videtur, utramque etiam*

Ib. n. 7.

etiam ante finem examinemus. Videbimus enim nequitiam multum doloris ſecum ferre; virtutem vero multam voluptatem.

CAPUT III.

De neceſſitate, & virtute gratiæ CHRISTI.

§. XIX.

Naturæ noſtræ ita ſauciatæ, ac miſere collapſæ opus fuit medicina ſalutari, manuque auxiliatrici, quam miſericordiſſime præbuit optimum Numen, *gratiæ* favore benigniſſimo, ac virtute. Naturæ ſauciatæ ſume neceſſaria eſt virtus gratiæ.

Cum potuiſſet DEUS, uti infelicibus angelis contigit, in abyſſum miſeriarum abjectum humanum genus derelinquere, ſola benignitate inductus, illud neutiquam perire voluit, ſed liberare modo, & conſilio ſummæ ipſius bonitati haud minus quam juſtitiæ, & ſapientiæ infinitæ convenienti, ad eum, ob quem conditi ſumus, finem revocare, ut ad propoſitum felicitatis æternæ præmium poſſemus pervenire, ſi oblato uteremur munere gratiæ ſingularis, ſeu propenſiſſimo favore erga peccatores nos non ſolum nihil meritos, ſed etiam plane indignos: niſi DEUS ſummam voluiſſet miſericordiam nobis impendere, & talia ad manum præbere gratiæ auxilia, quibus emergere e miſero ſtatu noſtro poſſemus,

atque viam ſalutis noſtræ proſequi, cum DEO iterum reconciliati per plenam ſibi præſtitam ſatisfactionem, atque ſanatis naturæ vulneribus, quibus a proſequendo beatitudinis ſcopo impediebamur. *Apparuit benignitas, & humanitas ſalvatoris noſtri DEI: non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* Sicut autem per unum in omnes damnatio in interitum, ita per unum redemtio in ſalutem accidit. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria DEI. Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto JESU, quem propoſuit DEUS propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione DEI, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide JESU Chriſti.* Sic ergo & ſibi ſatisfecit, & nobis, *ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia, & prudentia.* Qui ſunt radii divinitatis in operibus gratiæ reſplendentes: *Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos.* Non tantum ut nobis conſpicua eſſent ſumma DEI attributa, ſed etiam proficua, atque in nos redundarent; ſol divinæ juſtitiæ miſericorditer nobis illaberetur, nosque refocillaret, & reſtitueret, refingeretque imaginem ſuam in ſanctitate, & juſtitia: *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* Hic eſt ille diviniſſimus gratiæ influxus, hæc lux deſuper irradians, atque priſtinum in nobis vigorem, & vitam reſtaurans.

Tit. III. 5.

Rom. III. 23.

Eph. I. 7.

Eph. II. 7.

Eph. I. 4.

rans. Idcirco inter alios a S. GREGORIO NAZ. gratia animæ ad operandum non minus neceſſaria dicitur, quam lumen oculis ad videndum, ſine qua non niſi cadaver ſimus; *Carm.* 59.

Dum CHRISTUS mihi præſtat opem, mihi præſtat opesque,
Qui facit ut cernam, curſu ferar atque ſecundo
Quo ſint mortales vaniſſima ludicra cuncti,
Quo cuncti ſint viva cadavera, putrida noxis.
Nam neque ſubmoto volitantes æthere cernas
Pennigeras volucres: nec demtis fluctibus unquam
Delphinum æquorea poterant regione natare.
Sic quoque præſidio CHRISTI ſine tollere greſſum
Haud unquam mortale genus queat.

Sed imprimis S. AUGUSTINUS contra Pelagianos neceſſitatem gratiæ ex naturæ noſtræ pravitate, & inertia ad omne bonum probat. Inter alios autem huc pertinet liber præclarus *de natura, & gratia* contra PELAGIUM, qui naturæ vires extulit, eamque integram eſſe defendit, ex inſtituto eum in finem editus, ut gratiæ neceſſitas ob noſtram corruptionem demonſtretur, qui ad bonum inertes ſumus, niſi gratia in nobis vigeat. Ita autem in hoc totus eſt, ut inde alii ex adverſo poſiti patrocinium ex eo ſumant, quaſi liberi arbitrii vires non acciſas tantum, ſed penitus deſtructas aſſeruerit; dum unice in id intentus erat, ut neceſſariam ad illud ſanandum gratiam aſſereret, in contrario errore arcem hæreſeos ponens; *Liberum autem,* inquit, *eſſe quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio DEI, & non erui parvulos a poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum DEI, hoc vos dicitis, hinc eſtis Cœleſtiani, & Pelagiani.* *S. Aug. de nupt. & concup. L. II. c. 3.*

§. XX.

§. XX.

Quam multi ingrati non agnoſcunt.

Multo plures ſunt, qui huic tam neceſſariæ, ac unice ſalutari doctrinæ adverſentur, quam videatur, non tantum aperti hoſtes veteres, & recentiores, ſed etiam fideles illi, qui ſuæ naturæ, & viribus pluſculum tribuentes, gratiæ juſtum, ingrati, non ſtatuunt pretium.

L. III. de nat. deorum.

Inter gentiles tam fuit concors error, DEO gloriam bonarum actionum auferens, ut CICERO non dubitarit dicere, virtutem neminem unquam acceptam DEO retuliſſe. Et ſi fortunas, ac reliquà omnia DEO largitori tribuerunt, aut a DEO ſperanda putarunt, non tamen hoc quod præſtantiſſimum: Hinc HORATIUS:

Det vitam, det opes: animum mi æquum ipſe parabo.

Et CICERO putavit, fortunam a DEO petendam, a ſeipſo ſumendam ſapientiam. Ita ſuperbus turgebat philoſophorum animus, eorum cumprimis, qui virtuti plurimum tribuerunt. S. HIERONYMUS hæreſin Pelagianam dicit omnium hæreticorum venena complecti, quæ de philoſophorum, & maxime PYTHAGORÆ, & ZENONIS principis Stoicorum fonte manarunt.

Epiſt. ad Cteſiphontem.

Oriente chriſtianiſmo hic primus fuit error, quem S. PAULUS in epiſtolis ad Romanos, & Galatas refellere debuit, Judæorum, obſervantiæ legis, ac gentilium, ſtudio ſapientiæ tribuentium eam, quam a CHRISTO ſpera-

ſperamus, ſalutem. Nec potuit ultra aſſurgere vulgata Judæorum de MESSIA opinio: nec digne de CHRISTI gratia ſentire potuerunt, qui de Incarnatione Verbi ſiniſtram tenuerunt ſententiam magno numero ab Ebionitis uſque ad ARIUM, & NESTORIUM, horumque deinceps ſectatores. Queis qui præluſerunt, iidem etiam hæreſis Pelagianæ anteſignani habentur imprimis THEODORUS MOPSUESTENUS, qui NESTORIO, & ORIGENES, qui ARIO præiviſſe multis creditur, ac etiam Pelagianis, quos ad ORIGENEM ceu amaſium ſuum relegat in fine dialogorum contra Pelagianos S. HIERONYMUS, & in laudata ad CTESIPHONTEM epiſtola eundem Pelagiani erroris vocat principem: *Qui*, inquit, *præterita in cœlis, & antiqua delicta ſolvi dicit in baptiſmo: ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem ſequamini.* *S. Hier. dial. cont. Pelag.*

De aliis doctoribus priorum ſæculorum æquius eſt judicandum, qui doctrinam hanc de gratia non ſubtilius, & exquiſitius tractarunt, extra illas controverſias poſiti, quæ poſtea chriſtianum orbem in partes traxerunt. Itaque excuſationem merentur, ſi quid, non limatum ſatis, ad præfinitas poſtea ab eccleſia, doctoribusque eccleſiæ, loquendi formas, dixerunt, humanæ naturæ, aut etiam philoſophiæ pluſculum tribuerunt, quo faciliorem redderent gentilium converſionem, nec penitus dejicerent: quemadmodum etiam JUSTINUS, ac ORIGENES de philoſophorum quorumdam ſalute bene ſperaſſe, CLEMENS ALEX. peccatum originale non agnoviſſe viſus eſt. Jactabat idem PELAGIUS de plerisque Græcis, & Latinis patri-

patribus, atque in ſuas vocabat partes, ſed a S. AUGUSTINO calumnia retuſa eſt. Miſericordiam DEI illi ampliſſime deprædicabant, ac ſimul etiam ſtudium chriſtianum inflammabant; de concordia mutua non diſputabant ſubtiliter, quam poſtea PELAGIUS impetiit.

PELAGII hoc principale fuiſſe argumentum, ex S. HIERONYMI laudata ad CTESIPHONTEM epiſtola diſcimus, ut vel gratiæ, vel libero arbitrio ſint tribuendæ actiones, ſi aut illius, aut hujus debeant eſſe opus. Hinc cum noſtræ ſint actiones, gratiæ neceſſitatem, niſi ſummum ad facilius agendum, admittere detrectavit, peccatum originale negans: & dum etiam nonnunquam neceſſitatem gratiæ viſus eſt agnoſcere, ut verſipellis nonnunquam ſimulavit, de longe alia id intellexit gratia, quam ea DEI motione, qua voluntas ad actus veræ pietatis incitari, & juvari eget, atque liberum arbitrium aptum reddi, quod contendit S. AUGUSTINUS: *Ad bene, pieque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis DEI gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta.*

Cont. duas epiſt. Pelag. L. II. c. 5.

Contrarius error ſumme pernicioſus, cum primum oriri cœpit totis viribus, ob damna inde in fideles redundantia, retundi debuit: quod probe patres Milevitani epiſtola ad INNOCENTIUM papam agnoſcunt; ut ſi etiam PELAGIUS, & COELESTIUS ab errore revocari non poſſent, fideles ſaltem a ſcandalo liberentur, & errore, qui facile in animum irrepſit, ut fideles bona, quæ in ſe habent, ſibi tribuant. S. AUGUSTINUS in ſermone Carthagine habito teſtatur, ſe in

Serm. II. ſuper D. Paulum.

ſuis

ſuis ſermonibus de neceſſitate gratiæ frequentem ſermonem injicere ob ingratos, quia eam non agnoſcerent, nimiumque viribus liberi arbitrii tribuant. Quod fieri pronum eſt, ea ipſa cæcitate humanæ mentis, quam ex corruptione connata trahimus, ut nos ipſos non cognoſcamus. Huc etiam inſigne carmen S. PROSPERI *contra ingratos* referri debet. Cum nulla major ſit ingratitudo, quam ſibi ipſi, viribusque liberi arbitrii tribuere, quod eſt maximum miſericordiæ, & potentiæ ſalvatoris opus.

Qua in re non ſolum Pelagiani aberrant, qui omnia homini tribuerunt, ſemi-Pelagiani, qui partiuntur DEUM inter, & hominem, huic tamen plus quam DEO tribuunt, principium converſionis, ac initium fidei in homine ponentes; ſed etiam Synergiſtæ illi, quales hodie inter Lutheranos multi reperiuntur, qui partitionem inter opus ipſum bonum faciunt, partem ſibi, partem gratiæ attribuunt, modo agendi naturali facultatibusque naturalibus nimium tribuentes, quoad converſionem, & exercitationem pietatis. Qui error facilius ſeſe in mentibus humanis, ipſaque praxi inſinuat, & inadvertenter; dum forte in mente nullus eſt error, aut nulla ſcientia theologica apud ſimplices. Habemus exemplum antiquum in ſecundo concilio Arauſicano: ubi patres hac occaſione ad doctrinam de gratia, & libero arbitrio definiendam inducti ſunt, inter alios autem hunc numero ſeptimum canonem poſuerunt. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abs-* *T. IV. conc. p. 1668.*

absque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem DEI in evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere &c. Qui etiam pietati ſtudent, hic ſolent abripi, ut in ſemi-Pelagianis conſtat, aſceticæ vitæ plerisque addictis.

§. XXI.

Cum ſit fundamentum religionis, ac fidei in CHRISTUM.

Hæc eſt ergo totius religionis chriſtianæ ſumma, & unice ſalutaris ſpes gratiæ CHRISTI ſalvatoris, ut ſicut per unum hominem mors, & pernicies, ita per unum vita, & ſalus obtingat.

Rom. V. 8. *Commendat autem charitatem ſuam DEUS in nobis: quoniam, cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, CHRISTUS pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si ergo, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus DEO per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* Inſtituit hic comparationem gentium doctor inter reconciliationem, ſatisfactionemque, quam pro nobis DEO Patri præſtitit CHRISTUS, & ſanctificationem noſtram, per quam in eodem CHRISTO domino ſalutem unice ſperamus: *Apparuit enim gratia DEI ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, exſpectan-*

Tit. II. 11. &c.

ſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni DEI, & ſalvatoris noſtri JESU Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Prius non negare ſunt auſi Pelagiani, ſatisfactionem CHRISTI pro peccatis noſtris, & redemtionem in ſalutem credentium; ſed cum negarent peccatum originale, corruptionem naturæ, ac infirmitatem, hoc a CHRISTI gratia non putabant neceſſario exſpectandum, in quo ſuapte natura eniti poſſemus, & fructum bonorum operum metere ad ſalutem noſtram. Sociniani autem hodie utrumque negant magis quidem conſequenter errantes, ſed pejus utrumque & ſatisfactionis, & juſtificationis opus CHRISTO abnegantes. Ambo autem deſtruunt redemtionis opus, & ſalutem in ſe reponunt, in ſe non in Domino gloriantur contra S. PAULUM, qui vult, ut, *qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Gloriam autem totam DEO tribuere, non cum eo partiri debemus; ſed gratuito ad ſalutem non deſtinari ſolum, ſed etiam perduci certo perſuaſos eſſe oportet. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* In omnibus his opus, ac gloria DEI, & pretium redemtionis eſt. *Non ſolum autem: ſed & gloriamur in DEO per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt...* *Rom. VIII. 30.* *Rom. V. 11. &c.*

Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis JESU CHRISTI in plures abundavit. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum; nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. In quæ verba S. CHRYSOSTOMUS a S. AUGUSTINO relatus, *quoniam ergo*, inquit, *plura introducta ſunt bona, & non ſolum illud interfectum eſt peccatum, ſed etiam omnia reliqua, oſtendit dicens: Gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Et poſt paululum ait: *Primo enim dixit, quoniam ſi unius peccatum interfecit omnes, multo magis & unius gratia poterit ſalvare. Poſt hæc autem oſtendit*, inquit, *quoniam non illud ſolum interfectum eſt peccatum per gratiam, ſed etiam omnia reliqua, & non ſolum peccata interfecta ſunt, ſed etiam & tributa juſtitia eſt.*

Cont. Jul. L. I. c. 6.

§. XXII.

In totum genus humanum.

A primo parente noſtro ADAM omnes, qui etiam ante CHRISTI adventum bene vixerunt, & ſalvi facti ſunt, nonniſi anticipatione gratiæ CHRISTI id ſunt conſecuti.

Fœdus gratiæ cum ſtatim poſt primorum parentum lapſum promulgatum fuerit, dum ad ſerpentem dixit DEUS: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*, etiam inde ipſius virtus, & executio eſt repetenda. Hinc apoſtolus PAULUS

Gen. III. 15.

Hebr. XI.

ab

ab origine recenſens fideles patriarchas, fidei eorum omnia tribuit. S. GREGORIUS NAZ. hoc ſibi, & omnibus probari dicit DEI amore præditis: *Neminem videlicet eorum, qui ante CHRISTI adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra CHRISTI fidem eſſe conſecutum.* Calumniabantur Pelagiani, a catholicis non credi ſanctos veteris teſtamenti peccatis eſſe liberatos. Hæc ſunt apud S. AUGUSTINUM JULIANI verba: *Dicunt, inquit, ſanctos in vetere teſtamento non caruiſſe peccatis, id eſt, nec per emendationem a criminibus fuiſſe liberos, ſed in reatu a morte fuiſſe deprehenſos.* Imo, reſpondet S. AUGUSTINUS, *dicimus vel ante legem, vel tempore veteris teſtamenti à peccatis fuiſſe liberatos, non virtute propria; quia maledictus omnis qui ſpem ſuam ponit in homine, & in hoc ſine dubio maledicto ſunt, quos etiam pſalmus divinus notat, qui confidunt in virtute ſua: nec vetere teſtamento, quod in ſervitutem generat, quamvis certæ diſpenſationis gratia divinitus datum ſit: nec ipſa lege ſancta, & juſta, & bona, ubi ſcriptum eſt. Non concupiſces, quoniam non eſt data, quæ poſſet vivificare, ſed prævaricationis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt: Sed liberatos eſſe per ſanguinem ipſius redemtoris, qui eſt unus mediator DEI, & hominum homo CHRISTUS JESUS. Iſti autem inimici gratiæ, quæ data eſt puſillis, & magnis per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, ideo dicunt, antiquos homines DEI perfectæ fuiſſe juſtitiæ, ne CHRISTI Incarnatione, paſſione, reſurrectione, cujus fide ſalvi facti ſunt, credantur eguiſſe.*

Orat. 22.

Cont. duas epiſt. Pelag. L. I. c. 7.

Nimirum Pelagiani catholicis neceſſitatem gratiæ CHRISTI propugnantibus, juſtos & ſanctos veteris teſtamenti, qui ante CHRISTI adventum vixerunt, objiciebant, quaſi propriis viribus ad tantam juſtitiæ perfectionem pervenerint. E contra LUCIDIUS presbyter in contrario errore eſſe debuit, ſi revera, quod recantavit, opinione tenuit. *Qui dicit ab ADAM uſque ad CHRISTUM nullas ex gentibus per primam DEI gratiam, id eſt, per legem naturæ in adventum CHRISTI fuiſſe ſalvatas, eo quod liberum arbitrium ex omnibus in primo parente perdiderint.* Utriusque erroris idem eſt fons, quaſi gratia CHRISTI ante ejus adventum virtutem non exercuerit, quæ quidem *aucta eſt CHRISTO naſcente, non cœpta*, ut S. LEO loquitur. *Et hoc*, pergit, *magnæ pietatis ſacramentum, quo totus jam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum.* S. PROSPER ad objectionem octavam Gallorum, cum incomprehenſibile dixiſſet, quare præteritis ſæculis DEUS dimiſerit omnes gentes ingredi ſuas vias, quando JACOB ſibi elegit, id pro certo vult teneri: *Quod nulla ſit apud DEUM iniquitas: nec alia gratia, aut alia fide quemquam hominum, ſive ante legem, ſive legis tempore juſtificatum eſſe credendum ſit, quam hac eadem, per quam Dominus noſter JESUS Chriſtus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ in fine ſæculorum venit quærere, & ſalvare, quod perierat.*

T. VIII. Bibl. PP. p. 528.

Serm. 22.

§. XXIII.

§. XXIII.

Eſt autem illapſus, & operatio Spiritus ſancti, cujus participes roboramur, & reformamur ſpiritu mentis noſtræ ad profectum ſpiritualem noſtræ ſalutis. Per internam Spiritus S. operationem.

Nihil ita ſolemniter in evangelio promiſſum, & in prophetis prædictum eſt, quam Spiritus ſancti miſſio in fidelium corda. *In novisſimo autem die magno feſtivitatis ſtabat JESUS, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: Nondum enim erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat clarificatus.* Feſtivitatis illa dies haud dubie ea erat, cujus anniverſaria poſtea ſolemnis adventus ſuper apoſtolos in pentecoſte fuit factus: non quod prius ejus operatio nulla fuerit, ſed quod tunc ſolemnis ad profectum evangelii factus fuerit illapſus. „ Hic etiam, inquit S. CYRILLUS HIEROS. in omnes juſtos, & „ prophetas venit: ENOS, dico, ENOCH, „ NOE, & reliquos, ABRAHAM, ISAAC, „ JACOB. „ Et S. LEO: „ Patriarchæ, & „ prophetæ, & ſacerdotes, omnesque ſancti, „ qui prioribus fuere temporibus, ejusdem „ ſunt Spiritus ſancti ſanctificatione vegetati: „ & ſine gratia hac nulla unquam inſtituta ſa- „ cramenta, nulla ſunt celebrata myſteria, ut „ eadem ſemper fuerit virtus chariſmatum, „ quamvis non eadem fuerit menſura donorum. „ *Jo. VII. 37. &c.* *Cat. XVI. n. 27.*

Sic ergo prædictus eſt in veteri teſtamento, quomodo etiam MESSIAS; ut tamen illius participes fuerint non ſolum prophetæ, qui ab eo habuerunt, quod prædixerunt, ſed etiam ſancti omnes, & juſti ejus virtute fuerint vegetati, a quo omnis profectus ſpiritualis noſtræ ſalutis eſt, quæ eſt ipſa gratia CHRISTI. Rationem, & modum pulchre DIDYMUS oſtendit: „ Sicut autem ſuper „ domum ſuam Dominus JESUS, cujus do- „ mus nos ſumus: ita domus CHRISTI tem- „ plum DEI éſt: in quo Spiritus ejusdem in- „ habitat DEI. Si autem in domo, & tem- „ plo, quod Pater, & ſalvator inhabitat, il- „ lico & invenitur Spiritus ſanctus, ex hoc „ indiviſæ Trinitatis ſubſtantia demonſtratur. „ Cum indivulſa ſit videlicet„ ait S. CYRILLUS HIEROS. „ & concors, unicaque „ ſalutis erga nos diſpenſatio, quæ ex Patre, „ & Filio, & Spiritu ſancto exiſtit, uti & „ antea diximus. Memores enim vos eſſe eorum, quæ nuper diximus, & diſerte tenere, „ non alium in lege, & prophetis, aliumque „ in evangeliis, & apoſtolis eſſe, ſed unum, „ & eundem Spiritum S. qui in veteri, & novo teſtamento divina elocutus eſt. „ Diſcrimen autem poſtea deſignat: „ Idem ſpiritus „ manens id quod eſt, quum & in prophetis „ ſæpe vim exſeruerit, nunc novi quidpiam, „ & admirandi deſignavit. Antea quidem & „ in patres gratia pervenit: nunc vero cum „ exſuperantia, ibi ſiquidem ſancti Spiritus „ participationem recipiebant, hic vero integre ac plene baptizati fuere. „ THEODORETUS alteram repetit cauſam ex illis prophetæ verbis: „ *Et dabo vobis cor novum*, „ *& ſpiritum novum dabo vobis.* Per hæc „ men-

De Spir. S. p. 509.

Catech. XVII. n. 5.

Ib. n. 18.

In cap. 36. *Ezech.*

mentis mutationem ſignificavit, inquit: Ad „ meliora enim cor veſtrum inclinabit, non „ item ſecundum priſtinam conſuetudinem ad „ deteriora propendentes. „ Notat S. EPHREM haud dubie Meſſalianos, in tractatu contra impudicos, & in ſuo teſtamento: qui mox ad influxum Spiritus S. in animam hominem omnibus paſſionum motibus liberari aſſerebant, hinc opus non eſſe amplius dictitantes exercitiis mortificationis, queis concupiſcentia juxta evangelii præcepta ſit ſubigenda.

§. XXIV.

Ac gratiam gratum facientem imprimis.

Cum plures ſint operationes ſpiritus, & gratia alia gratis data, alia gratum faciens: hæc præcipua eſt, primario, ac per ſe deſtinata, ad ſpiritualem ſalutem illius, cui datur.

Gratia gratis data eſt donum ſupernaturale, ad utilitatem aliorum per ſe primo deſtinatum. *Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: Et diviſiones operationum ſunt, idem vero DEUS, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: Alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: Alteri fides in eodem ſpiritu: Alii operatio virtutum &c.* 1. Cor. XII. 4. &c. Hæ ſunt gratiæ gratis datæ ab initio præſertim eccleſiæ neceſſariæ ad eccleſiæ ædificationem; quamvis nec hactenus ad illius conſervationem deficiant. De his poſtquam apoſtolus diſſeruiſſet, laudato epiſtolæ primæ ad Corinthios loco, ad finem ca-

Ib. v. 31. pitis duodecimi: *Et adhuc*, inquit, *excellentiorem viam vobis demonſtro.* Tum capite ſequenti ſic infit: *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.*

Hinc repetitur diſtinctio gratiæ gratis datæ, & gratum facientis: atque hujus præ illa præ-
Luc. X. 19. 20. ſtantia & neceſſitas ad ſalutem: *Ecce dedi vobis*, ait CHRISTUS, *poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Et
Matt. VII. 22. apud MATTHÆUM: *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos, diſcedite a me, qui operamini iniquitatem. Tanta certe*, inquit
L. I. cont. Celſ. n. 6. ORIGENES, *vis nomini JESU ineſt contra dæmones, ut nonnumquam etiam a malis nominatum ſit efficax; quod docens JESUS dicebat: Multi dicent mihi &c.* S. CHRYSOSTOMUS occaſione ſumta ex titulo *actuum apoſtolorum*, cur apoſtolus non poſuerit *miracula apoſtolorum*, ſed *acta apoſtolorum.* Allato diſcrimine inter *acta*,
Hom. II. in inſcript. act. n. 3. & *ſigna*, de præſtantia etiam loquitur: „ Majus quidem eſt miraculum, ac formidabi-
„ lius, ac naturam noſtram exſuperat: actio
„ vero, & converſatio res quidem eſt ſignis
„ minor, ſed utilior, & fructuoſior. Eſt quip-
„ pe laborum præmium, & diligentiæ mer-
„ ces. Atque ut intelligas, fructuoſiorem eſ-

ſe,

ſe, atque utiliorem ſigno actionem, actio „
quidem bona etiam ſine ſignis eos, a qui- „
bus peracta fuerit, introducit in cœlum: „
miraculum autem, & ſignum absque con- „
verſatione deducere ad veſtibula illa non „
poſſunt. Quo vero pacto id fiat, o- „
ſtendam. „ Affert autem in argumentum allatum a me MATTHÆI locum. Poſtea, quid conſtituerit apoſtolum, quid nobis in illis æmulandum ſit, juxta PAULUM nimirum chariſmata meliora, docet: „ Neque „ enim, inquit, ſigna fecerunt apoſtolos, ſed „ vita munda. „ Quod comprobaturus ſic pergit: „ Cum enim imagines diſcipulorum „ effingeret, & quodnam apoſtolatus inſigne „ ſit, declararet, ita dixit: In hoc cognoſcent „ omnes, quod diſcipuli mei eſtis; In hoc, in „ quo? In miraculis faciendis, in mortuis ſu- „ ſcitandis? Nequaquam, inquit: ſed in quo tan „ dem? In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipu- „ li mei eſtis, ſi vos invicem diligatis? Atqui „ dilectio non miraculorum eſt, ſed conver- „ ſationis. Plenitudo autem legis dilectio eſt. „ Vide eundem duabus homiliis in Pentecoſten, ubi, unde præſentia Spiritus ſancti dignoſcatur ad eundem modum explicat, per gratiam nimirum gratum facientem, non gratis datam. Per quam nimirum *charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, juxta D. PAULUM, unde DEUM benedicit: *Benedictus DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in CHRISTO, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate.*

1. *Cor. XII.* 31. *S. Chryſoſt. L. c.*

Eph. I. 3.

§. XXV.

Et vires ſupernaturales ſubminiſtrantem.

Hæc eſt lex gratiæ, in qua, quod jubetur, ut præſtetur, vires ſubminiſtrantur ſpirituales, atque operatur in nobis Spiritus ſanctus.

Catech. XVI. 22. „ Magnum quiddam „ inquit S. CYRILLUS HIEROS. „ & omnipotens in donis, & „ admirabile Spiritus ſanctus eſt. Cogita quot „ nunc hic aſſidetis: quot animæ adſumus. „ Unicuique convenienter operatur, & medius adſtans uniuscujusque compoſitionem „ videt, & cogitationem, & conſcientiam, quidque & loquamur, & mente agitemus. Magnum quidem eſt id, quod modo dixi, ſed „ adhuc tenue. Conſideres velim mente ab „ eo illuſtratus, quot ſint totius hujusce parœciæ chriſtiani; quotque totius provinciæ „ Palæſtinæ. Rurſus protende mentem ab „ hac provincia in totum Romanorum imperium; & ab hoc aſpectum converte in mundum univerſum; Perſarum genera, & Indorum nationes, Gothos, & Sauromatas, „ Gallos, Hiſpanosque, Mauros, & Afros, „ & Æthiopes, & reliquos, quorum nec nomina novimus: multi ſunt enim populi, „ quorum ne ipſa quidem nomina ad notitiam noſtram devenere. Conſpice cujusque gentis epiſcopos, presbyteros, diaconos, monachos, virgines, & reliquos laicos: „ & vide magnum rectorem, ac præſidem, „ donorumque largitorem, quomodo in omni „ mundo illi pudicitiam, iſti perpetuam virginitatem, huic eleemoſynæ conferendæ, alii „ paupertatis ſtudium, alteri adverſantium „ ſpirituum effugandi vim attribuit; & quem-

„ admo-

admodum lux uno radii conjectu omnia collustrat, sic & Spiritus sanctus eos, qui oculos habent, illuminat. „ Hæc pluribus illic, atque ex instituto in catechesibus ad *illuminandos* Φωτιζομένους, quales tunc baptismum susceperturi sunt dicti, a luce, & igne sancti Spiritus. Primum suam catechesin sic orditur catechumenos allocutus: „ Vos jam „ adflat beatitudinis odor, o illuminandi. Jam „ flores sublimiores naturæ colligitis ad plectendas cœlestes coronas. Jam Spiritus S. „ adspiravit fragrantia. Jam circa vestibulum „ regiæ constituti: utinam vero etiam a rege introducamini. Flores enim nunc arborum apparuere: fructus quoque utinam „ perfectus existat. Hactenus nomina dedistis. Hæc vobis ad militiam vocatio; lampades ad deductionem sponsæ: cœlestis civitatis desiderium, & propositum bonum, „ & spes consequens. Verax est enim qui dixit: Quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. „

In catechesibus autem duabus de Spiritu S. id potissimum agit, idem S. CYRILLUS Hieros. ut illuminandis illis eandem virtutem Spiritus S. polliceatur, & explicet, quam apostoli baptizati Spiritu S. acceperunt in die pentecostes apparente dispertitis linguis tanquam igne. „ Ignem receperunt, in- „ *S. Cyrill.*
quit, non urentem, sed salutarem, qui „ *Catech.*
peccatorum spinas exterminans, animam „ *XVII. n.*
nitentem reddit, & splendidam. Hic „ 15.
ad vos quoque modo venturus est; ac „
dum vestra peccata spinarum instar concidet, & absumet, pretiosum animæ vestræ „
fundum magis nitentem effecturus est, & „
gratiam vobis daturus; dedit etenim tunc „

„ &

„ & apoſtolis.„ S. CYPRIANUS *de gratia DEI* ad DONATUM in ſeipſo extollit ſtupendos effectus, quo ſe, ſuſcepto baptiſmo, ſubito in novum hominem mutatum ſenſit: „ Poſtquam undæ genitalis auxilio ſuperioris „ ævi labe expiatum pectus, ac purum, de„ ſuper ſe lumen infudit, poſtquam cœlitus „ Spiritu hauſto in novum me hominem na„ tivitas ſecunda reparavit, mirum in modum „ protinus confirmare ſe dubia, patere clau„ ſa, lucere tenebroſa, facultatem dare, quod „ prius difficile videbatur; geri poſſe quod „ impoſſibile putabatur, ut eſſet: agnoſcere „ terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter na„ tum delictis obnoxium viveret. DEI eſſe „ cœpiſſe quod jam Spiritus S. animaret. „ *Epiſt. 5.* Eodem modo S. PAULINUS converſionem ſuam DEO adſcribit ad SULPITIUM SEVERUM.

§. XXVI.

Pro indigentia ſtatus naturæ lapſæ.

Cum in ſtatu naturæ integræ arbitrio noſtro attemperata fuerit gratia; nunc eo fortior eſt gratia CHRISTI, quo infirmitas noſtra major eſt.

Maximi momenti eſt iſta propoſitio contra eos, qui DEUM putant potuiſſe, ac debuiſſe impedire peccatum ADAMI (unde tot mala in humanum genus deſcenderunt) fortius, & efficax dando auxilium: quod potuerit fieri ſalvo libero arbitrio, quemadmodum modo ſalvum manet, non obſtante gratia ſuapte natura efficaci. Sed non attendunt, gratiam hanc tam fortem, & ſuapte natura efficacem, eſſe ipſam gratiam redemtionis, morte CHRI-

STI

STI partam: poſtquam benignissimus DEUS collapſum humanum genus forti manu ſua eripere deſtinavit per efficax auxilium, quo non eguit homo in integritate ſua conſtitutus; DEUS autem talem gratiam dedit primo homini, quod ipſi competeret, & juſtum erat. „ Tale quippe „ inquit S. AUGUSTINUS „ erat adjutorium, quod deſereret cum „ vellet, & in quo permaneret ſi vellet; non „ quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia, „ quæ data eſt primo ADAM: ſed hæc potentior eſt in ſecundo ADAM. Prima eſt enim „ qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: „ ſecunda vero plus poteſt, qua etiam fit, ut „ velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Nec „ illa quidem parva erat, qua demonſtrata eſt „ etiam potentia liberi arbitrii, quoniam ſic „ adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono „ non maneret, ſed hoc adjutorium, ſi vellet, „ deſereret. Hæc autem tanto major eſt, ut „ parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique, non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel „ permanere in bono, ſi velit, niſi etiam efficiatur, ut velit. Tunc ergo dederat homini „ DEUS bonam voluntatem, in illa quippe „ eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat „ adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. „ *De corrept. & grat. c. 11.*

Hoc diſcrimen poſuit S. AUGUSTINUS inter gratiam ſtatus integri, & ſtatus lapſi: non quod nulla gratia tunc fuerit, quod aliqui JANSENIUM tenere dicunt; nec etiam, quod S. AUGUSTINUS docuerit, *Vid. Leſcius Crondermus e-*

ean-

lucidat. Aug. de div. grat. doctrinæ L. I.

eandem fuiſſe tunc in ſtatu integritatis, quæ nunc eſt, quando ipſum velle DEUS operatur per efficacem gratiam. Quæ eſt Thomiſtarum ſententia in ſtatu naturæ integræ ſuam etiam ſtatuentium præmotionem phyſicam ac gratiam efficacem. Non autem fuit S. AUGUSTINI, aut ejus diſcipulorum mens.

De verit. prædeſt. & grat. L. III. c. 17.

„ Libertas ergo primi hominis „ inquit S. FULGENTIUS „majorem habuit pacem; „ ſed nunc libertas fidelium per gratiam majorem accipit charitatem: illi fuit prorſus quieta in pace juſtitia: iſtis glorioſa datur in „ congreſſione victoria. Major ergo nunc „ datur gratia, dum per fidem liberum reparatur arbitrium: & cum dono fidei, atque „ charitatis infuſo, arbitrii noſtri DEUS reparat libertatem, ſic in nobis perficit in infirmitate. „ Ita ergo naturæ, & neceſſitatibus noſtris juſtiſſimum, ſapientiſſimum, ac benigniſſimum Numen attemperavit gratiam, nunquam deſtituit gratia. „ Liberum vero „ inquit laudatus S. ANSELMUS „ humanæ mentis „ arbitrium, in primo homine rectum creatum eſt; non tamen ſine adjutorio gratiæ: „ talis utique gratiæ, qua poſſet, ſi vellet, „ in eadem rectitudine permanere, & a qua „ poſſet, ſi vellet, averſa voluntate diſcedere. Nunc autem in unoquoque homine „ gratia præveniens operatur, ut libertas arbitrii corrigatur. Arbitrium autem hominis „ in quantum corrigitur in tantum liberatur, „ in tantum autem captivum ducitur, in quantum adhuc noxiæ ſervitutis neceſſitatibus „ implicatur. Quæ neceſſitates non ſolum „ filios ſæculi mortaliter premunt, verum „ etiam filios DEI frequenter affligunt. Ipſa „ eſt illa lex peccati, quæ illum militem ſtre-

Ib. c. 15.

„ nuum

nuum, id eſt PAULUM apoſtolum, con- „
delectantem legi DEI ſecundum interiorem „
hominem, illa in membris habitans, & legi „
mentis repugnans; quamvis ſibi non poſſet „
in effectu ſubjicere, non tamen quieſcebat „
in ſuggeſtionibus concupiſcentiæ captivare. „
Diſcimus ex S. AUGUSTINO, Pelagianos in alia perſona ea quæ refert S. ANSELMUS S. PAULUM locutum eſſe; ſed contrarium oſtendit, ac ſimul etiam, quam ſola CHRISTI gratia nos hic liberet, lex autem non potuerit auferre, ſed potius auxerit peccatum; *Quoniam*, inquit, *lex jubere novit, cui ſuccumbit infirmitas, gratia juvare, qua infunditur charitas.* Occurrit etiam ibi ſanctus doctor illis, qui idcirco legem, ac teſtamentum vetus vituperabant, quemadmodum hodie QUESNELLUS *prop.* 6. id diſcriminis poſuit inter fœdus Judaicum, & chriſtianum, quod in illo DEUS fugam peccati exigat, & implementum legis a peccatore, relinquendo tamen in impotentia ſua.

Cont. duas ep. Pelag. L. I. c. 8.

§. XXVII.

Dubitare haud ſinit divina juſtitia, & benignitas, ut ſicut labis originalis in ADAMO omnes, ita etiam gratiæ CHRISTI participes reddamur, omnibusque ſufficientia ad ſalutem præparentur media.

Ut ſicut peccati ADAMI, ita gratiæ CHRISTI omnes ſint participes.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod JESUS Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, inquit apoſtolus. Ut autem declaret, id pro omnibus eſſe,

1. *Tim. I.* 15.

Cap. II.

se, pro omnibus mox hominibus obsecrationes &c. vult fieri: *Hoc enim bonum est*, inquit, *& acceptum coram salvatore nostro DEO; qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vocatur hæc gratia *universalis*, quam rejiciunt Calvinistæ cum Jansenistis, nobiscum autem agnoscunt Lutherani. Nititur hæc doctrina, a nobis suo loco expensa, de CHRISTI morte pro omnibus, & satisfactione, cum præ-

Rom. V.

paratione mediorum ad salutem. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum JESUM Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ..... Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per JESUM Christum Dominum nostrum.*

Unde quidem patet, hoc justitiæ legibus etiam congruere, non bonitatis tantum: neque ante lapsum, quod supra-lapsarii contendunt apud Calvinistas, sed etiam suppositio ADAMI lapsu, secus ac infra-lapsariis videtur, agnoscendam esse in DEO seriam, & sinceram voluntatem salvandi, & per gratiam CHRISTI e statu corruptionis eruendi omnes homines, suppositio fœdere gratiæ, & redemtionis in CHRISTO. Quo Filius DEI in se recepit pro peccatis nostris satisfacere DEO Patri suo, & vetus chirographum delere, DEUS autem acceptavit condignam satisfactionem æquis fœderis conditionibus,

san-

ſanguinis unigeniti Filii ſui. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Exſpectat ergo peccatores, & omnes vult ad pœnitentiam reverti. Quod etiam apud prophetam teſtatur, atque juramento firmat: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat.* Ut adeo de ſeria, & ſincera voluntate dubium nec minimum relinquatur. 2. Pet. III. 9. Ezech. XVIII. 23. & XXXIII. 11.

Ea autem media parat, quæ ſapientiſſimum Numen novit congruere, & ſatis eſſe hominibus ex miſeria, & ſtatu corruptionis, ſervitutisque peccati in libertatem filiorum DEI eripere, & vindicare: quæ ſuapte natura ad hoc apta ſint: cujusmodi certe optimum, & efficaciſſimum eſt mors, & gratia CHRISTI, & voluntatem DEI propitiam nobis ſatis demonſtrat, qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Rom. VII. 32. Jo. III. 16.

§. XXVIII.

Nemini ergo niſi ſibimetipſi adſcribere debet homo, ſi gratia deſtitutus vivat, quæ omnibus per CHRISTUM eſt præparata, & deſtinata. Niſi qui ipſi deſunt gratiæ.

Non hic loquimur de certa gratiæ menſura, dum quidam cum majore non convertuntur, quæ aliis negatur; illos majore quam

Matt. XI. 20. &c. hos manente ſupplicio. Sic CHRISTUS exprobravit civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia, ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum numquid uſque in cœlum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes. Quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hunc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii, quam tibi.* Quis dubitet, pietate, & miſericordia DEI Tyro, & Sidoni gratiam etiam ad ſalutem neceſſariam adfuiſſe? etſi tam abundans non contigerit, juſto utique judicio, licet nobis occulto. Quis neſcit, quantam, roganti ABRAHAMO, DEUS Sodomitis indulgentiam exhibere voluiſſet, ſi vel pauci illic juſti, nec horrendis illis contra naturam ſceleribus contaminati omnes fuiſſent? Juſtam ergo ſubierunt ſortem, atque uberioribus illis gratiis fuerunt privati, quæ contigerunt Corozaitis, Bethſaidaitis, Capharnaitis; ſed juſtiſſimus DEUS tamen hic etiam æquitatem ſervat, & mitius præparat judicium, quibus merentibus minor data eſt gratia. Fuit ergo etiam in ſevero judicio miſericordia, & majorem gratiam, ſi reſpuatur, durius ſequitur judicium. Sic de CHRISTO refertur in patriam ſuam ingratam reverſo: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere.* Cauſa mox additur: *Et mirabatur propter incredulitatem eorum.*

Marc. VI. 5.

Ita

Ita culpa ſemper penes hominem eſt, licet nobis cauſa plerumque ſit occulta. Expreſſit id CHRISTUS in parabola de ſeminante: *Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam &c.* Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum. Quod terra bona autem fuerit, a DEO erat, qui eorum, quos elegit, præparat cor. „ Omnes „ vult ſalvos fieri „ inquit S. PROSPER, „ atque ad agnitionem venire veritatis, & „ voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, „ quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit: nihil a- „ mittens de plenitudine gentium, & de omni „ ſemine Iſrael, cui præparatum eſt in CHRISTO regnum æternum ante conſtitutionem „ mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur. Nec poteſt ullo „ modo per infidelitatem, atque inobedientiam multorum, DEI promiſſio vacillare „ dicentis ad ABRAHAM: In ſemine tuo „ benedicentur omnes gentes. Quod autem „ promiſit DEUS, potens eſt & facere: „ ut, & qui ſalvantur, ideo ſalvi ſint, quia „ illos voluit ſalvos fieri, & qui pereunt, „ ideo pereant, quia perire meruerunt. „ S. AUGUSTINUS: *Non itaque ſimus ingrati, quod ſecundum placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ tam multos liberat miſericors DEUS de tam debita perditione, ut ſi inde neminem liberaret, non eſſet injuſtus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injuſtam judicati ſunt ire, ſed juſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur,*

Matt. XIII.

Sentent. 8.

De dono perſev. c. 8.

nuſquam eſſe apud DEUM iniquitas invenitur.

§. XXIX.

Eique intus aſpiranti impedimentum ponant.

Non exterius ſolum, ſed etiam interius aſpirat gratia, ac penetrat humanas mentes ſua virtute, niſi obex, ac impedimentum ei ponàtur.

PELAGIUS hic fucum faciebat: provocabat ad epiſtolam ſuam ad Demetriadem, ut oſtenderet, ſe alienum eſſe ab impugnanda gratia CHRISTI. Vix non ipſi S. AUGUSTINO perſuaſerat, agnoſcere ſe veram gratiam ſalvatoris: donec ex aliis illius operibus agnoviſſet, per gratiam eum tantum legem exterius perſonantem, ſeu evangelium, ac exemplum CHRISTI, & remiſſionem peccatorum ſtatuere: aut etiam liberum arbitrium, ac facultatem ab auctore naturæ collatam. „ Attendat, & videat „ monet fidelem S. AUGUSTINUS „ non ideo tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod „ nobis naturaliter concreatum eſt; verum „ etiam quod viſorum ſuaſionibus agat DEUS, „ ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecus per evangelicas exhortationes, ubi & „ mandato legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad „ gratiam juſtificantem credendo confugiat, „ ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate, „ quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, „ vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. „

S. Aug. de grat. Chriſti. c. 37. S. Hieron. epiſt. ad Cteſiphontem.

De Spir. & litt. c. 34.

Exteriorem, & interiorem diſtinguit gratiam, quæ a ſe invicem ſeparari non debent: ubi-

ubique autem agnoſcenda virtus divinæ gratiæ potiſſimum interior, quæ a ſolo DEO eſt, cum exterius verbum, & prædicatio ab hominibus etiam proveniat. Sic apoſtolus dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, DEUS autem incrementum dedit.* Et ſubjungit: *Neque, qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS.* Dicit hoc, ubi de evangelii prædicati fructu, & gloria agit, quam totam DEO tribuit, non apoſtolico labori. „ Non ergo „ inquit S. CHRYSOSTOMUS „ hoc efficiebant, ſed præveniens illos gratia. Illorum quippe erat circuire, & prædicare; perſuadere autem DEI erat in illis operantis, ut „ & LUCAS dicit: Aperuit cor ipſorum: „ & rurſum, quibus datum erat audire verbum DEI. „ S. AUGUSTINUS citato in loco pergit: „ His ergo modis, quando DEUS agit cum anima rationali, ut ei „ credat, neque enim credere poteſt quodlibet „ libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; profecto & ipſum velle credere DEUS operatur in homine, „ & in omnibus miſericordia ejus prævenit „ nos: conſentire autem vocationi DEI, vel „ ab ea diſſentire, ſicut dixi propriæ voluntatis eſt. „

1. Cor. III. 6. 7.

Hom. I. in epiſt. ad Rom. n. 3.

Cod. vat. liberum arbitrium.

Quodſi ergo mentem claudat Verbo divino homo ipſe in culpa eſt: aut ſi aliunde impedimentum objiciatur, uti contingit in infantibus, ſeu illis, ad quos evangelica prædicatio non pervenit, non is defectus gratiæ CHRISTI eſt, quæ infiniti eſt valoris, & virtutis; ſed applicari non poteſt niſi credentibus in CHRISTUM, aut ſacramento baptiſmi initiatis. Sic enim in univerſum mun-

dum miſſi ſunt apoſtoli: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ac quidem infantes plurimos ſine baptiſmo mori compertum eſt: quouſque autem ad omnes gentes evangelium jam inde ab apoſtolicis temporibus pertigerit, definire non tam facile licet. „ Si autem aliquo modo „ utar verbis S. PROSPERI „ inveniuntur homines, „ quibus evangelium non fuerit prædicatum; „ non poteſt dici ſine judicio DEI factum: „ quod nefas eſt ideo reprehendi, quia non „ poteſt comprehendi. „

Reſp. ad capit. Gall. object. X.

§. XXX.

Qua non ſolum veritas manifeſtatur, ſed etiam virtus præſtatur.

Non ea ſolum gratia egemus, qua veritas nobis manifeſtetur ſive ad cognitionem, ſive ad operationem, ſed qua effectus etiam, ac virtus præſtetur.

Loquimur hic de ordine, rebusque ſupernaturalibus ad noſtram ſalutem. Alioquin enim non ita penitus lumen naturæ extinctum eſt, ut non ſeſe elevare poſſit, ac debeat ad DEUM. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita, ut ſint inexcuſabiles, quia, cum cognoviſſent DEUM, non ſicut DEUM glorificaverunt.* Ubi tum cognitio DEI ipſius, cum etiam erga eum officia, ac legis notitia innuitur. *Cum enim gentes*, poſtea ait, *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus DEI ſcri-*

Rom. I. 21.

Rom. II. 14.

ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.

Hæc veluti naturalis eſt revelatio ab auctore naturæ indita; ſed acceſſit etiam, atque neceſſaria fuit ſupernaturalis gratia. „ Omnium ergo hominum „ inquit PROSPER, „ cura eſt DEO, & nemo eſt, quem non „ aut evangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conveniat. Sed „ infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus: fidem autem hominum donum „ DEI eſſe fateamur, ſine cujus gratia nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis „ quatuordecim ſacerdotibus, quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ DEI „ totus mundus amplexus eſt, veraci profeſſione, quemadmodum ipſorum habet ſermo dicamus, gratia DEI per JESUM „ CHRISTUM Dominum, non ſolum ad „ cognoſcendam, verum etiam ad faciendam „ juſtitiam nos per actus ſingulos juvari; ita „ ut ſine illa nihil veræ, ſanctæque pietatis „ habere, cogitare, dicere, agere valeamus. „ *Reſp. ad capit. Gall. obj. VIII.*

Neque hæc dona ita ex DEO eſſe opinemur, ut, quia ipſe naturæ noſtræ auctor eſt, per creationem jam hæc contuliſſe videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem dedit & gratiam; ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccavimus. Unde alia gratia egemus in CHRISTO: in quo ſumus nova creatura, novumque figmentum; & per quem nobis nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur, ut ſimus ex vaſis iræ vaſæ miſericordiæ.

Sic & Pelagianorum error deſtruitur, qui totum naturæ, & ſemi-Pelagianorum, qui initium ſaltem fidei nobis adſcribebant, ſeu, ut *Epiſt.217.* VITALIS dicit apud S. AUGUSTINUM, „ Ut recte credamus in DEUM, & evan„ gelio conſentiamus non eſſe donum DEI, „ ſed hoc nobis eſſe ex nobis, ex propria vo„ luntate, quam nobis in noſtro corde non „ operatus eſt ipſe, . . . per legem ſuam, per „ ſcripturas ſuas, DEUM operari ut velimus, „ quas vel legimus; vel audimus: ſed eis con„ ſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſſe, „ ut, ſi velimus, fiat, ſi autem nolimus, nihil „ in nobis operationem DEI valere faciamus. „ Dic ergo „ reſpondet S. AUGUSTINUS longam erroris exorſus refutationem „ aſſer„ tiſſime nos pro iis, quibus evangelium præ„ dicamus, non debere orare, ut credant, „ ſed eis tantummodo prædicare. „ Et con*An.* 416. cilium Milevitanum *can. IV.* „ Si quis dixerit, „ eandem gratiam per JESUM CHRISTUM „ Dominum noſtrum propter hoc tantum nos „ adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam „ nobis revelatur, & aperitur intelligentia „ mandatorum, ut ſciamus quid appetere, „ quid vitare debeamus, non autem per illam „ nobis præſtari, ut, quod faciendum cogno„ verimus, etiam facere diligamus, atque va„ leamus, anathema ſit. „

§. XXXI.

DEO operante in nobis velle, & perficere. Igitur *DEUS eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*, ſeu beneplacito, ac benignitate in nos, qua imbecillitatem no-

noſtram ſuſtentat, & pravam convertit voluntatem.

In Græco habetur ὑπὲρ τῆς εὐδοξίας. S. CHRYSOSTOMUS hanc voluntatem ad homines refert, THEOPHYLACTUS ad DEUM. Nimirum ut impleat in nobis ſuam bonam voluntatem, & conſilium. GROTIUS in MS. reperit θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν δυνάμει ἐνὑμῖν. *DEUS enim eſt, qui potentia operatur in vobis.* Sed textus vulgatus ſatis ſignificans eſt, & catholicis doctoribus contra omnes hoſtes gratiæ divinæ præſertim S. AUGUSTINO perpetuo in ore fuit, ut oſtenderent, nos divina gratia opus habere, qua ipſa voluntas noſtra, in malum prona, in bonum convertatur. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus DEI: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* 1. *Cor. II.* 14. Et altera ad Corinthios epiſtola: *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* 2. *Cor. III.* 5. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1. *Cor. IV.* 7. Quæ, aliaque innumera paſſim S. AUGUSTINUS colligit teſtimonia, & ad veritatem hanc primariam catholicæ fidei non ſolum explicat, ſed etiam orthodoxorum doctorum teſtimoniis confirmat, quibus ſemel relatis, „ Iſti tales „ inquit „ tantique doctores dicentes, non eſſe aliquid de quo tanquam de „ noſtro, quod nobis DEUS non dederit, „ gloriemur, nec ipſum cor noſtrum, & cogitationes noſtras in poteſtate noſtra eſſe, & „ totum dantes DEO, atque ab ipſo nos ac- „ *De dono perſev. c.* 19.

„ cipere confitentes, ut permanſuri conver-
„ tamur ad eum, ut id, quod bonum eſt,
„ nobis quoque videatur bonum, & illud ve-
„ limus, ut honoremus DEUM, & recipia-
„ mus CHRISTUM, ut ex indevotis effi-
„ ciamur devoti, & religioſi, ut in ipſam Trini-
„ tatem credamus, & confiteamur etiam voce,
„ quod credimus: hæc utique gratiæ DEI
„ munera agnoſcunt, ab ipſo nobis non a no-
„ bis eſſe teſtantur. „

Huc redeunt omnia chriſtiana officia, atque ad ſalutem nobis proficua opera, non niſi divinæ gratiæ ope præſtanda. „ Juſtificatio-
In Pſ. 118. *Litt. I. n.* 12. „ nes ſunt plures „ inquit S. HILARIUS, „ atque diverſæ in obſervandis ſingulis offi-
„ ciorum generibus: ad quorum cuſtodiam,
„ niſi a DEO dirigamur, infirmes per na-
„ turam noſtram erimus. Adjuvandi igitur
„ per gratiam ejus, dirigendique ſumus, ut
„ præceptarum juſtificationum ordinem ſe-
„ ctemur. „ Et ſanctus GREGORIUS NAZ. recitatis illis apoſtoli verbis: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis DEI,*
Orat. 31. anticipato Pelagianos damnat: „ Quoniam e-
„ nim „ inquit „ nonnulli ſunt, qui ob recte
„ facta ita animis efferuntur, ut id totum ſibi
„ ipſis adſcribant, nec quidquam creatori;
„ & ſapientiæ eorum auctori, ac bonorum
„ omnium ſuppeditatori acceptum ferant, his
„ verbis eos docet PAULUS, quod ipſum
„ etiam recte velle divino auxilio indigeat,
„ imo, ut rectius loquar, voluntas quoque
„ ipſa, & electio eorum, quæ recta, & cum
„ officio conjuncta ſunt, divinum quoddam
„ beneficium eſt, atque a DEI benignitate
„ manans. Idcirco ait: Non volentis, id eſt
„ non volentis ſolum, nec currentis ſolum,

„ ſed

ſed etiam miſerentis DEI. Ita quoniam „ velle quoque ipſum a DEO eſt, optimo „ jure totum DEO aſſignavit. „ Deinceps ex doctoribus infinitum foret teſtimonia afferre, qui poſt PELAGIUM ejus errorem impugnarunt, atque ab exceptionibus vindicarunt, quaſi ſic libertas, aut meritum operum tolleretur.

XXXII.

Non habituali tantum, ſed etiam actuali gratiæ.

Gratia hæc, qua intellectus illuſtratur, & voluntas movetur ad bonum, actualis dicitur; habitualis autem eſt, dum interne renovatus, ac ſanctificatus jus & promtitudinem ad tales gratias accipit homo, charitate DEI diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.

Eſt igitur gratia actualis illuſtratio intellectus, & motio voluntatis ad operandum bonum; per habitualem autem, quæ etiam gratia ſanctificans dicitur, jus confertur ad recipiendas gratias: non quod nullum prorſus opus bonum morale, nedum naturalis, de quo jam egimus, ſed etiam ſupernaturalis ordinis agere poſſit ſine gratia habituali, & ſanctificante. Qui error in WICLEFFO, & Jo. HUSS per concilium Conſtantienſe; per concilium Tridentinum in Lutheranis, & Calviniſtis; bullis autem pontificiis in BAJO, ac QUESNELLO damnatus eſt, qui peccato deputabant, quidquid peccator agit. Lutherani, & Calviniſtæ, quia inhærentem concupiſcentiam pro peccato habent, idem

Conc. Conſtant. Seſſ. 15. Trid. Seſſ. 6. c. 7.

di-

dicunt non ſolum de operibus ante juſtificationem; ſed etiam poſt juſtificationem opera omnia peccato contaminata eſſe volunt, licet juſtis non imputentur. Jo. HUSS. articulo 16. ita habet: *Sicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis vitioſi.* Et BAJI hæc eſt proſcripta propoſitio: *In omnibus ſuis actionibus peccator ſervit dominanti cupiditati*; conſimiles ſunt QUESNELLI propoſitiones.

T. XII. conc. p. 130. D.

Seſſ. VI. c. 8.

Catholici, licet cum concilio Tridentino teneant, fidem eſſe ſalutis humanæ initium, fundamentum, & radicem omnis juſtificationis, non tamen ante juſtificationem opera omnia peccata eſſe volunt; ſed locum dant quibusdam operibus bonis etiam ordinis ſupernaturalis. Quare etiam in QUESNELLO duæ hæ ordine ſeſe ſubſequentes *n. 26. 27.* ſunt damnatæ propoſitiones: *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Confundunt nimirum gratiam ſanctificantem, ſeu habitualem, cum actuali, ſine qua, contra Pelagianos catholica tenet veritas, nullum opus bonum perfici poſſe. Et quidem in juſtis præter gratiam habitualem ad ſingulas actiones requirimus actualem, ab injuſtis autem non omnem penitus excludimus gratiam actualem. Cujus exemplum in evangelio nobis publicanus, & centurio præbet, ſicut etiam in ſingulis peccatoribus ipſa ad juſtificationem motio, qua ad pœnitentiam revocantur, atque in ſcripturis perpetuo excitantur, & monentur, ut convertantur, & agant pœnitentiam. Sed homo cum gratia habituali, & ſanctificante, quan-

quando charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. jus habet per CHRISTUM ad ejusmodi gratias, & abundat in omni opere bono. *Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto JESU.* Nimirum juxta eundem apoſtolum: *Gratia Domini noſtri JESU Chriſti, & charitas DEI; & communicatio Spiritus ſancti.* *Rom. V. 5.* *1. Tim. I. 16.*

Sancti patres magno numero ipſum Spiritum S. communicari nobis per gratiam aſſeruerunt, & magiſter ſententiarum non aliquid creatum, ſed ipſum Spiritum S. charitatem eſſe voluit, in qua conſiſtit gratia habitualis, & ſanctificans, effectum cum cauſa confundens. Per adoptionem enim Filii DEI vocamur, atque in hoc diſtinctionem Filii DEI naturalis fundat S. ATHANASIUS contra Arianos. „ Quod enim „ ait „ eſt ex aliquo ſecundum „ naturam, verus eſt fetus. Sic ISAAC A- „ BRAHÆ, JOSEPH JACOBI, & ſplen- „ dor ſolis eſt fetus. Qui vero ob virtutem, „ & gratiam nomen ſibi conſequuntur, non na- „ tura, ſed tantummodo gratia hanc accepe- „ re dignitatem, aliique omnino ſunt ab eo, „ quod ipſis datur: cujusmodi ſunt homines, „ qui Spiritus ſancti participes facti ſunt, de „ quibus etiam dicit, filios genui, & exaltavi, „ ipſi autem me repulerunt. Certe quia non „ natura filii erant, idcirco in pejus mutatis ab- „ latus eſt ſpiritus, & abdicati ſunt; quos ta- „ men idem, qui initio illis hujusmodi gratiam „ largitus eſt DEUS, pœnitentes iterum ſuſcipiet, luceque impertita rurſus filios eos ap- „ pellabit. „ *Vid. Petav.* *L. I. Sent. diſt. 17.* *Orat. I. cont. Arian. n. 37.*

Hinc etiam jus confertur per gratiam ſanctificantem ad vitam æternam tanquam hæreditatem

tem noſtram : *Si autem Filii, & hæredes.* Sed non eſt inamiſſibilis ſtatus ille gratiæ ; ut contendunt Calviniſtæ ; nec datur, ſine revelatione ſingulari, certitudo ſalutis : prout concilium Tridentinum definivit contrarios damnando errores.

§. XXXIII.

De qua fuit cum Pelagianis controverſia.

Cum Pelagianis de actualibus divinæ gratiæ auxiliis fuit controverſia, quæ ad hominis actiones etiam præter habitualem gratiam adſunt, atque ad bene operandum neceſſarias præſtant vires.

Qui hoc non ſatis attenderunt, atque actualem ab habituali gratia non caute diſtinxerunt, in errorem inciderunt, quem paulo ante notavi, nullam bonam actionem, niſi ab homine gratia habituali, ſeu ſanctificante inſtructo, progredi poſſe, quod etiam non pauci ex veteribus ſcholaſticis tenuerunt, quos refert MORINUS. *De pœnit. L. VIII. c. 2.* Recte autem notat, habitum non facere, ut operemur. „ Scitum eſt„, ait „ apud omnes „ philoſophos, habitum eſſe in noſtra poteſta„ te, quo uti poſſumus, cum volumus, ſed „ non facit, ut velimus, imo quieſcit, donec „ voluntas eum pro lubitu exerceat. „ De præſenti autem cauſa S. AUGUSTINI, & PELAGII *c. 18.* ita loquitur : „ Utrique ratum videtur, tri„ buendam DEI ſpeciali gratiæ non tantum „ nobis vitæ æternæ per bona opera conſecu„ tionem, ſi DEI auxilio nos intus movente, „ & impellente ad unum quodque opus egea„ mus ; naturæ vero humanæ potiſſimum, ſi „ habitus inditi ſufficerent. „ Ideo auxilia gratiæ

tiæ ſpecialis ad unum quodque opus bonum, nos intus non modo inſtruentis, ſed etiam moventis, omni niſu adſtruit S. AUGUSTINUS, deſtruunt vero Pelagiani. Huc impegerunt, quotquot circa gratiam aberrarunt. Ac Pelagiani quidem integras naturæ vires ſtatuunt: „ Qui putant „ inquit S. AUGUSTINUS, ex nobis ipſis nos habere, ſi quid juſtitiæ, „ continentiæ, pietatis, caſtitatis in nobis ſit, „ eoquod ita nos condiderit DEUS, ut præter „ quod nobis revelat ſcientiam, nihil nos „ adjuvet, ut ea, quæ facienda diſcendo novimus, etiam diligendo faciamus, naturam „ ſcilicet, atque doctrinam definientes tantummodo eſſe gratiam DEI, & adjutorium, ut „ recte, juſteque vivamus. Ad habendam „ vero bonam voluntatem, ubi eſt hoc ipſum „ quod juſte vivimus, & ipſa charitas, quæ „ in omnibus DEI donis ita excellit, ut etiam DEUS dicta ſit, qua una adimpletur „ in nobis, ſi quid divinæ legis, & admirationis implemus, nolunt nos divinitus adjuvari, ſed nos ipſos dicunt arbitrio proprio nobis ad iſta ſufficere. „ *Epiſt.* 188. *ad Julian.*

Hæc eſt charitas, quam ille infinitis locis gratiam dicit, actualem nimirum, ſeu piam voluntatis motionem divinitus aſpirantem, & inclinantem affectum voluntatis ad dilectionem boni, nomine charitatis ita generaliſſime ſumto, ut jam D. THOMAS notavit, & probe obſervandum contra imputationes & errores Bajanos & Queſnellianos, ac ſi ſine charitate, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in juſtificatione nulla ſit gratia; tametſi eam maxime urgeret S. AUGUSTINUS contra Pelagianos, quæ proprie magis & κατ' ἐξοχὴν eſt gratia CHRISTI ſalvatoris charitate per-

Ib. n. 7. perfecta. „ Non vobis videatur „ pergit, „ error iſte mediocris, profiteri ſe velle „ chriſtianos, nec velle audire apoſtolum „ CHRISTI, qui cum dixiſſet: Charitas „ DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris: ne „ quisquam eam ſe habere non niſi per pro„ prium putaret arbitrium, continuo ſubjun„ xit, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt „ nobis. Hanc eſſe magnam gratiam ſalvato„ ris, qui aſcendens in altum captivavit ca„ ptivitatem, & dedit dona hominibus, quis„ quis nondum confitetur, quantum, & quam „ exitiabiliter erret, intelligis. „ Et poſtea relatis apoſtoli verbis: *DEUS eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere*, quæ utique ad actum pertinent, & operationem ipſam: „ Non, inquit, ſicut iſti ſentiunt, tan„ tummodo ſcientiam revelando, ut noveri„ mus, quid facere debeamus, ſed etiam in„ ſpirando charitatem, ut ea, quæ diſcendo no„ vimus, etiam diligendo faciamus. „ Et alibi

De ſpir. & litt. c. 3. ſententiam catholicam referens, „ nos au„ tem „ inquit, „ dicimus humanam volun„ tatem ſic divinitus adjuvari ad faciendam „ juſtitiam, ut præter quod creatus eſt ho„ mo cum libero voluntatis arbitrio, præter„ que doctrinam, qua ei præcipitur quemad„ modum vivere debeat, accipiat Spiritum „ ſanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, „ dilectioque ſummi illius, atque incommutabilis boni, quod DEUS eſt.

Hic adverſarii clamabant, tolli ab eo libe-

De nat. & grat. c. 32. rum arbitrium, quod ipſe negat. „ Non enim „ inquit, „ cum iſta commemoramus, arbi„ trium voluntatis tollimus, ſed DEI gra„ tiam prædicamus. Cui enim proſunt iſta, „ niſi volenti, ſed humiliter volenti, non ſe

„ de

de voluntatis viribus, tanquam ad perfe- „
ctionem juſtitiæ ſola ſufficiat, extollenti. „
Eodem autem libro aperte edicit, non ſuffi-
cere, etiamſi juſtificatio adſit, ſine gratiæ
actualis auxilio: „ Sicut „ ait „ oculus cor- „ *c. 26.*
poris etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lu- „
cis adjutus, non poteſt cernere, ſic hõmo „
etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ „
divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere. „
De actuali autem ad ſingulos actus gratia quæ-
ſtionem fuiſſe ipſa PELAGII verba oſten- *De grat.*
dunt, dum non ſolum per ſingulas horas, aut *CHRI-*
per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos *STI. c.*
actus noſtros eſſe neceſſariam dicit, ſed remiſ- *2.*
ſionem peccatorum, ac legem verſipellis intel-
lexit. „ Sed „ inquit S. AUGUSTINUS, *Ib. c. 10.*
„ nos eam gratiam volumus iſte aliquando fa- „
teatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſo- „
lum promittitur, verum etiam creditur, & „
ſperatur; nec ſolum revelatur ſapientia, ve- „
rum & amatur; nec ſolum ſuadetur omne, „
quod bonum eſt, verum etiam perſuadetur. „
Nimirum ut velle etiam in nobis efficiat non „ *Cont. duas*
cogendo, ſed, ut fiant ex nolentibus volentes, „ *epiſt. Pe-*
ex repugnantibus conſentientes, ex oppu- „ *lag. L. IV.*
gnantibus amantes. Certum eſt „ alibi ait, *n. 26.*
„ nos facere cum facimus, ſed ille facit ut „ *De grat.*
faciamus, præbendo vires efficaciſſimas vo- „ *& lib. arb.*
luntati. „ *c. 16.*

Alios hinc offendit ſua doctrina, ac ſi fruſtra ſic monita fierent, minæ, ac pœnæ, nec hortationibus locus detur; ſed DEUS tantum orandus eſſet, ut gratiam det. Contra quos ſcripſit librum de correptione, & gratia. Paſſim etiam PROSPER, & alii contra ſemi-Pelagianos hunc ſcrupulum demunt.

§. XXXIV.

Qua juſti nunquam deſtituantur, niſi ipſi deſint.

Qui autem per gratiam ſanctificantem, ſeu habitualem jus acceperunt ad actualia gratiæ auxilia, iis, niſi ipſi ſibi deſint, non deſtituuntur.

Contraria doctrina in JANSENIO fuit damnata prima hac inter famoſas quinque propoſitiones: *Aliqua DEI præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Contra vero docuit concilium Tridentinum: *DEUS impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quæ ſunt ipſiſſima S. AUGUSTINI verba libro de natura & gratia *cap.* 43. a concilio autem Tridentino contra CALVINI impietatem ſunt adhibita, qua ob inhærentem concupiſcentiæ labem juſtis etiam impoſſibilia præcepta eſſe contendit. Contra quod jam *ſeſſ.* 6. cavit concilium ex doctrina ſanctorum patrum. *Nemo temeraria illa, & a patribus prohibita voce uti (debet) DEI præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam DEUS impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Contrariæ doctrinæ poſtea anathema dicit: ac concilio Milevitano dudum antea quoad poſtremam illam partem, jus nimirum illud, quod fidelibus accreſcit, recipiendarum gratiarum. *Placuit, ut, quicunque dixerit, gratiam DEI, in qua juſtificamur per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccato-*

Seſſion. XXIV. c. 9.

Seſſ. VI. c. 11.

Can. 18.

Milev. II. Can. 3.

catorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit. Et concilium Arauſicanum: *Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint, ac debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quam doctrinam S. HILARIUS expreſſit in Pſalmum 66. „ Hanc autem „ ait, „ illuminationem vultus ſui ſuper nos miſericordia ipſius, quæ in peccati remiſſione in „ nobis eſt cœpta, largitur. In quem autem „ profectum illuminationem vultus DEI ſuper „ ſe precentur, ſermo conſequens docet. „ *Ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.* „ Quæ eſt „ paulo poſt pergit „ doctrina vitæ religioſæ. Per „ eam enim ad DEUM pergitur. Religioſæ „ autem vitæ doctrina CHRISTUS eſt, „ quam ſe eſſe in evangeliis oſtendit dicens: „ *Ego ſum via, veritas, & vita;* & rurſum: „ *Nemo ad Patrem venit niſi per me.* „ Cum autem CHRISTUS venerit in hunc mundum, ut ſalvum faceret, quod perierat, quis eum deſerturum putet, quos jam invenerat? *Cum DEUS*, inquit S. AUGUSTINUS, *impium ad perfectam vitam, juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, at pie ſemper, juſteque vivatur.* Quam ſententiam ſuam fecit concilium Tridentinum: *DEUS ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.*

Can. XXV.

Num. 3. & 4.

De nat. & grat. c. 26.

Seſſ. VI. c. 11.

§. XXXV.

Variis modis divina gratia aſpirat, præveniendo, cooperando, & ſub-

Aſpirat autem gratia præve-

niendo, cooperando, & ſubſequendo.

ſubſequendo, donec hominem ad optatum felicitatis portum perducat a primordio ſpiritualis uſque vitæ, ſeu initio fidei, quod ſemi-Pelagiani gratiæ demebant.

Varie dividunt gratiam doctores catholici, & ſcholaſtici, in operantem, & cooperantem, prævenientem, & ſubſequentem, excitantem, & adjuvantem; ſed in certis notionibus determinandis non conveniunt. D. THOMAS earum diviſionum reſpectu quinque effectus gratiæ recenſet: „ Quorum primus eſt, ut anima ſanetur: ſecundus bonum velit: tertius eſt, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur: quartus eſt, ut in bono perſeveret: quintus eſt, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia ſecundum quod cauſat in nobis primum effectum, vocatur prævenies reſpectu ſecundi effectus: & prout cauſat in nobis ſecundum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus. Et ſicut unus effectus eſt poſterior uno effectu, & prior alio; ita gratia poteſt dici prævenies, & ſubſequens ſecundum eundem effectum reſpectu diverſorum. „

1. 2. q. 3. a. 3.

Singulæ diviſiones gratiæ reſpectum habent ad motionem, ac conſenſum voluntatis, quæ, ſi præcedit, dicitur excitans, prævenies, ac operans, quatenus nimirum operis auctor ante nos operatur, ſeu, ut dicit S. AUGUSTINUS, *ſine nobis* operatur: aut cooperans, adjuvans, & ſubſequens: ut totius operis gloria eum maneat, uſque dum finis coronet opus. „ Quoniam „ ait, „ ipſe, ut „ velimus, operatur incipiens, qui volentibus

De grat. & lib. arb. c. 17.

coope-

cooperatur perficiens. Propter quod ait „ apoſtolus: *Certus ſum, quoniam, qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem JESU Chriſti.* Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cum autem „ volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum „ volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. „ Non excludit autem noſtram cooperationem. „ Ubi quidem „ inquit alibi, operamur & nos: ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia ejus prævenit „ nos. Prævenit autem, ut ſanemur, quia „ & ſubſequetur, ut etiam ſanati vegetemur: „ prævenit ut vocemur, ſubſequetur ut glorificemur: prævenit ut pie vivamus, ſubſequetur ut cum illo ſemper vivamus: quia „ ſine illo nihil poſſumus facere. Utrumque „ enim ſcriptum eſt, & *DEUS meus miſericordia ejus præveniet me*, &, *miſericordia ejus ſubſequetur me omnibus diebus „ vitæ meæ.* „

De nat. & grat. c. 31.

Operans, ſeu præveniens gratia offendebat, indeque dici poteſt, omnes circa gratiæ cum libero arbitrio conſenſum motas eſſe controverſias. „ Bonæ itaque voluntati „ inquit JULIANUS apud S. AUGUSTINUM, „ innumeras adjutorii divini adeſſe ſpecies „ non negamus; ſed non ita, ut non per „ adjutorii genera aut fabricetur, quæ fuerit „ arbitrii deſtructa libertas, aut aliquando ea „ excluſa, vel boni vel mali cuiquam neceſſitas credatur incumbere; verum arbitrio „ libero omne adjutorium cooperatur. „ Hæc JULIANUS, cui reſponſum mox ſubjungit ſanctus doctor: „ Si non prævenit, ut „

Op. imperf. L. I. c. 95.

„ operetur eam, ſed prius exiſtenti voluntā-
„ ti gratia cooperatur; quomodo verum eſt,
„ DEUS in vobis operatur & velle? quomo-
„ do præparatur voluntas a Domino? quo-
„ modo charitas ex DEO eſt, quæ ſola vult
„ beatificum bonum. „

Ipſemet aliquando fatetur, ſe in eo errore fuiſſe, quo initium ſaltem fidei, unde divinam attrahimus gratiam, nobis adſcribitur: *Neque enim*, ait, *fidem putabam DEI gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter, niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar.* Qui poſtea error plures etiam pios, & religioſos viros detinuit; prioribus autem AUGUSTINO patribus non paucis accidit, quod perſpicaciſſimo, ſanctiſſimoque doctori noſtro gratiæ, cum necdum dogma gratiæ ex inſtituto examinatum eſſet; ut initium voluntatis, ac etiam operis ſubinde ex nobis petere videantur, quamvis alias omnia gratiæ adſcriberent, etiam certamini illi propiores SS. ATHANASIUS, HILARIUS, EPHREM, CHRYSOSTOMUS. Quidni & anachoretæ? ex quorum ore loquitur CASSIANUS collatione patrum 13. quæ tantos motus excitavit, atque tot viros monachos etiam ſanctiſſimos ſuſpicione ſemi-Pelagianiſmi maculavit. Quamvis etiam inter collatores apud CASSIANUM ſint, qui ſanam de gratia doctrinam proferant.

De præd. ſanct. c. 3.

Vid. col. lat. 3.

Quærere licet, an CASSIANUS ſententias diverſas, & ſibi contrarias bonorum virorum iſtorum, ipſius etiam QUEREMONTII, quem *coll.* 13. loquentem induxit,

cit, retulerit? An ipſe ſibi ſatis non conſtiterit? Aut an in oriente iſtum errorem a nonnullis hauſerit, qui paulatim a craſſiore errore PELAGII in hunc declinaverant. Jam JULIANUS aliquid remiſerat, & epiſcoporum illorum, quos impugnat libris contra duas epiſtolas Pelagianorum S. AUGUSTINUS, hanc ſuſpicatur eſſe mentem: „ Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſervant locum „ gratiæ, ut ſine illa putent hominem habere „ poſſe boni ſed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per illam poſſe, ſed niſi per illam omnino non poſſe. „ Et poſtea: „ Sed nimirum quod ſcriptum eſt, hominis „ eſt præparare cor, & a Domino reſponſio „ linguæ non bene intelligendo falluntur, ut „ exiſtiment cor præparare, hoc eſt bonum inchoare, ſine adjutorio gratiæ DEI ad hominem pertinere. „ *L. II. c. 8.* *c. 9.*

Hic fuit ſemi-Pelagianorum error, quem HILARIUS quidam primum ad S. AUGUSTINUM perſcripſit, apud monachos Galliæ, offenſos doctrina S. AUGUSTINI de gratia, graſſantem, & late diuque obtinentem, atque multis etiam doctrina, & ſanctitate claris viris non ſolum probatum, ſed etiam ab illis aſſertum, non agnita præveniente gratia DEI: „ Qua in re „ inquit S. GREGORIUS M. „ quis deſpicitur, niſi is, qui „ ipſa operandi munera largitur. Unde bene „ per egregium prædicatorem dicitur: Quid „ autem habes, quod non accepiſti? Si autem „ accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis. „ Sancti autem viri ſciunt, poſt primi parentis „ lapſum de corruptibili ſtirpe ſe editos, & non „ virtute propria, ſed præveniente ſuperna „ gratia ad meliora ſe vota, vel opera concita- „ tos: *L. XXII. mor. in Job. n. 20.*

„ tos: & quidquid ſibi mali ineſſe cognoſcunt, „ de mortali propagine ſentiunt meritum: „ quidquid vero in ſe boni conſpiciunt, immortalis „ gratiæ cognoſcunt donum, eique de accepto „ munere debitores fiunt, qui & præveniendo „ dedit eis bonum velle, quod noluerunt, & ſubſequendo conceſſit bonum poſſe, „ quod volunt. „

§. XXXVI.

Ut nos ad ſe trahat DEUS.

Ita omnibus modis auxiliatricem ſuæ gratiæ præbet manum benigniſſimus DEUS, ut ad ſe ſummum, ac incommutabile bonum nos revocet, prava cupiditate malignantis naturæ ab eo deficientes.

Agnoſcitur quidem etiam DEUS, ut auctor naturæ, ſummum bonum, quod rite cognitum non poteſt non amare voluntas, quæ ſuapte natura in bonum fertur, & ſummum bonum neceſſario appetit.

Quæritur autem inter theologos, an ſine gratia in DEUM ferri, eumque diligere ſuper omnia poſſimus. Quid olim factum ſit inter gentiles apoſtolus nobis declarat: *Quia cum cognoviſſent DEUM, non ſicut DEUM glorificaverunt.* Opera naturæ clamabant auctorem ſuum, & providentiæ juge beneficium ab eo omnia ſperanda, & in acceptis referenda ei omnia indicabat. Hinc ad eum tanquam ſummum bonum cognoſcendum, amandum, & fruendum ſtimuli; licet tanquam auctor gratiæ, & gloriæ intuitive fruendus non agnoſceretur. Sed corrupta natura deficit ab

hoc

hoc incommutabili bono rite cognoſcendo, & debite amando, revocat a ſtudio ei placendi in omnibus, ſuper omnia æſtimando, ac unice ei inhærendo tanquam ſummo bono, rebus omnibus poſtpoſitis, ſeipſo etiam, ac amore proprio. *Sed in ſtatu naturæ corruptæ*, inquit D. THOMAS, *homo ab hoc deficit ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam DEI.* 1. 2. q. 109. art. 3.

Atque hinc inſignes theologi impotentiam hominis lapſi ad diligendum DEUM propriis ſuis viribus ſciſcunt non tantum moralem eſſe, ortam ex difficultate, ſed etiam vere phyſicam, quantum ad ſubſtantiam operis, ortam ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum. „ Difficile „ inquit S. BERNARDUS, „ imo impoſſibile eſt, ſuis ſcilicet „ quempiam, liberique arbitrii viribus ſemel „ accepta a DEO, ad DEI ex toto con- „ vertere voluntatem, & non magis ad pro- „ priam retorquere, eaque ſibi tanquam pro- „ pria retinere, ſicut ſcriptum eſt: *Omnes,* „ *quæ ſua ſunt, quærunt.* *Tr. de dilig. DEO. c. 2.*

Inde ergo abſtrahimur a DEO ſummo, & incommutabili, quia cupiditate prava, malignitateque naturæ ad bona commutabilia hujus mundi, nosque ipſos deflectimus per amorem proprium. „ Cupiditas mundi initium „ habet ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex „ jucunditate voluptatis, firmamentum ex „ vinculo conſuetudinis: charitas autem DEI „ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum „ ſanctum, qui datus eſt nobis. „ Et ut CHRISTUS loquitur: *Unaquæque arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam:* *De patient. c. 16. T. VI. p. 535. E.* *Luc. VI. 44. &c.*

bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Apostolus autem dicit, malorum omnium radicem esse cupiditatem. „ Unde „ inquit S. AUGUSTINUS „ si „ duæ arbores bona, & mala, duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus nisi „ voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? „ Fructus autem harum radicum, atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata „ sunt, quæ bona, de bona voluntate procedunt, & mala de mala. Facit autem homo arborem bonam, quando DEI accipit „ gratiam.... Malam vero arborem homo facit, quando seipsum malum facit, quando „ a bono incommutabili deficit; ab eo quippe defectus est origo voluntatis.... aliud „ enim est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter „ se differunt, quantum virtus, & vitium. „

1. *Tim. VI.* 10. *De grat. Chr. c.* 18. 19. 20.

§. XXXVII.

Quo omnia referenda, & per gratiam exspectanda.

Quemadmodum ergo ad DEUM summum, & incommutabile bonum omnia sunt referenda; ita etiam ab illius gratia cuncta exspectanda esse agnoscit christiana humilitas, confundens inanem mundi, ac mundanorum superbiam.

Epist. 21. *ad episc. Galliarum.* „ Quod omnia studia, & omnia opera, ac „ merita Sanctorum ad DEI gloriam, laudemque referenda sint, quia nemo aliunde „ ei

ei placet, niſi ex eo, quod ipſe donaverit: in quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis papæ ZOSIMI regularis auctoritas" ſunt verba COELESTINI papæ, cum ſcribens ad totius orbis epiſcopos ait: " Nos autem inſtinctu DEI (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt, unde naſcuntur) ad fratrum, & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus. Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eundem virum ſcriberent: illud vero, quod in litteris, quas ad univerſas provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: Nos tamen inſtinctu DEI &c. ſic accipimus dictum, ut illos, qui contra DEI adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis velut curſim tranſiens amputares." Alia ibi aliorum pontificum, & paſtorum eccleſiæ referuntur teſtimonia, quibus adverſa tunc Pelagianorum fuit ab eccleſia damnata doctrina, comparata ad deſtruendam gratiæ virtutem, humani autem arbitrii extollendas vires in operando bonum, & ſuis meritis conſequendum ſummum bonum, ſeu felicitatem æternam.

Quos hodie impietate etiam ſuperant Sociniani, qui DEO ſolis naturæ viribus ſerviendum putant ſine gratia DEI non ſolum, ſed etiam merito CHRISTI. Hinc tota eorum morum doctrina, ac vita naturaliſmum ſapit, ac ſi propriis naturæ viribus conſtaret. Nec aliter tenere poſſunt Sociniani, a quibus CHRISTUS merus homo habetur, per quem nobis nulla ſupernaturalia gratiæ merita adveniant, ſed is tantum legisla-

tor

tor ſit. Ab ipſius igitur præceptis, & lege exterius inſonante totam chriſtianam virtutem ſuſpendunt, ac perfectionem; cujus conſecutionem facilem putant. Nihilominus moralem chriſtianam quoad doctrinam præ cæteris excolere videri volunt, velut corpus ſine anima ſiſtentes. Multa in theoria quidem exacte diſcutiunt, & ordinant, præcepta, & legem evangelii attinentia; ſed illud demunt, ac negant, quod per CHRISTI gratiam ſolummodo in praxin redigi poteſt, dicente D. PAULO: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium ſuum miſit, in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.*

Rom. VIII. 3.

Et licet forte in quibusdam naturalis ordinis bonis, facilibus, & imperfectis non penitus deficiant vires noſtræ; quæ tamen chriſtiana ſunt officia, quibus ad vitam æternam ducimur, nihil in iis proficit humana infirmitas, atque in tanta ad malum pronitate tantis boni difficultatibus ſola gratiæ virtus prævalet, in toto opere ſalutis noſtræ ab initio juſtificationis uſque ad finem beatitudinis, fruendo ſummo bono, a quo nos pondere naturæ deflectimus in malum: ut adeo gratiæ omne bonum, nobis autem ſolum peccatum juxta leges humilitatis chriſtianæ, vero utique fundamento propriæ infirmitatis nixis, tribuere debeamus. *In utrisque ergo, id eſt, juſtis & injuſtis*, ſunt verba S. FULGENTII, *tria quædam conſideranda exiſtimo, initium voluntatis, progreſſum operis, finem retributionis. Ut in his, quæcunque juſta, & bona videmus, juſto, & bono DEO demus; illa autem DEO indigna noverimus,*

De dupl. prædeſt. ad Monimum. L. I. c. 14.

in

in quibus nec bonitatem, nec juſtitiam invenimus. Aliter qui ſentit, ſuperbia philoſophorum intumeſcit, ab humilitate chriſtiana, regulisque evangelicis alienus, & fundamentum aliud ponit quam CHRISTUM, etiam qui initium tantum operis cum ſemi-Pelagianis, vel quidvis ſoli naturæ ſine gratia tribuit, ut PROSPER contra CASSIANUM notavit. " Igitur ſecundum iſtum humana anima ſic ædificabitur in DEI templum, ut non accipiat fundamentum, præter quod aliud nemo poteſt ponere, quod eſt CHRISTUS JESUS. Quando autem hoc fundamentum incipitur, niſi quando fides in audientis corde generatur? Quæ ſi naturaliter inerat, non cœptum ibi eſt aliquid ſed ſuperſtructum. Superflue ergo infidelis videbatur, qui fidem habebat, antequam crederet. Hoc autem & de aliarum virtutum principiis poteſt dici, quas gratia augere debeat, quia ſunt, non donare quia deſunt. Sed aliud nos omnia ſanctarum ſcripturarum eloquia docent." Quibus relatis: " Ergo concludit " omnia, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata eſt, habemus; ſed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus. Nec ideo æſtimare debemus, in naturalibus theſauris principia eſſe virtutum, quia multa laudabilia reperiuntur etiam in ingeniis impiorum: quæ ex natura quidem prodeunt, ſed, quoniam ab eo, qui naturam condidit, receſſerunt, virtutes eſſe non poſſunt." Hic rememorari velim, quæ paulo ante ex COELESTINI epiſtola ad epiſcopos Galliarum retuli, ex qua nunc conſequentia ponam, ut conſtet, quænam ſint principia verorum bonorum operum, qua-

Cont. collat. c. 13.

Cœleſt. Epiſt. 21.

qualia apud ſolos chriſtianos reperiuntur, & ad verum finem diriguntur: " Quia præpara-
" tur voluntas a Domino, &, ut boni aliquid
" agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe
" tangit corda filiorum. Quotquot enim ſpiri-
" tu DEI aguntur, hi filii DEI ſunt; ut nec
" noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bo-
" nis quibusque voluntatis humanæ ſingulis mo-
" tibus magis illius valere non dubitemus au-
" xilium. Quod ita DEUS in cordibus ho-
" minum, atque in ipſo libero operetur arbi-
" trio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium,
" omnisque motus bonæ voluntatis ex DEO
" ſit: quia per illum aliquid boni poſſumus,
" ſine quo nihil poſſumus." Iterum laudat ZOSIMI prædeceſſoris teſtimonium: " Qui
" cum ad totius orbis epiſcopos de divinæ gra-
" tiæ opitulatione loqueretur: Quod ergo,
" ait, tempus intervenit, quo ejus non egea-
" mus auxilio? In omnibus igitur actibus,
" cauſis, cogitationibus, motibus adjutor, &
" protector orandus eſt. Superbum eſt enim,
" ut quidquam ſibi humana natura præſumat."

§. XXXVIII.

Nec ullus immunis ab omni labe eſt.

Illa maxime deteſtabilis eſt perverſitas, qua ſe expertem peccati eſſe, vel eſſe poſſe putat Pelagiana perfidia; quod nec ordinario gratiarum curſu unquam obtigit ſanctiſſimo etiam cuique.

Non de gravibus ſolum peccatis, ſed etiam levibus, in quæ quotidie incurrimus, eſt quæſtio. Nec illis quidem, qui gratia CHRISTI

STI deſtituitur, diu ſaltem vacabit: his autem venialibus obnoxii ſunt etiam fideles, ac ſancti, qui quotidie in oratione dominica non fruſtra orant: *Dimitte nobis debita noſtra.*

OROSIO, dum in oriente verſaretur, a JOANNE epiſcopo Hieroſolymitano lis eſt intenta, quaſi aſſeruiſſet, hominem etiam cum auxilio divino non poſſe eſſe ſine peccato. Cujus rei cauſa apologiam edidit, quæ etiamnum extat; ubi quidem PELAGIUM perſtringit, ſe ſine labe, & peccato jactantem. Cum divina gratia poſſe hominem vivere ſine peccato non negat; ſed hoc nunquam accidiſſe, nec futurum eſſe in hoc vitæ, ac naturæ corruptæ ſtatu dicit. Et S. AUGUSTINUS: *Alia*, ait, *quæſtio eſt, utrum quis eſſe poſſit in hac vita ſine peccato, alia utrum ſit: alia, ſi non eſt, cum poſſit eſſe, cur non ſit: alia utrum, qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolum quiſpiam ſit, vel etiam potuerit aliquando eſſe, vel poſſit.* Hoc PELAGIUS verſipellis aliquando recte diſtinxiſſe viſus eſt, aliud eſſe quærere, an poſſit aliquid eſſe, quod ad ſolam poſſibilitatem pertinet; aliud utrumne ſit. *Hanc*, inquit S. AUGUSTINUS, *diſtinctionem veram eſſe nemo ambigit: conſequens enim eſt, ut, quod eſt, eſſe potuerit; non eſt autem conſequens, ut, quod eſſe poteſt, etiam ſit.* Etiam alteram moderationem adhibuiſſe viſus eſt: poſſe quidem eſſe, ſed per gratiam; ſed luſit ambiguo, pro more, gratiæ nomine, atque quæſtionem de poſſibilitate ipſa ad ſtatum naturalem extra gratiam reſtrinxit: alterum enim, quoad poſſibilitatem per DEI gratiam, facile transmittendum duxiſſet S. AUGUSTINUS:

De peccat. mer. & remiſſ. c. 6.

Apud S. Aug. de nat. & grat. c. 7.

Ib.

Ib. c. 10.

Ib. NUS: *Verumtamen*, ait, *quia iſto dimiſſo, qui rem jam confitetur, agit adhuc adverſus eos, qui negant eſſe poſſibile, hominem eſſe ſine peccato, quid ad nos? Contra quos vult agat, dum tamen hoc confiteatur, quod impietate ſceleratiſſima negatur, ſine gratia DEI hominem ſine peccato eſſe non poſſe.*

Sine gratia DEI ergo nec quidem fieri poteſt; cum gratia autem non contingit niſi extraordinaria: de CHRISTO nullus dubitat ob unionem hypoſtaticam; de matre autem CHRISTI aſſertum eſſe, ſuo loco docuimus. Quoad reliquos autem homines, *Jac. III. 1.* *in multis offendimus omnes*, cum S. JACO- *1. Jo. I. 8.* BO profitemur: & cum S. JOANNE: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* "Ex quo eſt conſequens" in- *L. c. c. 34.* quit S. AUGUSTINUS, "ut ille, qui "dixit: *Si dixerimus &c.* verum dixiſſe mi- "nime dubitetur, nec cauſa humilitatis hoc "falſum dixiſſe videatur. Propterea enim "addidit: *Et veritas in nobis non eſt:* cum "forte ſufficeret dicere, nos ipſos decipimus, "niſi attenderet quosdam putare poſſe, ideo "dictum, nos ipſos decipimus, quia etiam de "vero bono, qui ſe laudat, extollitur. Ad- "dendo itaque, *& veritas in nobis non eſt*, "manifeſte oſtendit, ſicut etiam huic rectiſ- "ſime placet, hoc omnino verum non eſſe, "ſi dixerimus, quia peccatum non habemus: "ne humilitas conſtituta in parte falſitatis, "perdat præmium veritatis." Et concil. Mi- *Can. 6.* lev. II. *Placuit, quod ait S. JOANNES: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: quisquis ſic accipiendum putaverit, ut*

dicat,

dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita eſt, anathema ſit.

§. XXXIX.

Non etiam homo ex ſtatu peccati, & ad converſionem veræ pœnitentiæ ſuis ſe viribus poteſt movere, aut DEUM ſuo conatu ad gratiam dandam commovere.

Nec ſe ad DEUM ſine gratia poteſt convertere.

Non loquimur tantum de remiſſione peccatorum conſequenda, quam ipſi Pelagiani gratiam eſſe minime negabant. *Dicunt*, de illis S. AUGUSTINUS teſtatur, *gratiam DEI, quæ data eſt per fidem JESU Chriſti, quæ neque eſt lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia ſuperentur.* De hoc ergo poſtremo quæſtio erat, quonam motu an ſuo, vel gratiæ ad converſionem, & pœnitentiam gradus fiat. Atque hic non ſoli Pelagiani errabant, quin etiam occulte perſæpe non tantum irrepit error in opinionem, ſed & multo magis in praxin: dum homines ſibi tribuunt, quod eſt gratiæ ſpiritus ſancti in novo teſtamento, ut eſt promiſſum per prophetam: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Hic Pelagiani non internam mutationem cordis per gratiam, ſed externum tantum terrorem legis, atque excitationem, adhortationemque ad reſipiſcendum ſtatuebant, internam autem cordis emollitionem, motionemque ad pœnitendum homini attribuebant.

De grat. & lib. arb. c. 13.

Ezech. XXXVI. 26.

PELAGIUS inter alia illis abuſus ſcripturæ, & quotidianarum adhortationum teſtimoniis, quibus peccatores ad pœnitentiam incitantur, aut ſe convertere ad eam perhibentur e. g. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem &c.* exemplum proferebat prodigi, qui motus miſera vita, & ærumnis ipſe conſilium cœperit, & ſtatuerit reverti ad patrem. Quæ humano modo de exteriore actione dicta, ad occultam, internamque operationem Spiritus ſancti trahi non debent, quæ cor ad pœnitentiam convertit, durum peccatoris cor emolliendo, cor pœnitens reddendo. *Et ideo*, inquit S. THOMAS, *non poteſt homo per ſeipſum reparari, ſed indiget, ut denuo ei lumen gratiæ infundatur, ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando denuo infunderetur anima.*

1. 2. q. 109. a. 7. ad 2.

Idcirco nos S. LEO non vult eſſe difficiles in reconciliatione concedenda, quando interior animus ad pœnitentiam eſt permotus, quod non hominis, ſed DEI eſt opus: *Cum ipſam*, ait, *pœnitentiam ex DEI credamus inſpiratione conceptam dicente apoſtolo: Ne forte det illis DEUS pœnitentiam, ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.* Concilium Arauſicanum utitur argumento a majori ad minus: *Cum ſine gratia DEI ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia poterit reparare, quod perdidit.* Et ZOSIMUS papa: *Nam quamvis*, inquit, *hominem redemiſſet a præteritis ille peccatis, tamen ſciens iterum poſſe peccare ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit, quotidiana præſtans illi remedia, quibus niſi freti, con-*

Epiſt. 91.

Can. 19.

Epiſt. 29. n. 6.

confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Quæ referens COELESTINUS P. pronunciat, *neminem etiam baptiſmatis gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium DEI perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.* *Epiſt. 21.*

§. XL.

Ad doctrinam rerum ſpiritualium, veritatumque ſupernaturalium fidei, & pietatis, ut ſit ſalutaris, gratia jugiter eſt opus, mente purgata, luce ſpiritus ſancti illuſtrata, ac imbuta. Sine gratia mentem illuſtrante.

" Eſt enim, " inquit S. CLEMENS ALEXANDRINUS, " ſcientia habitus demonſtrativus, fides autem gratia. " Et D. PAULUS: " *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* " Ita laudatus mox S. CLEMENS ad veram ſapientiam pertingi fuit perſuaſus: " Quæ quidem, " inquit, " eſt divina facultas, quæ entia quatenus ſunt entia cognoſcit, id quod eſt perfectum conſecuta, & libera ab omni animi " perturbatione: idque non ſine ſalvatore, " qui ſemota ab oculis animæ per verbum divinum caligine ignorantiæ, quam illis prava " conſuetudo offuderat, optimum ſtatum reſtituit, ut clare percipiamus, DEUS ne ſit, " an homo. Is eſt, qui revera oſtendit, quomodo nos ipſos cognoſcere oporteat, is, qui " univerſorum Patrem revelat, cui vult, & " *L. I. ſtrom.* *2. Cor. III. 5.*

" quoad humana natura comprehendere valeat,
" *Nemo enim novit Filium, niſi Pater &c.* "

Mentis perverſitas & ad malum pronitas excæcavit humanum ingenium, ne in doctrinam ſalutarem animum intendat: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſpiritus ſunt, ſtultitia enim eſt ei.* Habent doctrinæ ſalutares fidei, & morum præſertim, quæ carni, & corruptæ naturæ adverſa ſint, quæ cæcæ mentī paradoxa videantur: quæ pravis deſideriis in malum vergentibus non ſint congrua. Id ſtatim ſe prodidit in ADÆ poſteris, atque divino ore in ſcripturis eſt notatum. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore. Ergo*, inquit S. AUGUSTINUS, *quomodo homo poſitus in ſole cæcus, præſens eſt illi ſol, ſed ille ſoli abſens eſt: ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus eſt corde. Præſens eſt ſapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis ejus abſens eſt, non quia illi abſens eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt.*

2. Cor. II. 14.

Tract. I. in Jo. in fine.

Hodie inter Lutheranos multum diſputatum eſt, utrum irregeniti poſſint dici illuminati. Eſt hæc inter præcipuas, quas Pietiſticas vocant, controverſias, cum D. SPENERO &c. longis concertationibus, & ingenti mole ſcriptorum agitatas. Cognitionem ſalutarem cum pietate, atque converſione cordis conjunctam eſſe debere ſemper eſt agnitum, juxta illud prophetarum regum, DAVIDIS, & SALOMONIS: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Hinc in pſalmo mox additur: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Tam ergo in illis, qui vera fide imbuti non ſunt, quam qui peccatorum catenis conſtricti hærent, ipſa etiam doctrina, & ſcientia rerum ſalutarium eſt impedita. *Quodſi etiam,*

Pſ. 110. v. ult.

in-

inquit D. PAULUS, *opertum eſt evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum: in quibus deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriæ CHRISTI, qui eſt imago DEI.* Hinc in cantico ſuo ZACHARIAS ad DEUM ſe convertit, & rogat: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum: Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Tenebræ hæ non ſolum ſunt infidelitatis, verum etiam impietatis, ac peccatorum, pravarum conſuetudinum, & habituum malorum, quæ nec a piis etiam, & virtuti deditis penitus deponuntur.

2. Cor. IV. 3.

Luc. I. 77. &c.

Hinc pravis affectibus præoccupati frequenter judicium intellectus non æquum ferunt, omnesque opus habemus, continuo ad divinam gratiam recurrere, eamque implorare. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Hujusmodi ferventibus precationibus plenus eſt imprimis pſalmus 118. Sic etiam S. PAULUS pro Epheſiis dicit ſe non ceſſare memoriam facere in orationibus: *Ut DEUS, Domini noſtri JESU Chriſti Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ, & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos.*

II. Paral. XX. 12.

Eph. I. 17.

§. XLI.

Quæ ad ſingulas actiones adeſſe debet

Ad operandum autem, actionesque omnes ad præſcriptum virtutis rite inſtituendas cumprimis adeſt divina gratia, ut perfectus ſit homo in omni ſanctitate, atque tantis difficultatibus, tentationibusque ſuperior.

Hoc ſola docet chriſtiana religio, præſtatque CHRISTI gratia: cujus virtus nunquam magis enituit, quam initio chriſtianiſmi, eccleſia preſſa, & ſub tantis perſecutionibus non ſolum non fatiſcente, ſed etiam mirum in modum creſcente. *Ibant apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Subito ad illapſum Spiritus ſancti virtus ſe divina exeruerat, & in fortitudine infinitorum martyrum reſplenduit, quam ipſi unice gratiæ CHRISTI in acceptis referebant, & palam oſtentabant. Sic inſignis ille S. THEODOTUS, ut in actis illius legitur, " concurrentes undique ad ſpectaculum cives invitabat, ad cognoſcendam ex " iis, quæ paſſus erat, CHRISTI potentiam: Videte, inquiens, univerſi, quam " admirabilis ſit CHRISTI virtus, & quomodo iis, qui ejus cauſa ſe tormentis exponunt, largiatur impaſſibilitatem, atque corpoream infirmitatem efficit igne valentiorem, facitque generis infimi homines minas principum floccipendere, & edicta imperatorum contra pietatem lata. Et quidem citra perſonarum exceptionem Dominus univerſorum univerſis præſtat ejusmodi " gra-

Act. V. 41.

Boll. ad 18. Maji, p. 161.

gratiam, ignobilibus, ſervis, liberis, barbaris. "

Hoſtes autem undique homini inſidiantur, & eum a recto avocant, ipſa præprimis naturæ corruptio: unde conflictandum ſemper eſt, & ſi ad virtutem, pietatemque componi vita debeat, fortis gratia præſto ſit, neceſſe eſt; qua homo ſuam infirmitatem humiliter agnoſcens ad DEI adjutorium unice recurrat, ſeſe autem peccatorem ſemper confiteatur. EUSEBIUS in pſalmum XXXIX. exempla hujusmodi ſanctiſſimorum etiam virorum vet. teſt. affert (ut idem ſpiritus utriusque eſſe, ac undique inter tot tentationes gratia neceſſaria eſſe dignoſcatur) ad illum verſiculum: *Tu autem Domine ne longe facias miſerationes tuas a me &c. Atque ſalutem nacta DEI eccleſia*, inquit, *iterum eadem ope indiget, variis, frequentibusque hominum, dæmonumque inſultibus impetita.* Poſtremo loco PAULUM commemorat, atque ipſius exemplo, & verbis rem firmat: *CHRISTUS enim*, inquit, *introivit in mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum;* ac rurſum: *Non ſum dignus vocari apoſtolus. Sic igitur hoc in loco DEI eccleſia, impiorum tempeſtatibus agitata, non magnifice ſentit, ut impugnata; ſed ea quæ contingunt, peccatis ac ſceleribus attribuit, & a ſalvatore opem conſequi rogat.*

In iſto ergo peccati ſtatu gemit fidelis anima, & dum a peccatis emergendi difficultatem ſentit, tot tentationibus infeſtata, tot hoſtibus circumdata, neceſſitatem omnimodam gratiæ agnoſcit, ad profectum quemvis virtutis, ſeu actionem quamlibet debito modo perficiendam, quoad pietatem, veramque juſtitiam pertineat.

In hoc cardo rei adverſus Pelagianos vergebat, qui ad facilius tantum operandum gratiam commodam quidem, & utilem, at non neceſſariam putabant, quod minime ferendum putavit S. AUGUSTINUS, poſtulavitque, *ut per hoc gratiam DEI, qua charitas DEI diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, & omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam fieri poſſe non dubitet. Et*, ut definiunt PP. Africani apud PROSPERUM, *ut ſine illa nihil veræ, ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

De grat. Chr. c. 26.

Proſp. cont. col. lat. c. 5.

§. XLII.

Atque ad implenda præcepta.

Ad præcepta obſervanda, ac legem implendam itidem gratia nobis neceſſaria eſt: unde cum S. AUGUSTINO DEUM rogemus in tantis tentationibus, & difficultatibus: *Da quod jubes, & jube quod vis.*

PELAGIUS Romæ, antequam palam hæreſin ſuam evomeret, mox laudata verba a quodam epiſcopo eo præſente commemorata, teſte ipſo S. AUGUSTINO, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius pene cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit. Ipſe tamen non negavit, propterea dari gratiam, *ut, quod a DEO præcipitur, facilius impleatur*, quæ ſunt illius apud S. AUGUSTINUM verba, qui addit: " Scilicet, " quod etiam ſine illa, etſi minus facile, fieri " tamen, quod divinitus præcipitur, poteſt.

De don. perſev. c. 11.

De grat. Chr. c. 26. 27.

" In

In libro quippe ad virginem ſacram, quod & ſupra commemoravi, cum, dicit, divinam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritui, ſancti Spritus auxilio reſiſtamus: ſignificat profecto, quid ſapiat. Ut quid enim hoc verbum interpoſuit, id eſt, facilius? An vero non erat integer, ut nequam ſpiritui, ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritus ſancti, etſi minus facile, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur."

Non poterat penitus negare difficultatem legis ſervandæ, quam tantopere ipſe in ſe D. PAULUS deplorat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Mox ſubjungit remedium, & auxilium gratiæ CHRISTI. Gratia DEI per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum.* Et mox: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto JESU liberavit me a lege peccati, & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: DEUS Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Unde idem: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* In quæ verba S. AUGUSTINUS in ſuis confeſſionibus (quibus haud dubiè offenſus

Rom. VII. 23. &c.

Rom. VIII. 1. &c.

Phil. IV. 13.

fuit PELAGIUS, ut paulo ante retuli) *L. X. c. 31.* ſic loquitur & DEUM orat: *Conforta me, ut poſſim. Da quod jubes, & jube quod vis. Iſte ſe accepiſſe confitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. Audivi alium rogantem, ut accipiat: aufer a me, inquit, concupiſcentias ventris, unde apparet, ſancte DEUS meus te dare, cum fit quod imperas fieri.* Et S. FULGENTIUS: *Dum ergo præcipitur nobis, ut velimus, oſtenditur, quid habere debeamus, ſed quia id ex nobis habere non poſſumus, admonemur, ut, a quo nobis datur præceptum, ab ipſo petamus auxilium. Quod tamen non poſſumus poſcere, niſi DEUS in nobis operetur & velle. Voluntas enim, quæ in nobis bona dono DEI miſerentis efficitur, ipſa in nobis, ut bene operari valeat, adjuvatur. . . . Beatus itaque DAVID & humani arbitrii voluntatem, & virtutem divinæ gratiæ recognoſcens, convenit quidem nos, ut faciamus bonum, ſed quod a nobis imperat fieri, inde nobis poſcit, unde nos habere poſſe non ambigit.* Error PELAGII in concilio Milevit. *c.* 5. damnatus eſt: ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam: tanquam, etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſemus ſine illa divina implere mandata, anathema ſit.

De ver. præd. & grat. L. II. c. 4.

§. XLIII.

Et perſeverandum uſque in finem.

Perſeverantiæ ſingulare eſt donum, quod non mereri quidem, ſed tamen, ut in accepta juſtitia ad finem

finem uſque perſeveremus, impetrare, & exorare ſuppliciter poſſumus.

Angeli, qui a ruina ſteterunt, & perſeverant immobiles in ſtatu gratiæ hoc ſingulari Spiritus ſancti beneficio jam tenent. *Quodſi creationem reputes*, inquit S. BASILIUS, *conſolidatæ ſunt cœlorum virtutes a Spiritu, ita, ut conſolidationem intelligas firmitatem, quæ non facile bonorum habitu excidat. Etenim quod DEO conjunctæ ſunt, quodque ad malitiam verti non queunt, quodque in beatitudine perpetuo perſeverant virtutes, id illis a Spiritu accedit.* Ac ſpiritus quidem illi angelici citius ad metam pertigerunt, quam homines, quibus integra hæc vita viæ inſtar eſt, qua ad patriam pergunt. Ubi præter infinitas alias per hominis vitam, gratia illa etiam ſpecialis eſt, *qua*, verba ſunt S. AUGUSTINI, *uſque in finem perſeveratur in CHRISTO. Finem autem dico*, pergit, *quo vita iſta finitur, in qua tantummodo periculum eſt, ne cadatur.* Ubi notandus eſt Calviniſtarum error, gratiæ inamiſſibilitatem pro prædeſtinatis, & electis per hanc vitam ſtatuentium. Et inter Lutheranos etiam noviſſimis his diebus agitari cœpit quæſtio: *An regenitus jam inde a regenerationis tempore uſque ad beatam mortem ſeſe ab omni proæretico ſaltem peccato continere poſſit?*

De Spir. S. n. 49.

De don. perſev. c. 1.

Quodſi de poſſibilitate perſeverantiæ in ſtatu gratiæ, ac pacti baptiſmalis ſit ſermo, ea omnino negari non ſolum non poteſt, ſed etiam dici debet, ad hoc ordinari legem gratiæ, & media a DEO per gratiam præparata, divinamque hoc ferre voluntatem; dummodo non refragetur homo, & reſpuat gratias

tias oblatas. Quarum bono uſu gratiam augeri contingit, niſi homo eam diſperdat, &
Jo. XV. 1. fructum gratiæ non ferat: *Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & eum, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Nec vel leve dubium relinquunt infinita CHRISTI merita, & gratia omnibus difficultatibus, & tentationibus ſuperior, ſi homo non deeſſet.
Rom. VIII. 32. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Hæc D. PAULUS, qui magna fiducia poſtea loquitur: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos ſeparare a charitate DEI, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro.*

Hoc ſingulare eſt perſeverantiæ donum, dum ſcilicet reipſa perſeveratur uſque ad finem hujus vitæ, quo articulo ceſſat periculum cadendi, quique cum illo conjungitur ſtatus gratiæ proprie donum perſeverantiæ vocatur. Circa quod etiam ſemi-Pelagiani errarunt, idque demereri hominem dicebant, quos S. AUG. libro de dono perſeverantiæ refutat, ac etiam alibi præſertim exemplo parvulorum:
c. 17. *Mirabilior*, inquit, *& fidelibus evidentior largitas bonitatis DEI eſt, quod etiam parvulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.* De adultis autem inde potiſſimum probat, quod pro hac
c. 7. gratia oremus. *Quod*, inquit, *poterat nobis & non orantibus dari: ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, a quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, niſi ab illo accipimus, a quo juſtum eſt ut petamus? Prorſus*

ſus in hac non operoſas diſputationes exſpectet eccleſia: ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant; DEUS ergo convertit ad fidem: orat, ut credentes perſeverent; DEUS ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Hæc DEUS facturum ſe eſſe præſcivit. Ipſa eſt prædeſtinatio Sanctorum &c. Etiam incidebat quæſtio, amitti non amplius an poſſit hoc donum, quod etiam Marſilienſes iſtos ſemi-Pelagianos offendit, atque ad eosdem ſcripſit librum de prædeſtinatione ſanctorum.

§. XLIV.

Finis, quo omnia hæc referuntur, vita æterna eſt, ſingularis itidem gratia, quam multo minime ſuis viribus, aut meritis, niſi gratiæ donis, adſcribere debet homo.

In vitam æternam.

Nunc vero liberati, ait S. PAULUS, *a peccato, ſervi autem facti DEO, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autem DEI vita æterna, in Chriſto JESU Domino noſtro.* Poteſtque huc referri tota fere ad Romanos epiſtola, contra Judæos, & gentiles, quorum illi operibus legis, hi propriis meritis vocationem ſuam adſcribebant, qua per legem gratiæ ad æternam gloriam ſint prædeſtinati gratuita DEI voluntate nullis præcedentibus meritis. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Sicuti ergo per gratiam DEI vocati currunt, ita etiam per-

Rom. VI. 22. 23.

Rom. VIII. 10.

Luc. X. 27. perveniunt ad æternam gloriam. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Non itaque ſimus ingrati*, ait S. AUGUSTINUS, *De don. perſev. c. 8.* *quod ſecundum placitum voluntatis ſuæ tam multos liberat miſericors DEUS de tam debita perditione, ut ſi inde neminem liberaret, non eſſet injuſtus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injuſtam judicati ſunt ire, ſed juſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoſcat.*

Pelagiani nimirum non ſolum, ſed etiam ſemi-Pelagiani hic impingebant, ducebatque huc eorum doctrina, qui vel ex toto, vel ex parte negotium ſalutis adſcribebant arbitrio, & viribus humanis. Unde GERMANUS *c. 21.* apud CASSIANUM in famoſa collatione decima tertia PAPHNUTIO objicit, ſi dependeat ex nobis DEUM audire, vel non audire, quomodo non etiam ſalus noſtra a nobis dependeat? Quod fieri ſatis perſpexit, & contra hoſtes gratiæ demonſtravit S. AUGUSTINUS. Hinc ejus doctrina offenſi ſemi-Pelagianiſmo locum dederunt, concoquere non valentes doctrinam de electione gratuita: quod in cauſa parvulorum, & geminorum JACOB, & ESAU ex D. PAULO oſtendit ſanctus doctor: " Sed cur, " inquit objectionem eorum afferens *De don. perſev.* S. AUGUSTINUS, " non ſolum in par- " vulorum, verum etiam in geminorum una, " atque eadem cauſa, tam diverſum judicium? " Recolamus igitur illos operarios in vinea, " qui toto die laboraverunt, & eos, qui hora " una: nempe cauſa diverſa eſt impenſi labo-

" ris

ris, & tamen idem judicium in redditione " mercedis. Numquid & hic audierunt mur- " murantes a patrefamilias, nisi, hoc volo? " Ita quippe, ejus erga alios fuit largitas, ut " erga alios nulla esset iniquitas. " Ita haud minus dici potest, ac debet gratuita gloria, quam ipsa gratia, ut tota salutis nostræ causa DEO adscribatur: *Nisi enim ipso vocante, docente, salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur.* Ita PROSPER epistola ad RUFINUM.

§. XLV.

Quæ omnia gratis nullis præeuntibus meritis præstantur.

Gratia debet esse gratuita nullis meritis comparata: alioquin gratia jam non est gratia; etiam augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, nisi præcedentibus gratiis, adscribi non debet.

S. AUGUSTINUS errore semi-Pelagianorum aliquando se detentum fuisse, ultro fassus est; at, quod ei imputavit PELAGIUS, quasi gratiam ex meritis dari in libris de libero arbitrio asseruerit, neutiquam concessit. Agit hoc in libro *de natura, & gratia:* Naturæ pœnale vitium ad vindictam justissimam pertinere; ipsam autem gratiam non meritis reddi, sed gratis dari: " Hæc autem, " initio statim de- *De nat.* finit, " CHRISTI gratia, sine qua nec in- " *& grat.* fantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt, " non meritis redditur, sed gratis datur, pro- " pter quod & gratia nominatur. " Et ad SIX- *Rom. VII.* TUM scribens ad illum D. PAULI locum: 24. " *Infelix homo, quis me liberabit &c.* Nemo " *Epist.* 194. " ideaque liberat a vulneribus illius trucidatoris, " *c.* 6.

" nisi

» nisi hujus gratia salvatoris. Nemo liberat ve-
» numdatos sub peccato a vinculis captivantis,
» nisi gratia redimentis. Ac per hoc universi,
» qui se nequitiis, & iniquitatibus excusatos
» volunt, ideo justissime puniuntur, quoniam,
» qui liberantur, non nisi gratia liberantur.
» Nam si excusatio illic justa esset, non inde
» jam gratia, sed justitia liberaret. Cum vero
» non liberat nisi gratia, nihil justum invenit
» in eo, quem liberat, non voluntatem, non
» operationem, non saltem ipsam excusationem:
» nam si hæc justa est, quisquis ea utitur, me-
» rito, non gratia liberatur," Et ad VITA-
Ep. 217. c. 6. LEM; " Quomodo voluntatis humanæ me-
» ritum sequitur gratia, cum detur & parvulis,
» qui nondum possunt velle, seu nolle? Quo-
» modo gratiam vel in majoribus dicuntur præ-
» cedere merita voluntatis, si gratia, ut vera
» sit gratia, non secundum merita nostra datur?
» Quam sententiam catholicam PELAGIUS
» ipse sic timuit, ut eos, qui dicunt gratiam
» DEI secundum merita nostra dari, sine dubi-
» tatione damnares, ne a catholicis judicibus
» damnaretur."

Tum idem argumentum instaurat, quod alibi etiam frequenter facit, gratiam non fore gratiam, si ex meritis, aut illis, qui se ea dignos præstarent, detur, præsertim in libro de
c. 14. gestis PELAGII exemplo S. PAULI, quo abusus est PELAGIUS. In libro de gratia CHRISTI iterum PELAGIUM urget propria confessione in judicio ecclesiastiaco facta, dum eos damnat, qui gratiam DEI secundum merita dari dicunt. Quam confessionem merito amore veritatis factam negat, cum contrarium omnino etiam in libro ad virginem DEMETRIADEM doceret; ubi tamen maxime tegere errorem conabatur. Alias

Alias etiam quandoque gratuitam gratiam agnoſcere videbantur Pelagiani; ſed intelligebant tantum remiſſionem peccatorum, vitam autem æternam dari ob merita præcedentia omnino volebant. Quibus reſpondet S. AUGUSTINUS, in libro de gratia, & libero arbitrio, atque eorum pravam a vera diſtinguit doctrina: " Sed cum dicunt, " inquit, " Pelagiani, hanc eſſe ſolam non ſecundum " merita noſtra gratiam, qua homini peccata " dimittuntur; illam vero, quæ datur in fine, " id eſt, vitam æternam meritis noſtris præce- " dentibus reddi, reſpondendum eſt eis. Si " enim merita noſtra ſic intelligerent, ut etiam " ipſa dona DEI eſſe cognoſcerent, non eſſet " reprobanda iſta ſententia: quoniam vero " merita humana ſic prædicant, ut ea ex ſe- " metipſo habere hominem dicant, prorſus re- " ctiſſime reſpondet apoſtolus: *Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?* " *Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non* " *acceperis?* Prorſus talia cogitanti veriſſime " dicitur: *Dona ſua coronat DEUS, non* " *merita tua, ſi tibi a teipſo, non ab illo ſunt* " *merita tua.* "

De grat. & lib. arb. c. 6.

1. Cor. IV. 7.

Textus is PAULI: *Quid autem habes, quod non accepiſti &c.* potiſſimum erat, qui eum ex ſemi-Pelagiano errore liberarat. Qui quidem gratiam non negant eſſe neceſſariam, ſed ei præire meritum noſtrum in principio converſionis volebant, ut diſcimus ex epiſtola PROSPERI ad S. AUGUSTINUM, & ipſa res docet: " Sed refugiunt iſtud fateri, " verba ſunt PROSPERI, " divinoque ad- " ſcribere operi ſanctorum merita formidant. . " Ac ſic, cum in his qui tempus acceperunt " liberæ voluntatis, duo ſint, quæ humanam "

Epiſt. ad S. Aug. n. 6.

" operentur ſalutem, DEI ſcilicet gratia, &
" hominis obedientia; priorem volunt obe-
" dientiam eſſe quam gratiam, ut initium ſa-
" lutis ex eo, qui ſalvatur, non ex eo creden-
" dum ſit ſtare, qui ſalvat; & voluntas ho-
" minis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non
" gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem."
Quos refutans S. AUGUSTINUS hoc agit, ut etiam fidei initium donum DEI eſſe demonſtret: " Prius itaque," ait, " fidem, qua
" chriſtiani ſumus, donum DEI eſſe debemus
" oſtendere: ſi tamen diligentius id facere poſ-
" ſumus, quam in volumnibus tot tantisque
" jam fecimus . . . Sed nunc eis reſpondendum
" eſſe video, qui divina teſtimonia, quæ de
" hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere,
" ut noverimus, ex nobis nos habere ipſam fi-
" dem, ſed incrementum ejus ex DEO tanquam
" fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo
" tanquam augeatur in nobis eo merito, quo
" cœpit a nobis. Non ergo receditur ab ea ſen-
" tentia, quam PELAGIUS ipſe in epiſco-
" pali judicio Palæſtinæ, ſicut eadem geſta te-
" ſtantur, damnare compulſus eſt, gratiam
" DEI ſecundum merita noſtra dari."

De prædeſt. SS. c. 2.

Lib. de geſtis Pelag. c. 14.

Nihilominus CASSIANUS, qui in eodem luto hæret, videtur retractare, gratiam ſecundum merita noſtra dari. Sed ſi quis vel initium converſionis hominis arbitrio dat, hic conſequenter errat. Unde diſcimus ex S. LEONE, hæreticos etiam, qui ejurare tunc videbantur hæreſin, hoc ſemper ſibi reſervaſſe, gratiam ſecundum merita dari. PROSPER epiſtola ad RUFINUM hoc maxime crimini dat hoſtibus gratiæ, *ex his tamen*, inquit, *una eſt blaſphemia, nequiſſimum, & ſubtiliſſimum germen aliarum, qua dicunt, gratiam DEI ſecundum merita hominum dari.* Huc pertinet

Collat. II. c. 16.

Epiſt. 214. ad epiſc. Aqu. &c.

Cap. 1.

net epigramma ejusdem PROSPERI, quod epitaphium inscripsit hæresis Nestorianæ, & Pelagianæ, cum ibi divinitas CHRISTI, hic justitia fidelium, meritis detur:

Nam CHRISTUM pietate operum, & mercede volentes
Esse DEUM in capitis fœdere non petimus,
Sperantesque animi de libertate coronam
Perdidimus quam dat gratia justitiam.

Atque in proemio carminis de ingratis monet, se contra eos scribere, qui temere dona DEI suis meritis adscribunt, dicuntque:

- - - - - - Quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis
Quæ sint aversis indebita, debita rectis.

Nec hic etiam ex scholasticis non pauci antiquiores excusandi, qui abutuntur axiomate, facienti, quod est in se, DEUS non denegat gratiam; si naturæ, non gratiæ, opus spectent, quo aliquis bono gratiarum usu earum uberiorem proventum mereri potest: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Quod alii etiam evangelistæ referunt CHRISTI effatum, ubi de lucro ex talentis acceptis agitur, accessione nimirum novarum gratiarum ex bono præcedentium usu. *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* *Matt. XXV. 28.* *Conc. Arausic. c. 18.*

§. XLVI.

A quibus autem aufertur gratia, justo judicio id merentibus contingit in pœnam abusus gratiarum, & Gratia autem non abest nisi præeuntibus demeritis.

ſuperbæ præſumtionis de propriis viribus.

Id ſummopere cavendum hominibus, ne
2. Cor. VI. 1. in vacuum recipiant gratiam. D. PAULUS gratus agnovit: *Gratia DEI ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Huc pertinent parabolæ de illis, quorum alii plures minas, ac talenta acceperunt, & totidem ſunt lucrati: alter unum talentum, & minam neglexit, illoque etiam privatus eſt in negligentiæ ſuæ pœnam. Homines ergo in cauſa ſunt, ſi gratia deſtituuntur, qui accepta non utuntur. DEUS boni noſtri cauſa eſt, malum nobis ipſis imputemus neceſſum eſt, ob corruptionem, & mala naturæ, potiſſimum autem propriæ culpæ, & inſidiis inimicorum viſibilium, & inviſibilium.

Hinc ad DEUM in oratione dominica oramus: *Et ne nos inducas in tentationem*, non quod ipſe nos inducat, ſed immerentes non eripiat. *Et cum mandata DEI negligimus,*
Hom. VII. in Judic. inquit ORIGENES, *cum CHRISTUM contemnimus, validior adverſus nos manus dæmonum efficitur, & tradimus etiam nos inimicis, cum deſerimur a gratia.* Sic etiam
P. 8. S. HILARIUS illud pſalmi CXX. " *Non*
" *det in commotionem pedes meos:* Non eſt
" autem intelligendum, quod ideo iſta bene-
" dictio ſit, ne det in commotionem pedem
" tuum, tanquam aliquos DEUS tradat in
" vitia, in quæ pedibus corruptæ mentis in-
" vehimur. Non ille nos tradit, ſed cum ab
" eo abſcedimus, conſequitur. Nam cum pe-
" dibus corruptæ mentis invehimur, non ille
" nos tradit, ſed nos ab eo per peccata de-
" ſciſcimus. Et cum in peccatoribus ipſe non

" habi-

habitet, diſceſſionem noſtram ab eo conſequitur, & abſceſſio ejus a nobis, quia nos ab eo per peccata diſcedimus. Et diſcedente eo a nobis, in omnes delictorum foveas incidimus, & per ampliſſimam mortis viam currimus, dominatui dæmonum ſubditi, quibus nos DEI a nobis abſceſſio derelinquit. Et deſolatio ejus idcirco traditio eſt, quia peccatores obtinere diabolus niſi DEO ab his abſcedente non poterit. Quandoquidem, ut cautos reddat, Sanctos etiam deſerit, ut & ipſi adverterent" inquit S. AMBROSIUS, "divinis ſe auxiliis indigere, ducemque ſalutis ſuæ quærendum eſſe cognoſcerent." *Apol. in David. n.* 8.

Qui ergo gratiæ minus in ſe tribuunt, & de ſuis viribus præſumunt, etiam juſti, & ſancti, ab ea deſeruntur: veluti DAVIDI contigit, quod ipſe in pſalmo XXIX. innuit: *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* v. 7. "Opus enim eſt eum" ait in illum locum EUSEBIUS, "qui coram DEO conſiſtit, meminiſſe hujus dicti: *Qui videtur ſtare, videat ne cadat*, ac Domino gratiam de ſtatu illo profiteri. At ille non bene ſecum reputans ex ſua virtute ſe in præclaris ſtare arbitratus eſt; ſeſe immutabilem, immobilemque declaravit. „ Similis fuit PETRI caſus ter magiſtrum negantis: Ex eo" inquit S. CHRYSOSTOMUS, "quod DEUS eum deſeruerat, erudiens, ut humanam ſciret menſuram, & non repugnaret iis, quæ dicebantur a magiſtro, neque magis, quam alii, altum ſaperet; ſed ſciret, quod absque DEO nihil poteſt fieri. DEUS enim eſt" inquit S. AUGUSTINUS, "qui operatur in nobis velle," 1. *Cor.* X. 12. *Homil. XXXI. in epiſt. ad Hebr.* *De nat. & grat. c.* 27.

" & operari pro bona voluntate. Quare ergo cum timore, & tremore, & non potius cum ſecuritate, ſi DEUS operatur, niſi quia propter voluntatem noſtram, ſine qua bene non poſſumus operari, cito poteſt ſubrepere animo humano, ut, quod bene operatur, ſuum tantummodo exiſtimet, & dicat in abundantia ſua: *Non movebor in æternum.*"

Unice ergo in gratiam eſt reſpiciendum, quæ ſemper eſt neceſſaria, ſemperque adeſt, niſi eam ſubtrahendi locum ipſi demus. Hinc perpetuo id S. AUGUSTINUS inculcat: " *DEUS non deſerit; niſi deſeratur.* Ipſe " autem DEUS," porro inquit l. c. " cum per " mediatorem DEI, & hominum JESUM " CHRISTUM, ſpiritualiter ſanat ægrum, " & vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium, & cum ad perfectam ſanitatem, hoc " eſt, ad perfectam vitam, juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut " pie ſemper, juſteque vivatur. Sicut enim " oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi " candore lucis adjutus, non poteſt cernere; " ſic & homo etiam perfectiſſime juſtificatus, " niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere."

Ib. c. 26.

§. XLVII.

Quouſque autem aſpiret, ignotum eſt.

Quousque divina gratia aſpiret, ſoli DEO eſt cognitum, hominibus autem abſconditum, ne in præſumtionis, aut deſperationis cadant præcipitium.

Fune-

Funeſtum Judæorum uſque in præſentem diem ob oculos verſatur exemplum, de quo ſine temeritate pronunciare licet, utpote in ſcripturis nobis manifeſtatum. *Ideo*, ait CHRISTUS, *in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur & ſanem eos.* Hinc apoſtoli, dum fruſtra laborant, ad Judæos, *vobis*, ajunt, *oportebat primum loqui verbum DEI, ſed repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Juxta ac eis etiam prædixerat CHRISTUS: *Auferetur a vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

Matt. XIII. 13. &c.

Act. XIII. 46.

Matt. XXI. 43.

Nec alia deſunt exempla non ſingularium hominum tantum, ſed integrarum etiam nationum, & potioris orbis. Quod fatum merito quemque concutit, & ne ſimile contingat, ſolicitos reddit, & anxios nos: *Conſidera opera DEI, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.*

Eccli. VII. 14.

Nemo ergo poteſt de præſenti gratia præſumere, quin ſe horrendo in Spiritum ſanctum peccato obſtringat, dum tempus gratiæ præterlabi ſinit. Non quod pœnitentiam non recipiat ſemper DEUS, ſed quod homini non indefinitum pœnitendi tempus ſit præſtitutum, nec ſinat DEUS gratiam impune projici; juſto ea illos privando judicio, qui eam recipere recuſant, ac oculos mentis claudunt, adi-

tumque occludunt refractarii, excæcati, obſtinati, indurati, & apoſtatantes homines, qui quo magis indignos ſe præbent gratia, eo fortioti opus haberent, ut ſaxeum eorum pectus frangatur, emolliaturque: nihil proficientibus ordinariis gratiæ mediis, aut etiam ſua culpa projectis, in miniſterio Verbi divini, ſacramentorum, aliorumque gratiæ in nos redundantis canalium; ut multo minus extraordinariis ejusmodi auxiliis dignos ſe, ac idoneos præbeant.

At quia DEUS omnibus pœnitentiam offert, ſuntque infinita CHRISTI merita, qui pro omnibus ſanguinem ſuum fudit, vultque DEUS omnes ſalvos fieri, bene quivis ſperare poteſt; nemo autem deſperare debet, oppoſito præſumtioni ſcelere; quo etiam peccato in Spiritum ſanctum, gratiæ locus occluditur, ac janua, omnibus aperta quidem, niſi qui ipſi ſibi claudunt, qui deſperabundi eam ſibi clauſam exiſtimant: quam pulſare, & gratiæ CHRISTI ſe participes reddere omnes velle debent, & ad divinam miſericordiam per pretioſum CHRISTI ſanguinem recurrere.

Tantum ne tempus vocationis quis præterire permittat. Qua de re hoc, & ſuperiore ſæculo grandis inter doctores Lutheranos fuit controverſia. Inter fideles catholicos autem fervere debet ſtudium, ne gratiam in vanum accipiamus.

Vid. diſſ. de pecc. in Spir. S.

§. XLVIII.

Quæ, ſi deſit, exoranda eſt.

Ipſa infirmitate noſtra, ut ad DEI gratiam recurramus, monemur, ut, quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus implorato auxilio impleamus.

DEUS

DEUS a nobis non requirit, quæ facere nequeamus, atque poſſibilia mandavit ad profectum noſtræ ſalutis unice pertinentia. *Sed*, ut ait S. HIERONYMUS, *quia homines poſſibilia non faciunt, idcirco omnis mundus ſubditus eſt DEO, & indiget miſericordia ejus.* Huc ergo infirmitate ſua preſſus reccurrere debet. *Reſtat*, inquit S. AUGUSTINUS, *libero arbitrio, non ut juſtitiam impleat homo, cum voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad DEUM, cujus dono eam poſſit implere.* Tractat hæc ſanctus doctor imprimis libro de correptione, & gratia ad monachos Adrumetinos offenſos doctrina illius de gratiæ neceſſitate, qua ſola homines liberantur a malo, & ſine qua nullum prorſus faciunt bonum, non ſolum monſtrante ipſa quid faciendum ſit, ſed etiam præſtante ipſa, ut id cum dilectione faciant, cum iis DEUS inſpirationem bonæ voluntatis, atque operis largiatur. Docetque corrreptionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec injuſtam eſſe, cum ſua voluntate mali ſint; nec inutilem eſſe, tametſi fatendum eſt, non niſi per DEUM fieri, ut proſit. *O homo*, inter alia ſcribit, *in præceptione cognoſce quid debeas habere: in correptione cognoſce tuo te vitio non habere: in oratione cognoſce, unde accipias, quod vis habere.* At correptionis utilitatem ſic fruſtrari vociferabantur: *Hoc enim*, inquit, *dicunt, qui in ſuis malignis operibus ab hujus gratiæ prædicatoribus corripi nolunt: Præcipe mihi, quid faciam: & ſi fecero, age pro me gratias DEO, qui mihi ut facerem dedit: ſi autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt, ut det quod non dedit, id eſt ipſam, qua præcepta ejus fiunt, fidelem DEI, &*

L. III. cont. Pelag.

Quæſt. I. ad ſimplicianum.

De corrept. & grat. c. 3.

Ib. c. 4.

proximi charitatem. Hæc ille, non tam monachorum illorum ore, & cauſa, de quibus melius ſperabat, quam Pelagianorum, quorum alibi hæc refert verba: *Non juberet DEUS, quod ſciret non poſſe ab homine fieri.* Reſpondetque his verbis: *Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab ipſo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Patres Milevitani hoc potiſſimum vitio dabant Pelagianis, atque a ſede apoſtolica petere decreverunt damnationem hæreſis, quæ neceſſitatem orationis, & baptiſmi in adultis tolleret. S. AUGUSTINUS autem hanc, quam fruſtra cauſarentur, impoſſibilitatem demonſtrat. "Hanc, "inquiunt, non accepimus, quid itaque cor- "ripimur, quaſi nos eam nobis dare poſſi- "mus, & noſtro arbitrio dare nolimus. Nec "attendunt" reſpondet ſanctus doctor, "ſi "nondum regenerati ſunt, primam eſſe cau- "ſam, cur objurgati, quod ſint inobedien- "tes DEO, ſibi debeant diſplicere, quia fe- "cit DEUS hominem rectum ab initio hu- "manæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud "DEUM. Ac per hoc prima pravitas, qua "DEO non obeditur, ab homine eſt; quia "ex rectitudine, in qua eum DEUS pri- "mitus fecit, ſua mala voluntate decidens "pravus effectus eſt.... ſi autem jam rege- "neratus, & juſtificatus in malam vitam ſua "voluntate relabitur, certe iſte non poteſt "dicere, non accepi: quia acceptam gra- "tiam DEI ſuo in malum amiſit arbitrio. "Qui ſi correptione compunctus ſalubriter "ingemit, & ad ſimilia bona opera, vel "etiam meliora revertitur; nempe hic aper-

De grat. & lib. arb. c. 16.

Apud. S. Aug. de corrept. & grat. c. 6.

tiſſi-

tiſſime utilitas correptionis apparet. " Et PROSPER: " Imperantur autem iſta homini, ut ex ipſo præcepto, quo ei hoc, quod accepit, indicitur, agnoſcat ſeipſum id ſuo vitio perdidiſſe; & non ideo iniquam eſſe exactionem, quia ad reddendum, quod debet, idoneus non eſt; ſed a littera occidente confugiat ad Spiritum vivificantem, & facultatem, quam non invenit in natura, quærat in gratia. " *Cont. collat. c. 11.*

§. XLIX.

Quod ipſum dono gratiæ fit.

Habemus ergo, quo nos in neceſſitatibus noſtris convertamus, implorando DEI auxilium; ſed hoc ipſum donum DEI eſt: *hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Nihil magis CHRISTUS fidelibus ſuis inculcavit, quam fiduciam in rogando DEO Patre: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Quid vero magis in nomine ipſius petitur, quam id, cujus cauſa in mundum veniens, nos redemit, & a ſervitute peccati in libertatem filiorum DEI vindicavit.

Sed hoc ipſum donum DEI eſt, non meritum, aut opus noſtrum: " Si dixerimus, " inquit S. AUGUSTINUS, " meritum " præcedere orationis, ut donum gratiæ conſequatur, impetrando quidem oratio, quidquid impetrat, evidenter donum DEI eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet a ſeipſo ſibi eſſe, quodſi in poteſtate haberetur, non uti- *Epiſt. 196. ad Sixtum.*

" utique poſceretur, verumtamen ne ſaltem " orationis putarentur præcedere merita, qui- " bus non gratuita daretur gratia, ſed jam " nec gratia eſſet, quia debita redderetur " etiam ipſa oratio inter gratiæ munera re- " peritur. *Quid enim oremus*, ait doctor gen- " tium, *ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spi- " ritus interpellat pro nobis gemitibus inenar- " rabilibus.* Quid eſt autem interpellat, niſi " interpellare nos facit? Indigentis enim po- " tiſſimum indicium eſt interpellare gemiti- " bus. Nullius autem rei eſſe indigentem " fas eſt credere Spiritum ſanctum. Sed ita " dictum eſt interpellat, quia interpellare nos " facit, nobisque interpellandi, & gemendi " inſpirat affectum." Hanc epiſtolam teſtatur ſe legiſſe monachis offenſis ſua de gratia doctrina: inter alia autem etiam librum S. CYPRIANI de oratione dominica: " Et oſten- " dimus," ſunt ipſa ſancti doctoris verba, " quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mo- " res noſtros pertinent, quibus recte vivimus, " a Patre noſtro, qui in cœlis eſt, eſſe po- " ſcenda, ne de libero præſumentes arbitrio " a divina gratia excidamus." Alibi in eandem rem auctoritatem etiam S. AMBROSII citat, poſt auctoritatem D. PAULI: *Non enim accepiſtis &c.* " Attendant ergo quo- " modo falluntur, qui putant eſſe a nobis, " non dari nobis, ut petamus, quæramus, " pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quod gratia " præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa, " cum accipimus petentes, & invenimus quæ- " rentes, aperiturque pulſantibus: nec volunt " intelligere etiam hoc divini muneris eſſe, " ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, " atque pulſemus. *Accepimus enim Spiritum*

Ep. 215. ad Valentin. n. 3.

De don. perſev. c. 23.

" *ado-*

adoptionis, in quo clamamus Abba Pater." Quod vidit & B. AMBROSIUS: ait enim: Et orare DEUM gratiæ ſpiritalis eſt: ſicut ſcriptum eſt, *nemo dicit, Dominus JESUS; niſi in Spiritu ſancto.*" Et alibi contra PELAGIUM, qui DEUM exorandum tantum pro expiandis peccatis dicebat: "Ut autem" ait "adjuvetur, ne peccet, nuſquam dixit, non hic legi mirum de hac re ſilentium: cum oratio dominica utrumque petendum eſſe commoneat, & ut dimittantur nobis debita noſtra, & ut non inferamur in tentationem; illud ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur. Quod ſicet non fiat, niſi voluntas adſit, tamen ut fiat voluntas ſola non ſufficit, ideo pro hac re nec ſuperflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid ſtultius quam orare, ut facias, quod in poteteſtate habeas?" Hic craſſiorem PELAGII dejicit, illic ſubtiliorem ſemi-Pelagianorum errorem, quem hodieque nonnulli viſi ſunt defendere le MOINE, & ex eo TOURNELIUS, gratiam orandi ſaltem a libero arbitrio ſuſpendentes.

S. Aug. de nat. & grat. c. 18.

§. L.

DEUS in largitione munerum ſuorum acceptor perſonarum non eſt, juſtus, & miſericors; homo inertia, & pravitate ſua gratiæ reſiſtit: cur hujus non alterius flectat perverſam voluntatem, duo ſolum occurrunt cum D. PAULO, & AUGUSTI-

Myſterium autem eſt, cur unum præ alio renitentem flectat.

ŞTINO: *O altitudo divitiarum!* &: *Nunquid iniquitas apud DEUM.*

Licet homines influxui, & moliminibus gratiæ identidem obices ponant; non tamen impediunt, quo minus DEUS ſanctiſſimos ſuos conſectetur fines, & obtineat. Accidit autem, ut, qui reſpondere noluerunt miſericordiæ divinæ vocanti, & gratiarum ubertatem profundenti, experiantur rigorem juſtitiæ: ſicque ſemper DEO ſuppetunt viæ, quibus gloriam ſuam contra refragarias creaturas bonitatem ejus diſperdentes, & ſanctitatem lacceſſere conantes, conſervet, ac tueatur.

Hæc obſervaſſe in œconomia divinæ gratiæ multum juvat, ut ſic miſericordiam, & judicium Domino cantemus: miſericordiam deprædicemus in immenſis gratiæ muneribus humano generi conceſſis; judicium revereamur, in juſtitia contemtores gratiæ manente. Scilicet non ſolum recte gratiæ largitio ab illis avocatur, qui dum ejus dona adſunt, iis uti negligunt; verum etiam juſte pœnis hic, & in æternum addicuntur, qui ſe ineptos ad officia chriſtiana, & præmia cœleſtia reddiderunt. Illud hic indubitatum cuivis eſſe debet, ſicut unius divinæ miſericordiæ eſt, tam largos gratiarum theſauros profundere in immerentes; ita juſtitiæ inculpatæ eſſe, privare eos his donis, qui ſe iis indignos reddunt, reſiſtuntque perverſitate malignantis naturæ, pravitate ingenii, habituum, & conſuetudinum malarum.

Ad gratiam recipiendam nemo ex propriis habet meritum, aut ſe diſpoſitum, aptumque reddit; ſed demeritum omnes quidem habent, ut ea privari mereantur, unus autem præ altero majo-

majorem reſiſtentiam præbet. CHRISTUS in parabola de ſeminante varias deſignavit cauſas, cur verbum divinum radices non agat, & non fructificet: *Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. Nam qui ſupra petram: qui, cum audierunt, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & a ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Quod terra bona eſt, ut ſemen verbi DEI recipiat, retineatque, ac fructificet, etiam divinum opus eſt. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS.* *Luc. VIII. 13.*

Sed cur unius mentem ita rore gratiæ irriget, ita ad ſuſcipiendum ſemen promtum reddhibeat, ita petram, & cor lapideum emolliat, ac ſpinas eradicet, ut verbum divinum recipere aptum reddatur, DEUS novit, qui acceptor perſonarum non eſt, qui auctor eſt muneris, quod accipit homo. " Ac per hoc, ſunt verba S. AUGUSTINI, " quid habeat, & quid accipiat DEI eſt: accipere " autem, & habere utique accipientis, & habentis eſt. Jam ſi ad illam profunditatem " quisnam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, " ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola " occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat: *O altitudo divitiarum?* Et: *Numquid iniquitas apud DEUM?* Cui reſpon- " *De ſpir. & litt. c. 34.*

" ſio

" ſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed ca-
" veat, ne inveniat præſumtores. "

Hæc infinities repetit ſanctus doctor cum D. PAULO, quocum etiam ſingularem gratiæ virtutem expertus fuerat, alter PAULUS a DEO ſubito permutatus. Hinc uterque in deprædicanda gratia, atque illius virtute extollenda tam inſignes; uterque vas electionis, non ſuis meritis & operibus, ſed vocatione, operationeque DEI. " Ideo non ex operibus, „
lib. c. 24. inquit ex D. PAULO S. AUGUSTINUS,
" ſed ex vocante, ne ipſorum ſit, non DEI;
" ne merces non imputetur ſecundum gratiam,
" ſed ſecundum debitum, atque ita gratia jam
" non ſit gratia, cujus vehemens defenſor eſt,
" atque aſſertor minimus apoſtolorum, qui plus
" omnibus laboravit, non ipſe tantum, ſed
De grat. & lib. arb. c. 5. " gratia DEI cum illo. " Et alibi: " Meritum enim fuit quidem in apoſtolo PAULO,
" ſed malum, quando perſequebatur eccleſiam,
" unde dicit: *Non ſum idoneus vocari apoſto-*
" *lus, quia perſecutus ſum eccleſiam DEI.* Cum
" ergo haberet hoc meritum malum, reddi-
" tum eſt ei bonum pro malo: ideoque ſanctus
" adjunxit: *ſed gratia DEI ſum quod ſum.*
" Atque ut oſtenderet & liberum arbitrium,
" mox addidit, *& gratia ejus in me vacua non*
" *fuit, ſed plus omnibus illis laboravi.* Hoc
" enim liberum arbitrium hominis exhortatur
" & in aliis, quibus dicit: *Rogamus, ne in*
" *vacuum gratiam DEI ſuſpiciatis.* Ut quid
" enim eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt,
" ut propriam perderent voluntatem? Tamen
" ne ipſa voluntas ſine gratia DEI putetur bo-
" ni aliquid poſſe, continuo, cum dixiſſet,
" *gratia ejus in me vacua non fuit ſed plus*
" *omnibus illis laboravi*, ſubjunxit atque ait:

" *Non*

Non ego autem, ſed gratia DEI mecum: " id eſt, non ſolus, ſed gratia DEI mecum: " ac per hoc nec gratia DEI ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia DEI cum illo. Ut autem " de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia " DEI erat ſola; quia merita ejus erant magna, ſed mala. "

Sic S. AUGUSTINUS gratiæ doctor in ſchola PAULI profecerat, atque in ſe etiam expertus erat magnum gratiæ opus. Quibus jungere licet PROSPERUM, qui, qualis fuerit, & quantum gratia in ſe effecerit; edoctus, quid ei tribuendum ſit docet, & quid non curioſe indagandum. " Si ergo, " ait, " in ſanctitate vivitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, manifeſtum munus DEI eſt, ſine quo nullius boni " operis fructus acquiritur: Si autem ab iis receditur, & ad vitia, & peccata tranſitur; " nihil ibi DEUS malæ tentationis immittit, " & receſſurum non deſerit, antequam deſerat, " & facit plerumque, ne deſerat, aut etiam, " ſi diſceſſit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt " comprehendere, nec licitum veſtigare, cum " ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe, quod ſtatur, & " non ab illo eſſe, quod ruitur. " *Reſponſ. ad object. Vincent.* 14.

§. LI.

Quando DEUS ea in homine operatur gratiæ virtute, ut effectus reipſa ſequatur, *efficax* dicitur gratia: quando autem effectum, ad quem data eſt, ob reſiſtentiam hominis non ſortitur, *ſufficiens* ſaltem eſt. Unde & diſcrimen gratiæ efficacis, & ſufficientis.

Efficax ergo eſt gratia, quæ habet effectum, ſufficiens autem, quæ haberet effectum, niſi ei reſiſteretur. Efficax gratia eſt ipſa CHRISTI gratia, virtus novi teſtamenti, de qua propheta: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis.* Hæc eſt virtus evangelii, quæ nobis promittitur, ut in hac corruptione naturæ, ac pronitate ad malum, ex ſervitute peccati eruamur. Hinc CHRISTUS omnes ad ſe vocat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Ezech. XXXVI.

Matt. XI. 28.

Nemo defectum virium cauſetur, aut naturæ, dum potens adeſt virtus gratiæ. *Nolite murmurare invicem: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Ne igitur murmuremus, aut gravemur, quaſi difficilia a nobis petantur, ut ad eum per obedientiæ laborem redeamus, a quo per inobedientiæ laborem receſſeramus. *DEUS eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Hæc nimirum eſt lex, & teſtamentum gratiæ, operatio Spiritus ſancti. Idcirco in oratione dominica oramus: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.* " Non " enim, " ait in hunc locum PASCHASIUS RATBERTUS, " quisquam eſt, qui DEO, " ne fiat ejus voluntas, obſiſtere, vel con- " tradicere poſſit. Præſertim cum ſcriptum ſit: " *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit* " *in cælo & in terra.* Sed hoc oramus, ut " libertatem arbitrii noſtri ejus per gratiam ſo-

Jo. VI. 43.

Philipp. II. 13.

Lib IV. in Matt.

" ciemus

ciemus ipſius voluntati, ut, qui vivit, jam " non ſibi vivat, ſed voluntas DEI libera in " omnibus impleatur . . . Unde ſi quis iſta de- " liberato, vel fixo tenet animo, ſemper ad " ejus pendet voluntatem, nihil de ſe præſu- " mens, diebus ac noctibus jugiter implorat, " illius in nobis fiat voluntas, quæ nunquam " falli poteſt, nunquam immutari, nunquam " ullis affectibus depravari. Nam ejus voluntas " ſalus eſt omnium." Hanc igitur DEI volun- tatem in nobis operatur gratia, ſed ſuaviter in- clinans noſtram voluntatem: " Sine qua, " inquit S. AUGUSTINUS, " nemo pie " vivit, & cum qua nemo niſi pie vivit, " ſine qua nullius eſt bona voluntas, & cum " qua nullius eſt niſi bona voluntas. Hæc " eſt ſanctificatrix, " ut cum S. CYRILLO loquar, " & efficaciter operatrix virtus Spi- " ritus ſancti, ἐνεργητικὴ τὸ ἁγίου πνεύματος καὶ δύναμις. " Ne autem putetur," idem inquit S. AUGUSTINUS, " nihil ibi facere " ipſos homines per liberum arbitrium, ideo " in pſalmo dicitur: *Nolite obdurare corda* " *veſtra.* Et per ipſum EZECHIELEM: *Projicite a vobis omnes impietates veſtras,* " *quas impie egiſtis in me, & facite vobis cor* " *novum &c.* Meminerimus, eum dicere, & " *convertimini, & vivetis*, cui dicitur, *con-* " *verte nos DEUS.* Meminerimus, eum dicere: " *Projicite a vobis omnes impietates veſtras:* " *cum ipſe juſtificet impium.* Meminerimus ip- " ſum dicere: *Facite vobis cor novum, & ſpiri-* " *tum novum:* qui dicit: *Dabo vobis cor no-* " *vum & ſpiritum novum dabo vobis.* Quomo- " do ergo, qui dicit, *facite vobis*, hoc dicit, *da-* " *bo vobis?* Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? " Quare dat, ſi homo facturus eſt, niſi quia " dat, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, "

Oper. imperf. c. 122.

Catech. 15.

De grat. & lib. arb. c. 15.

" cui jubet. Semper autem in nobis voluntas " eſt libera, ſed non ſemper eſt bona. Aut e- " nim a juſtitia libera eſt, quando ſervit pec- " cato, & tunc eſt mala; aut a peccato libera " eſt, quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona, " & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, " qui prius fuit voluntatis malæ. „ Sed hæc jam ſunt ad propoſitum noſtrum membratim evolvenda.

§. LII.

Quandoquidem efficax gratia victrix eſt.

Vincit renitentem, inertemque voluntatem gratiæ virtus, quando efficax eſt, ut, quidvis quis boni ad ſalutem egerit, quantum laboraverit, cum apoſtolo dicat: *Non ego autem, ſed gratia DEI mecum.*

1. *Cor.* XV. 10.

Lib. V. ſtromat.

Oportet autem, inquit S. CLEMENS ALEXAND. *mentem habere ſanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia a pulchri venatione: ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia.* COELESTINUS papa veritatem hanc a ZOSIMO anteceſſore aſſertam ſic deprædicat, ut homo intelligat, hoc præſtari nobis unice per CHRISTI gratiam in hac naturæ pravitate: *Quod nemo, niſi per CHRISTUM* (editiones nonnullæ habent *per gratiam*) *libero bene utatur arbitrio, idem magiſter in epiſtola ad Milevitanum concilium data prædicat, dicens: Adverte tandem o praviſſimarum mentium perverſa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præſumtione conciderit. Nec ex hac potuit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum pri-*

Epiſt. 21. n. 8.

ſtinæ

ſtinæ libertatis CHRISTI Domini reformaſſet adventus. Nimirum quando renitentem, & ad malum a bono incommutabili declinantem ad ſe DEUS, & ad officium ſua iterum gratia revocat. *Ipſi hærens*, verba ſunt EUSEBII, *ipſi addictus, morigerum me legi præbui, ipſique inhæſi totus, omnia pro nihilo habens, imo vero omnia, quæ poſt DEUM ſunt, averſatus, ex animi deſiderio ſublimior, excelſiorque factus, tibi DEO meo conjunctus ſum, ut vere dicere valeam: Adhæſit anima mea poſt te. Ad tantum vero profectum, ad tantum virtutis cumulum perveni non mea poteſtate, ſed tua dominatu: tu enim ipſe miſericordia tua id mihi elargitus es.* *In Pſ. LXII. Collect. PP. Græc. T. I. p. 394.*

Ita ergo quisque cum apoſtolo dicere debet, ſi aliquid in ſe boni habet: *Gratia DEI ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Hæc eſt gratiæ efficacia vincens animi pervicaciam, atque emolliens lapideum pectus. *Hanc quippe*, ait S. LEO, vel quisquis eſt auctor operis de Vocatione gentium, *abundantiorem gratiam ita credimus, atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur, quod quidquid in ſalvandis hominibus agitur, ex ſola DEI voluntate peragatur. Gratia quidem DEI in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet ſuadendo &c. Sed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium: de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ mutabilitate ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos* 1. *Cor. XV.* 10. *L. II. c.* 26.

ſive manifeſtus, omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quod autem a multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.

1. Cor. XV. 10. Ita D. PAULUS: *Non ego autem, ſed gratia DEI mecum:* ut quidem nihil non ſalutaris effectus gratiæ adſcribat; ſed tamen ſuam etiam voluntatem, & cooperationem commemoret. Contrariam opinionem ſæculo V. LUCIDIUM quemdam tenuiſſe, hominem ſola gratiæ virtute ſalvari, ex monumentis ævi illius diſcimus, præſertim ex FAUSTO REGIENSI, qui ad retractationem LUCIDIUM adegit, atque in conciliis Arelatenſi, & Lugdunenſi errorem damnari fecit oppoſitum e diametro hæreſi Pelagianæ; catholica in medio conſiſtente veritate, placidamque gratiæ cum libero arbitrio concordiam ineunte, quam gratia conciliet flectendo arbitrium, & DEUS operetur ſua gratia; cui hoc totum in acceptis referendum, & pro eo gratiæ ſunt habendæ. „Cum enim" inquit S. AUGUSTINUS, „non ſit in noſtra po-

De don. perſev. c. 13. „teſtate cor noſtrum, ſed divino ſublevetur „auxilio, ut aſcendat, & quæ ſurſum ſunt, „ſapiat, ubi CHRISTUS eſt in dextera „DEI ſedens, non quæ ſuper terram: cui de „hac tanta re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc „facienti Domino DEO noſtro, qui nos per „tale beneficium liberando de profundo hu„jus mundi elegit?„

§. LIII.

Salvo tamen libero arbitrio. Non deſtruit liberum arbitrium efficax gratiæ operatio, quæ eſt ve-

tus

tus eam negantium ingratorum calumnia, gratiæ naturam ſiniſtre, & perverſe explicantium.

Atque DEI, ut virtus homini contingere poſſit,
Sunt geminæ partes prima & poſtrema neceſſe eſt.
A nobis unam, mediamque accedere binis.
Virtutis namque ille mihi dedit eſſe capacem,
Et validas idem vires, nervosque miniſtrat.
Aſt ego, ut in ſtadio, non ſane præpete greſſu
Incedo, moveoque haud vano membra labore,
Dum CHRISTUS mihi præſtat opem, mihi præſtat opesque.

Gregor. Nazianz. carm. 58. de virtute humana.

Cum primum hoſtes operatricis divinæ gratiæ ingruerent, hæc non potuit non prima eſſe blaſphemia. „ Deſtruitur enim „ (inquit apud S. HIERONYMUM præcipuus PELAGII hyperaſpiſtes COELESTIUS, cujus apertam confeſſionem hujus erroris PELAGIUS Dioſpoli abjuravit, ſed alias haud ſemel profitetur) „ voluntas, quæ alterius ” ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium ” DEUS, quod aliter liberum non erit, niſi ” fecero, quod voluero. Ac per hoc ait: Aut ” utor ſemper poteſtate, quæ mihi data eſt, ” ut liberum ſervetur arbitrium: aut ſi alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me deſtruetur. Qui hæc dicit, quam non excedit ” blaſphemiam? Quæ hæreticorum venena ” non ſuperat? Aſſerunt, ſe per arbitrii libertatem nequaquam ultra neceſſarium habere ” DEUM, & ignorant ſcriptum: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti,* ” *quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Magnas ” agit DEO gratias, qui per libertatem arbitrii rebellis in DEUM eſt: quam nos libenter amplectimur, ita duntaxat, ut agamus ”

Epiſt. 43. ad Cteſiphon.

„ ſemper gratias largitori, ſciamusque, nihil „ eſſe niſi, quod donavit in nobis ipſe ſerva- „ verit, dicente apoſtolo: *Non eſt volentis, ne- „ que currentis, ſed miſerentis DEI.* Velle, & „ currere meum eſt; ſed ipſum meum ſine DEI „ ſemper auxilio non erit meum: dicit enim „ apoſtolus: *DEUS eſt, qui operatur in nobis „ & velle, & perficere.* Et ſalvator in evan- „ gelio: *Pater meus uſque modo operatur, „ & ego operor.* „ Retorquet autem argumentum, e contrario eos deſtruere libertatem, qui male eo abuntur adverſus beneficium ſalvatoris. Intelligit libertatem a peccato perfectiſſimam vere, & proprie in DEO incommutabili, in angelo perfectiorem, quam in ADAMO, in ADAMO quam in cæteris hominibus, & in juſtis quam in peccatoribus; ubi iterum varii gradus reperiuntur uſque ad inveteratos in malis, pravis conſuetudinibus, & inolitis habitibus vitiorum, quæ in alteram naturam tranſeunt. Inſultabat JULIANUS S. AUGUSTINO, quaſi hominem modo neceſſitati ad malum poſt peccatum, modo per gratiam ad bonum ſubjiceret; ſed calumniam retundit exemplis allatis DEI, & angelorum & alias paſſim varia libertatis genera diſtinguit: „ Semper eſt autem, „ inquit, „ in nobis vo- „ luntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Aut „ anima a juſtitia libera eſt, quando ſervit pec- „ cato, & tunc eſt mala; aut a peccato libera „ eſt, quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. „ Gratia vero DEI ſemper eſt bona, & per „ hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui „ prius fuit malæ voluntatis. Liberum ergo „ arbitrium evacuamus per gratiam? „ ait idem „ abſit: ſed magis liberum arbitrium ſta- „ tuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic libe- „ rum

Vid. capp. 100. &c. contra Julian. De grat. & lib. arb. De ſpir. & litt. c. 30.

rum arbitrium per gratiam non evacuatur, „
ſed ſtatuitur. Neque enim lex impletur „
niſi libero arbitrio: ſed per legem cognitio „
peccati, per fidem impetratio gratiæ contra „
peccatum, per gratiam ſanatio animæ a vitio „
peccati, per animæ ſanitatem libertas arbi- „
trii, per liberum arbitrium juſtitiæ dilectio, „
per juſtitiæ dilectionem legis operatio. „

Fatetur tamen, ſæpe difficultatem eſſe conciliandi gratiam cum libero arbitrio. PELAGIUS apud veteres etiam SS. PP. latebras quæſivit, dum modo de uno, modo de altero ſunt locuti. *Sed quia iſta quæſtio*, ait alicubi, *ubi de arbitrio voluntatis, & DEI gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur, quando autem aſſeritur DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri, poteſt Pelagius ita ſe latebris obſcuritatis hujus involvere.* Semi-Pelagianorum eadem fuit querela, ſcrupulumque hunc ſeſe abſtuliſſe refert S. AUGUSTINUS monachis Adrumetinis ad ſe divertentibus, ſed non potuit omnibus eximere. Ex S. LEONE diſcimus, ſemper hoc primum cauſatos eſſe hoſtes gratiæ. PROSPERI epiſtolæ ad S. AUGUSTINUM, & ad RUFINUM de S. AUGUSTINO idem demonſtrant: cui tunc detrectabatur, quaſi nomine gratiæ fatalem aſtrueret neceſſitatem cum paganis, & veluti duas maſſas, ac naturas hominis fingeret cum Manichæis. Vide in laudata epiſtola ad RUFINUM, & alibi cum doctrina S. AUGUSTINI etiam defenſum liberum arbitrium a PROSPERO, non obſtante virtute, & efficacia gratiæ CHRISTI. Sed hactenus perſeverat hæc pugna.

S. Aug. de grat. Chr. c. 47.

Epiſt. 214. aut 215.

De vocat. gent. L. I. c. 1.

Non diffitemur, exceſſum hic in alteram etiam partem pronum eſſe, quod de Prædeſtinatianis ferunt, ex male intellecta S. AUGUSTINI doctrina in alterum extremum lapſis. LUCIDIUS debuit in ſua retractatione ita aſſerere gratiam DEI, *ut*, verba ipſius ſunt LUCIDII, *ad niſum hominis, & conatum gratiæ ſemper adjungam: & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam, & infirmatam eſſe pronuntiem.* GOTTESCALCO idem error fuit imputatus, & Jo. SCOTUS in contrarium lapſus videtur S. PRUDENTIO Tricaſſino. Fuerunt circa hanc rem tunc varia partium ſtudia inter doctores, & paſtores eccleſiæ.

T. VIII. Bibl. PP. p. 525.

Vid. Bibl. PP. T. XV. p. 467.

Quod hodieque contingit, non ſolum inter contrarias ſectas eccleſiarum, ſed etiam ſcholarum; ſemper adhuc premente difficultate conciliandi gratiam cum libero arbitrio: dum alii plus in unam, alii in alteram declinant: omnes tamen ſalvum arbitrium eſſe volunt, LUTHERUM, & CALVINI ſi excipias ſectarios, hosque cumprimis. Quorum imputationibus nunquam etiam ſe extricabunt Janſeniſtæ, quare juſtam ab eccleſia damnationem acceperunt.

§. LIV.

Potius in veram libertatem vindicato.

Quin imo potius in veram libertatem nos, ſervitute peccati detentos, vindicat potens gratiæ operatio, faciens ex nolentibus volentes.

„ Si vere volumus defendere liberum ar-
„ bitrium, non oppugnemus, unde fit libe-
„ rum „ verba ſunt S. AUGUSTINI. „ Nam
„ qui

Ep. 217. n. 8.

qui oppugnat gratiam, qua noſtrum ad „
declinandum a malo, & faciendum bonum, „
liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum ad- „
huc vult eſſe captivum. Reſponde, obſe- „
cro, quomodo dicit apoſtolus, *gratias a-* „ *Coloſſ. I.*
gentes Patri idoneos facienti nos in parte „ 12. 13.
ſortis ſanctorum in lumine; qui eruit nos de „
poteſtate tenebrarum, & transtulit in re- „
gnum Filii charitatis ſuæ, ſi non ipſe arbi- „
trium noſtrum, ſed ipſum arbitrium ſe li- „
berat. „ Agit hic contra VITALEM, qui
præluſit ſemi-Pelagianis, cætera quidem, ſed
non bonam voluntatem ipſam in nobis gratiæ
operationi tribuens: *Ut ſcilicet beneficium* *Ib. n. 3.*
DEI, quo greſſus hominis dirigit, ita men-
tem ejus refert, *ut viam ejus diſcat, teneat,*
gradiatur, ſua homo voluntate præcedat, &
hoc DEI donum præcedente ſua voluntate
mereatur. „ Sed ideo dixit „ ſuam mentem
declarat ſanctus doctor „ a Domino greſſus „
hominis diriguntur, & viam ejus volet, ut „
intelligeremus ipſam voluntatem bonam, „
qua incipimus velle credere (quoniam DEI „
via, quid eſt niſi via recta?) illius eſſe do- „
num, qui greſſus noſtros propterea dirigit „
primitus, ut velimus. Non enim ait ſcriptu- „
ra, quia viam ejus voluit: Sed dirigun- „
tur, inquit, & volet. Non igitur quia vo- „
luit diriguntur, ſed quia diriguntur volet. „
Probat autem id maxime ex precibus eccle-
ſiæ, quibus pro incredulis, & perverſis orat,
ut convertantur, hoc eſt, ex nolentibus
fiant volentes, ac ſic concludit: „ Si autem, „ *Ib. n. 30.*
quod de te magis credo, ſentis, atque con- „
ſentis, orare nos DEUM debere, ac ſolere „
pro nolentibus credere, ut velint credere, „
& pro eis, qui adverſantur, & contradicunt „

„ legi

„ legi ejus, atque doctrinæ, ut ei credant,
„ eamque sectentur; si sentis, atque consen-
„ tis, debere nos etiam DEO agere gratias,
„ ac solere pro talibus, cum ad fidem ejus,
„ doctrinamque conversi volentes ex nolenti-
„ bus fiunt, oportet sine dubitatione fatearis,
„ voluntates hominum DEI gratia prævenі-
„ ri, & ut bonum velint homines, quod no-
„ lebant, DEUM facere, qui rogatur, ut
„ faciat, & cui nos novimus agere gratias di-
„ gnum, & justum esse, cum fecerit. Domi-
„ nus tibi det intellectum in omnibus, Do-
„ mine frater. „

Hunc hodie multis fratribus optare licet bonum sensum, & intellectum in omnibus, qui, dum aperte non audent, animi sententia putant, liberum arbitrium destrui, efficaciam gratiæ defendendo; & locum habere hodieque volunt, quod olim JULIANUS S. AUGUSTINO exprobravit: " Si quis li-
" berum arbitrium in hominibus, aut DEUM
" esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestia-
" num, & Pelagianum vocari. Non est ita,
S. Aug. lib. de nupt. & concup. c. 3. " ut loqueris, " respondere licet cum S. AUGUSTINO, " quicunque ista dixisti, non
" est ita: multum falleris, aut fallere medi-
" taris: non liberum negamus arbitrium, sed
" *si vos Filius liberaverit*, ait veritas, *tunc*
" *vere liberi eritis.* Hunc vos invidetis li-
" beratorem, quibus captivis vanam tribui-
" tis libertatem. A quo enim quis devictus
" est, sicut dicit scriptura, huic servus addi-
" ctus est: nec quisquam nisi per gratiam li-
" beratoris isto solvitur vinculo servitutis,
" quo est hominum nullus immunis. „ Et S.
Ep. ad Demetriadem. LEO: " Per ineffabilem misericordiam DEI
" captivis libertas, perditis salus, mortuis

„ vita

vita reparatur." Hoc egregie explicat S. LEO in opere de vocatione gentium, cujus creditur esse auctor, quod ei jam a plerisque tribuitur, quomodo ipsæ exteriores gratiæ, & incitamenta etiam per terrorem, quod est servorum, & timorem salutaria fiant, & in mentem recipiantur: „ Cum ergo „ ait, " hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, " nec intellectus aufertur; sed illa potius, quæ " mentem premebat, caligo discutitur, ut " voluntas depravata prius, atque captiva, recte (recta) efficiatur, & libera. Unde sicut " animus nihil virtutis capit, nisi radium veri " acceperit luminis; ita gratia nihil ei, quem " vocat, confert, nisi oculos in eo aperuit voluntatis. „ *De vocat. gent. L. II. c. 27.*

Hæc est lux gratiæ oculis caligantibus mentis nostræ necessaria, quæ quidem naturalem habet capacitatem videre meliora, ac probare, sed indiget luce gratiæ, quæ intellectum illuminet, & voluntatem incendat, ut virtuti studeat.

- - - - Virtus contingit munere Patris.
Nam tua cura etiam studiumque accedat oportet.
Nec rursum illa tua tantummodo mente paratur:
Majus enim robur, majorem poscit opemque.
Quippe nec ipse, licet visu præcellat, ocellus
Sole tamen demto, corpus spectabile cernit.
Ille etenim & nostros oculos illustrat: & idem
Post oculis sese infundit, præbetque tuendum.

S. Greg. Naz. Carm. 58. de virtute humana.

Eandem comparationem ex S. AUGUSTINO jam superius retulimus, passimque comparet. Eam autem ad nostrum propositum optime S. FULGENTIUS nomine episcoporum Africanorum, ad JOAN. & VENER. scribens, declarat: *Sic namque est ipsum liberum* *Ep. XV. n. 3.*

berum hominis arbitrium absque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine luce. Nam & oculus ad videndum factus eſt: ſed niſi lumen acceperit, non videbit. Illa autem eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat autem hominem, ſeipſam dando per gratiam.

Patet hoc modo optime, quomodo omnia gratiæ transſcribantur, quin facultati arbitrii aliquid depereat; ut vere tamen cum D. PAULO dicamus: *Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Cum quo*, inquit idem S. FULGENTIUS, *nos oportet humiliter, ſalubriterque cognoſcere pariter & fateri, gratia DEI nos eſſe, quod ſumus, ſi tamen aliquid ſumus. Qua gratia humanum non auſertur, ſed ſanatur; non adimitur, ſed corrigitur; non removetur, ſed illuminatur; non evacuatur, ſed adjuvatur, atque ſervatur arbitrium, ut, in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat ſanitatem; quo errabat, eodem in viam redeat; in quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen; & ubi fuit iniquus, ſerviens immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præventus, atque adjutus ſerviat juſtitiæ in ſanctificationem.* Alibi eandem veritatem ex loco JOANNIS jam allato, *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*, illuſtrat, S. AUGUSTINUS etiam illud citans: *Quod gratia DEI nolentem præveniat, ut velit, ſubſequatur volentem, ne fruſtra velit.*

De Incarn. & grat. ad Petrum ep. XVII. c. 20.

De Trin. c. 10.

Enchir. c. 32.

§. LV.

Manente potentia ad oppoſitum.

Ita operante divina gratia in hominis facultatibus, eæ haud otioſæ, quod

quod ſuum eſt, agunt, motæ, & excitatæ, voluntatis manente arbitrio, ut poſſit diſſentire ſi velit, & ſic mereri, aut demereri.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a DEO motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo DEO excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere anathema ſit. Ubi duo ſunt conſideranda, primum facultatis ipſius operatio, dum conſentit, atque inſita libertatis vis ad oppoſitum, ut poſſit diſſentire ſi velit. Quod ſolent explicare theologi vulgari diſtinctione ſenſus compoſiti, & diviſi: ut licet in ſenſu compoſito oppoſita ſimul ſtare non poſſint, maneat tamen poſſibilitas ad oppoſitum in ſenſu diviſo, dum homo gratiæ DEI obtemperans reipſa operatur cum ea gratiæ motione, quæ effectum ſua natura conſequitur. *Agit quippe in nobis*, jam a COELESTINO papa fuit præjudicatum, *ut, quod vult, & velimus, & agamus, nec otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ DEI.*

Conc. Trident. Seſſ. VI. c. 4.

Epiſt. 21. ad Gallos.

Conſentire autem, & diſſentire voluntatis eſſe, infinitis in locis S. AUGUSTINUS dicit. Operatur gratia, ut conſenſus ſequatur, quia DEUS eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere; ut tamen ſtet potentia diſſentiendi, quæ eſt radix meriti, actus humani eſſentia, legum, exhortationumque fundamen-

damentum, creaturarum omnium conditio una, ut poſſint deficere, idque quotidiana, imo momentanea docet experientia hominum. Hinc apoſtolus, *adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.* Id, ne fiat, iterum eſt operis divini, qui eſt omnis boni auctor: *Quia*, inquit S. AUGUSTINUS, *omnia bona & magna, & media, & minima ex DEO ſunt, ſequitur, ut ex DEO ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis.* Sed DEUS etiam auctor eſt libertatis, atque eam integram eſſe vult in creaturis rationalibus, ſecundum quam omnis actio noſtra dijudicatur, & virtus; ſed ea etiam ex DEO eſt: hic utraque & libertas, & gratia eſt admittenda. *Si enim tollitur voluntas, ubi ipſa eſt verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, ubi eſt ipſa bonorum cauſa meritorum?* ait S. LEO. Et iterum: „ Dicit quidem Do„ minus: *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui „ miſit me, attraxerit eum.* Sed hoc ideo „ dictum eſt, ut illam fidem, ſine qua nemo „ ad CHRISTUM venit, ex Patris haberi „ munere noverimus, ſecundum illud quod „ apoſtolo dicitur; *Beatus es SIMON Bar„ jona, quia caro, & ſanguis non revelavit „ tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Qui „ in cordibus trahendorum hoc egit, ut cre„ derent, hoc effecit, ut vellent. Non enim „ eſſet unde traherentur, ſi ſequaces fide, & „ voluntate non eſſent: quoniam, qui non „ credunt, nec trahuntur omnino, nec ve„ niunt, neque accedunt, qui diſſentiunt, „ ſed recedunt. Qui ergo veniunt, amore „ ducuntur: dilecti ſunt, & dilexerunt: quæ„ ſiti ſunt, & quæſiverunt: &, quod eos vo„ luit DEUS, velle voluerunt. „

2. Cor. VI. 1.

L. I. Retract. c. 9.

De vocat. gent. L. I. c. 1.

Ib. L. II. c. 27.

Sed

Sed cavendus eſt in hac materia Synergiſmus, quaſi homines pariter ad ſuam converſionem cum gratia ſuas conferrent partes, qui Lutheraniſmum duce PHILIPPO MELANCHTONE infecit.

§. LVI.

Conſentit autem voluntas motioni divinæ gratiæ ultro, ac ſuaviter allecta, non tamen delectatione victrice relative ſuperiore ad oppoſitam concupiſcentiæ delectationem, quæ eadem non eſt cum phyſica, vel morali præmotione.

Quod variis modis explicatur.

Nolite cogitare, inquit S. AUGUSTINUS, *invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpendunt, & a rebus maxime divinis intelligendis longe remoti ſunt, in hoc ſcripturarum ſanctarum evangelico verbo forſitan reprehendamur, & dicatur nobis: Quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico, parum eſt voluntate, etiam voluptate traberis. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis.* Hanc delectationem voluntatis, dilectionemque juſtitiæ opponit ſervituti peccati, ceu libertatem, quam per CHRISTI gratiam accipimus, qua non timore pœnæ ſervili, quando non vincit concupiſcentiam pravam, ſed amore juſtitiæ bonum operamur. *Sub quo timore*, inquit, *anima laborans, quando concupiſcentiam malam*

Tract. XXII. in Joan. n. 2.

non vicerit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit, per fidem confugiat ad miſericordiam DEI, ut det, quod jubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum S. faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc eſt, lex fidei, charitas ejus conſcripta in cordibus, atque diffuſa, perficitur ſperantibus in eum, ut anima ſanata non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ operetur bonum.

Hinc JANSENIUS infinitam errorum copiam hauſit, de quibus non uno loco nobis dicendum erit; nunc quoad gratiæ in hominis mente operationem præciſe res agitur: quam ſolet S. AUG. paſſim ceu inſpirationem dilectionis, ac ſuavitatem, delectationemque cœleſtem, ac victricem repræſentare. Unde JANSENIUS delectationem ſuam ſuperiorem relative per gradus victricem procudit: cui tantam vim tribuit, ac poteſtatem in liberum arbitrium, ut ea præſente, actus volendi ſit reipſa in ejus poteſtate, abſente non ſit. Infinities ille ingeminat: *Secundum id operemur neceſſe eſt, quod amplius nos delectat.* Hæc veluti lerna eſt, unde omnes ejus errores, ac quinque propoſitiones damnatæ dimanant, ut inter alios theologos copioſe TOURNELIUS demonſtravit.

Janſeniſtæ, ut ſibi patronos ex theologis conciliarent, aut ſaltem eorum nomine tuti eſſent, communem hanc, eandemque doctrinam eſſe perſuadere voluerunt, ac prædeterminationem phyſicam Thomiſtarum, ſeu actionem DEI phyſicam, quæ determinat voluntatem ad volendum, & eligendum bonum, per gratiam excitantem inſpiratum. Sed faciunt JANSENII ſectatores hoc invito JANSE-

SENIO, qui multa discrimina inter adjutorium suum medicinale, ut vocat, & prædeterminationem physicam profert. Idem Thomistæ passim faciunt. *Lib. VIII. c. 2.*

Viget hæc sententia inter catholicos, & plurimos habet sectatores; sed etiam adversarios, eos præsertim, qui efficaciam gratiæ, licet in actu primo a DEO etiam derivent, in actu tamen secundo ex consensu, & cooperatione voluntatis repetunt; quæ est celebris MOLINÆ opinio: atque ingentes illas lites catholicos inter *de auxiliis* excitavit. Quam alii quadantenus moderari studuerunt, efficaciam gratiæ certam, & infallibilem repetentes ex congruitate, seu attemperatione auxiliorum gratiæ cum hominis indole, conditione, affectibus, circumstantiis &c. Alii præmotionem moralem statuunt ad efficaciam gratiæ, quæ voluntatem suadendo, alliciendo, invitando ad consensum in bonum determinet.

Medium hic ceu tenent, qui delectationem quidem victricem statuunt; sed non, ut JANSENIUS, gradibus relative superiorem: unde libertatem non lædit, certitudinem tantum effectus ponit, remanente potentia ad oppositum. Quæ sententia menti S. AUGUSTINI, quam detorsit JANSENIUS, propius videtur accedere, licetque eam sine periculo erroris tenere liberam a variis pravis consequentiis, quibus aliæ sententiæ sunt expositæ, vel ad destructionem gratiæ, vel liberi arbitrii.

Est enimvero gratia illustratio intellectus, & motio voluntatis; id morali influxu solummodo non fieri videtur, nisi operatio non tam DEO, quam homini adscribi debeat. Corruptus est homo, atque saucius etiam in natu-

ralibus, & ſupernaturalibus privatus donis; hæc interioris hominis reſtauratio non tantum morali operatione perficitur. Phyſica autem prædeterminatio ipſius actus voluntatis, cum indifferentia voluntatis, & potentia ad oppoſitum difficulter conciliatur. Cujus defenſores quidem verba bona dant, hinc fidei ſuæ integritatem probant; ſed non ita facile ſecum ipſis conciliantur, quomodo prædeterminatione ſtante expedita ſit ad oppoſitum voluntas? quomodo, ubi abeſt ea prædeterminatio, qua ſola agit homo, ſufficiens tamen gratia, & vires adſint?

In Pſal. 87. *Epiſt. 44. ad Aſclepiad.*

Nimis occulta, cum S. AUGUSTINO dicere licet, *DEI gratia eſt.* Recte NILUS a medico non tam rationem, quomodo nos ſanet, expoſcendam vult, quam rogandum, ut nos morbo liberet. Agnoſcenda tamen multiplex DEI operatio, & medicina, qua indigemus tam infirmi, tam ſaucii, quave infinitis modis, alius ſic, alius aliter ſanatur, & afficitur. *Quare iſti ſic*, inquit S. AUGUSTINUS, *illi aliter, atque alii aliter diverſis, & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, abſit, ut dicamus, judicium luti eſſe debere, ſed figuli.* Sed tamen manum medicam, & ſalutarem medicinam agnoſcamus, credamusque, uti exterius, ita etiam interius multiformi Spiritum S. gratia adeſſe, qui aufert cor lapideum, dat cor novum, & Spiritum novum, renovat interiorem hominem, & virtute ex alto inſtruit, ut cognoſcamus, & operemur bonum: „ Agnoſcat ſe humana debilitas, „ verba ſunt PROSPERI, „ & in primo ho- „ mine univerſarum generationum damnata „ ſucceſſio: & cum mortui vivificantur, cum „ cæci illuminantur, cum impii juſtificantur, „ con-

De corrept. & grat.

Epiſt. ad Ruf. c. 7.

confiteantur vitam, & lumen, & juſtitiam „
ſuam JESUM CHRISTUM: &, qui „
gloriatur, in Domino glorietur, non in ſe; „
qui, cum eſſet impius, & cæcus, & mor- „
tuus, a liberatore ſuo gratis accepit & juſti- „
tiam, & lumen & vitam. Non enim juſte „
agebat, & aucta eſt juſtitia ejus; nec ad „
DEUM gradiebatur, & confirmatus eſt cur- „
ſus ejus; nec diligebat DEUM & inflam- „
mata eſt charitas ejus: ſed, cum eſſet ſine „
fide, ac proinde impius, accepit Spiritum „
fidei, & factus eſt juſtus: *Juſtus autem ex* „
fide vivit. Et: *Sine fide nemo poteſt placere* „
DEO. Et: omne, quod non eſt ex fide, pec- „
catum eſt: ut ſcilicet intelligat, juſtitiam in- „
fidelium non eſſe juſtitiam; quia ſordet na- „
tura ſine gratia. Amiſſa quippe naturali in- „
nocentia homo exul, ac perditus, ambu- „
lans ſine via, profundiores intrabat errores: „
ſed quæſitus, & inventus, & reportatus, & „
in via, quæ veritas, & vita eſt, introductus, „
ac dilectione in DEUM, qui illum non dili- „
gentem prior dilexit, ignitus eſt. „

§. LVII.

Sufficiens ſaltem eſt, dum effectu fruſtratur.

Gratia reapſe efficax dum non eſt, effectu ſuo nimis proh dolor! Frequenter fruſtratur, culpa noſtra, non defectu gratiæ, quæ ſufficiens eſt, haberetque effectum, niſi homo reſiſteret.

In JANSENIO ſecunda hæc eſt damnata propoſitio; *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Cum nihil adeo fre-

quenter peccatoribus, & infidelibus exprobretur, quam gratiæ contemtus. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus veſtris? Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Hæc S. STEPHANUS ad Judæos, gratiam CHRISTI conculcantes, quæ eſt propria ſtatui naturæ lapſæ. Unde ipſe CHRISTUS ad eos dicit: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ad hoc venerat, ut diſperſos filios ISRAEL congregaret. Ipſe uſque ad mortem, quam a Judæis ſuſtinuit, gratiam obtulit, & prædicavit. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Ut autem conſtet, populi culpam, non gratiæ defectum fuiſſe, idem ISAIAS de eodem pervicaci populo teſtatur: *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Exſpectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.*

Prov. I. 24.

Act. VII. 51.

Iſ. LXV. 2.

Iſ. V. 4.

Hic eſt ergo deſpectus gratiarum ſufficientium: quales rejectas CHRISTUS Corozaitis exprobrat: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Deſpectus ergo in Corozaitis, & Bethſaitis erat; cum ad easdem virtutes pœnitentiam egiſſent Tyri, & Sidonii; ne quis defectum interioris gratiæ cauſetur, ſine qua utique pœnitentia vera non conſiſtit. Culpa ergo in iis fuit, qui gratiam reſpuerunt, eique reſtiterunt. Copioſa erat gratia, quæ potuiſſet convertere Tyrios, & Sidonios, & con-

Matt. XI. 21.

ver-

vertit mundum. Sed Judæi dura cervice erant, & incircumciſis labiis ſemper Spiritui ſancto reſiſtebant. Unde quidem ſufficiens, non autem efficax ad eorum frangendam pertinaciam adfuit gratia, cum qua infallibiliter egiſſent: hac autem indigni erant, tamdiu Spiritui ſancto reſiſtentes: *Sicut patres veſtri, ita & vos*, inquit CHRISTUS: *Implete menſuram patrum veſtrorum.* Quod futurum erat, CHRISTI oblatam gratiam, & ſalutem rejicientibus; at tunc adhuc aderat gratia: *Quia*, flens inquit CHRISTUS, *ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Nimirum ob cæcitatem, & duritiam cordis eorum: CHRISTUS enim coram verſabatur, ad ſalutem venerat. Necdum impleta erat menſura patrum: adhuc poſtea PAULUS tota ad Hebræos epiſtola egit, ne præſentem CHRISTI gratiam rejicerent, illi ſaltem, qui eam receperant; ſed in eo erant, ut iterum deſererent, & cum contribulibus patrum impleta menſura prorſus abjicerentur. Corinthios, & Theſſalonicenſes idem monet apoſtolus: Ne in vanum gratiam DEI recipiant. *Nolite ſpiritum extinguere.*

Matt. XXIII. 32.

XIX. 42.

2. *Cor. VI.* 1.

Theſſal. V. 19.

Ex hac igitur reſiſtentia eſt, quod gratia ſufficiens culpa noſtra, non defectu gratiæ, effectum ſuum non ſortiatur. Quando homines indignos ſe præbent uberiori, ſeu efficaci gratia: „Cor eorum„ inquit S. AUGUSTINUS, „congelaſcit adverſus DEUM, „ & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, „ ne fructum ferat. „ *Ecce ſto ad oſtium*, inquit CHRISTUS, *& pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Sed homines clau-

Præf. in pſal. 124.

Apoc. III. 20.

dunt malitia ſua cor. „ Si quis „ inquit S. AMBROSIUS, „ peccatorum ſuorum re-
In Pſal. CXVIII. Serm. 19. „ pagulis obſerandam mentem propriam judi-
„ caverit, & verbi a ſe ſplendorem ſtultus
„ avertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcita-
„ tem, cauſari poterit, quod ſol juſtitiæ no-
„ luerit intrare, aut infirmitatem luminis cœ-
„ leſtis arguere? „ Gratiæ cœleſtis totum eſt
Jo. VI. 45. opus, quidquid boni in nobis eſt: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Effectus eſt gratiæ, defectus autem a nobis. Et quidem gratia nullis meritis noſtris datur, nec etiam diſpoſitionem ad eam afferimus, niſi pravam, qua eam repellimus, cum poſſimus diſſentire, ſi velimus. *Declarat ſancta ſynodus* (Tridentina) *ipſius juſtificationis exordium in adultis a* DEI *per* JESUM *Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, ut, qui per peccata ab eo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponuntur: ita ut tangente* DEO *cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia* DEI *movere ſe ad juſtitiam coram illo libera voluntate poſſit.*
Seſſ. VI. c. 5.

Opus ergo bonum, & ſalutare gratiæ DEI
Philip. I. 6. adſcribitur: *Qui cœpit in vobis bonum opus perficiet.* Nec gratia deeſt, niſi ei nos
Seſſ. VI. c. 13. deſimus. *In* DEI *auxilio*, laudatum conciſium itidem declarat, *firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent.* DEUS enim

enim (niſi ipſius illi gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Et cum hoc ſit, inquit S. THOMAS, *in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non inmerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni; DEUS enim, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes ſalvos fieri. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* L. III. c. 159. cont. gentes. 1. ad Tim. 2.

Patet hinc, quomodo eadem gratia in uno ſit efficax, in altero ſufficiens tantum, ut tamen tota efficacia ex parte gratiæ ſit; major autem reſiſtentia in uno, quam altero. *Quamvis multi uno modo vocati ſint*, inquit S. AUGUSTINUS, *tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei: & illud non minus verum eſt: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem.* L. I. ad Simplic. q. 2.

Quando DEUS vult efficaciter operari, infallibiliter ſequitur effectus, non obſtantibus impedimentis ab homine: *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Exempla nobis plurima ſuppetunt ſubito immutatæ perverſiſſimorum hominum mentis e. c. latronis, PAULI, de quo S. AUGUSTINUS: *Ut autem de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia DEI erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala.* De grat. & lib. arb. L. X. c. 5. Sed hæc extraordinaria ſunt; ordinarie ſufficiens tamen datur gratia, quæ haberet effe-

ctum, niſi homo reſiſteret: idque ſecundum præſentes hominis vires; ſaltem mediate, ut poſſit ingruente majore difficultate, aut tentatione, qua mens abripitur majore renitentia, impetrare gratiam etiam efficacem. *Oramus*, idem ait ſanctus doctor, *non ſolum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes, & ex oppugnantibus amantes?* Quod ipſum, ſed iterum noſtra culpa, & obduratione mentis accidit. *Nonne aliquando*, idem inquit, *ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & pene nulla, imo interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus.*

Ad Bonif. L. IV. c. 9.

Id. L. I. 2.

§. LVIII.

Quod noſtro non gratiæ defectu fit.

Cauſis ergo quibuscunque naturalibus, vel moralibus ex peccato ortis tribui debet defectus gratiæ, non inſufficientiæ illius, quæ haberet effectum, niſi impediretur.

Malorum omnium in hoc mundo tam phyſicorum hominibus infeſtorum, quam moralium cauſam eſſe peccatum alibi docui: quatenus nimirum homo iis dotibus privatus, quibus cauſas naturales, & morales juxta dominium acceptum ad imaginem, & ſimilitudinem DEI ordinaret, ne ulli malo phyſico, vel morali locus eſſet.

Mala autem moralia tam actualia, quam originale ordine naturæ perturbato impediunt gratiæ effectum: e. g. in infantibus, qui ſine baptiſ-

baptiſmo moriuntur, antequam participes fiant gratiæ regenerationis: non tam loquimur de illis, qui in lucem editi, non baptizantur, aut qui in utero materno negligentia, & culpa parentum extinguuntur; quam de illis, qui ſive nati, ſive adhuc in utero materno absque ulla parentum culpa ſolis cauſis naturalibus concurrentibus moriuntur: qui de ſalute omnibus per CHRISTUM indultis, atque adeo de ſufficientibus præparatis remediis excludendi non ſunt; quemadmodum concluduntur peccato ADAMI. „ Et tamen „ ut loquitur S. AUGUSTINUS, „ plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, DEO „ tamen nolente, non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur. „ Non utique defectu gratiæ, ſed malignantis naturæ, per peccatum ordine cauſarum ſecundarum perturbato, tum per peccatum originale, cum etiam actualia. „ Sed cum „ inquit S. LEO, „ inſcrutabilis ſit cauſa tam „ donorum, quæ gratia tribuit, quam miſeriarum, quas natura promeruit, ipſa nos „ intelligentiæ difficultas ad noſtrum remittit „ auctorem. Et cum quærimus: quomodo omnes homines ſalvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant „ gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: qua utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eosdem juvarentur. „

De don. perſev. c. 12.

L. II. de voc. gent. c. 23.

Juſte

Juſte autem hanc ſortem ſubeunt infantes, ut pereant, qui peccato obſtricti ſunt. „ Qui
Ib. c. 24. „ utique „ inquit S. LEO, „ niſi graviſſimi „ peccati eſſent participes, non perirent. „ Nunc autem occulta quidem DEI diſcre- „ tione, ſed juſta, ſic oſtenditur, & quid con- „ ferat gratia, & quid prævaricatrix mereatur „ natura: ut nec contra donum elevetur ſu- „ perbia, nec contra periculum ceſſet indu- „ ſtria. „ Idem multo magis dici debet de infantibus infidelium, aut etiam adultorum, qui vel negative, vel poſitive ſunt infideles, ac omnium indiſcriminatim peccatorum: „ Inex-
Epiſt. 194. ad Sixtum. „ cuſabilis eſt „ inquit S. AUGUSTINUS, „ omnis peccator vel reatu originis, vel ad- „ ditamento etiam propriæ voluntatis; ſive „ qui novit, ſive qui ignorat; ſive qui judi- „ cat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa „ ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, „ ſine dubitatione peccatum eſt; in eis au- „ tem, qui non potuerunt, pœna peccati. „ Ergo in utrisque non eſt juſta excuſatio, „ ſed juſta damnatio. „ Et alibi de fidelibus adultis: „ Infideles quidem contra DEI vo- „ luntatem faciunt, cum ejus evangelio non „ credunt: nec ideo tamen eam vincunt, ve- „ rum ſeipſos fraudant magno, & ſummo „ bono, malisque pœnalibus implicant, ex- „ perturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cu- „ jus in donis miſericordiam contemſerunt. „ Ita voluntas DEI ſemper eſt invicta. „

Nimirum ſive utantur gratia oblata, ſive eam abjiciant infideles, ac peccatores, DEO conſilia ſapientiæ ſuppetunt fines ſuos conſectandi, & ubi homines ipſi obicem ponunt, ne miſericordiam conſequantur, juſtitiam experiuntur. Quod de omnibus, qui ſalute ſua exci-

excidunt; indiſcriminatim valet. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Unde de fidelibus his valet illud concilii Trident. *Si ipſi juſti gratiæ DEI non defuerint, DEUS, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* Qui omnino excuſationem nullam obtendere poſſunt. „ Et „ tamen „ inquit S. AUGUSTINUS, „ ab hac „ damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiſſe evangelium „ CHRISTI, cum fides ex auditu ſit: quanto minus ſe liberabunt, qui dicturi ſunt, „ perſeverantiam non accepimus. Juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non „ accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt „ dici: Homo, in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles; nullo „ modo autem dici poteſt: Id, quod non „ audieras, crederes, ſi velles. „

1. *Pet. III.* 9.

Seſſ. VI. c. 13.

De corrept. & grat. c. 7.

CAPUT IV.

De prædeſtinatione.

§. LIX.

Gratiæ, & prædeſtinationis neceſſarius eſt nexus, una eademque ratio ad ſalutem: atque juxta S. AUGUSTINUM: *Hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia vero jam ipſa donatio.*

Gratiæ, & prædeſtinationis nexus, & diſcrimen.

De prædeſt. Sanctorum. c. 10.

„ Si

„ Si diſcutiatur, & quæratur „ integer habet textus citato in loco ſancti doctoris „ Unde quisque ſit dignus, non deſunt, qui „ dicant, voluntate humana: nos autem „ dicimus, gratia, & prædeſtinatione divina. „ Inter gratiam porro, & prædeſtinationem „ hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt „ gratiæ præparatio, gratia vero jam ipſa donatio. Quod itaque ait apoſtolus: *Non „ ex operibus, ne forte quis extollatur, ipſius „ enim ſumus figmentum, creati in Chriſto „ JESU in operibus bonis*; gratia eſt: quod „ autem ſequitur, quæ præparavit DEUS, „ ut in illis ambulemus, prædeſtinatio eſt, „ quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe DEUS ea „ præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: unde „ dictum eſt: *Fecit, quæ futura ſunt.* Præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non „ facit; ſicut quæcunque peccata: quia etſi „ ſunt quædam, quæ ita peccata ſunt, ut „ pœna ſint etiam peccatorum, unde dictum „ eſt: *Tradidit illos DEUS in reprobam „ mentem, ut faciant quæ non conveniunt, „ non ibi peccatum DEI eſt, ſed judicium.* „ Quocirca prædeſtinatio DEI, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi, præparatio: gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis primus effectus.

Patet hinc neceſſarius nexus doctrinæ de gratia, & prædeſtinatione, ut adeo, præter morem theologorum, conſequenter utramque materiam tractare in animum induxerim. Eosdem gratiæ doctores ſecutus D. PAULUM, & AUGUSTINUM, qui utramque doctrinam mutuo conjunxerunt. Quod in D. PAULO primus negare auſus eſt ARMINIUS teſte

teſte LIMBROCHIO, cum publice caput nonum epiſtolæ ad Romanos interpretaretur: quæ fuit origo controverſiarum Remonſtrantium, & Contra-Remonſtrantium. Semi-Pelagiani ægre ferebant, hanc a S. AUGUSTINO tractatam fuiſſe difficilem quæſtionem, ut ad eum HILARIUS perſcribit, ac ipſe refert ex illo eorum verba: „ Non opus fuiſſe „ hujusmodi diſputatione incerta minus intel- „ ligentium tot corda turbari: quoniam non „ minus utiliter ſine hac definitione prædeſti- „ nationis per tot annos defenſa eſt catholica „ fides, tum contra alios, tum maxime con- „ tra Pelagianos, tot catholicorum, & aliorum, „ & noſtris præcedentibus libris. Multum mi- „ ror eos dicere „ reſpondet S. Pater, „ nec „ attendere, ut de aliis hic taceam, ipſos li- „ bros noſtros, & antequam Pelagiani appa- „ rere cœpiſſent, conſcriptos & editos, & vi- „ derè quam multis eorum locis futuram ne- „ ſcientes Pelagianam hæreſin cædebamus præ- „ dicando gratiam, qua nos DEUS liberat „ a malis erroribus, & moribus noſtris, non „ præcedentibus meritis noſtris, faciens hoc „ ſecundum gratuitam miſericordiam. „ Hæc poſtquam ex libris ſuis ad SIMPLICIANUM initio epiſcopatus conſcriptis, præſertim autem ex confeſſionibus ſuis demonſtraſſet, de donis gratiæ, quæ maxime ipſe in ſua converſione expertus fuerat, ſic pergit: „ Omnia „ itaque DEI dona, quæ in eodem opere ſive „ optavi, ſive laudavi, quis non dicam nega- „ re, ſed dubitare ſaltem audeat DEUM da- „ turum ſe eſſe præſciſſe, & quibus daturus fue- „ rit, nunquam potuiſſe neſcire? Hæc eſt præ- „ deſtinatio manifeſta, & certa ſanctorum. „ Alibi aliam adhuc reddit rationem ex illo S.

De orig. & progr. controv.

De don. perſev. c. 20.

Ib. n. 52.

PAU-

Rom. VI. Epiſt. olim 105.

PAULI: *Gratia DEI vita æterna.* „ Unde „ inquit, „ & ipſa vita æterna, quæ uti„ que in fine ſine fine habebitur, & ideo meritis „ præcedentibus redditur, tamen quia eadem „ merita, quibus redditur, non a nobis para„ ta ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in no„ bis facta per gratiam etiam ipſa gratia nun„ cupatur, non ob aliud, niſi quia gratis „ datur. „

Optime ergo tractatio iſta ad præſens quadrat inſtitutum theologiæ myſticæ, ubi interiore reformatione humanæ infirmitatis per Spiritus S. afflatum ad τελειην illam aſcenditur perfectionis, ac felicitatis noſtræ æternæ: quod utrumque prædeſtinationis eſt opus. *Prædeſtinavit ergo DEUS*, inquit FULGENTIUS, *ſanctos ſuos, & ad gratiam bonæ vitæ, & ad gratiam vitæ æternæ.*

L. III. de verit. prædeſt.

§. LX.

Quid nomine prædeſtinationis veniat.

Tota œconomia, ſeu divina circa ſalutem hominum diſpoſitio prædeſtinationis nomine venire poteſt. Id autem ſingulariter ad eam pertinet, quod ab æterno DEUS circa electos ad finem vitæ æternæ perducendos deſtinavit.

Hic eſt, qua late patet, ſignificatus verbi prædeſtinare, cui Græcum προορίζειν reſpondet. Et licet in DEO unus ſimpliciſſimus, puriſſimusque ſit actus, noſtro tamen cogitandi modulo, varium actuum ordinem veluti ſibi ſuccedentium conſideramus, prout ad negotium ſalutis totius generis humani ſpectat,

unde

unde per lapſum excidit; DEI autem ſingulari benignitate, per CHRISTUM novam ſpem concepit, qui pro redemtione noſtra humanam naturam ſuſcepit, ut omnes, qui crediderint in illum, mediisque gratiæ recte uſi perſeveraverint uſque in finem, ſalvi fiant; reliquis, qui in CHRISTUM non credunt, aut ſalutis media negligunt, vocationique, & ſinceræ DEI pro ſalute omnium voluntati non reſpondent, repugnantque, excidentibus ſua culpa. Ita prædeſtinationis vocabulum latiſſimo ſignificatu olim jam ſumebatur: quatenus divino conſilio, decretoque bonis, & electis ſalus eſt deſtinata, ut nec deſit ratio DEO, *qua ſciat reprobis bene uti*, ut loquitur S. AUGUSTINUS, *ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit ad gratiam.* Hoc probe in tota hac materia notandum veniet, ut diſtinguantur, quæ a nobis libere fiunt, & quomodo DEUS omnibus actionibus utatur ad prædeſtinationis finem, malis etiam bene utens. Ita S. AUGUSTINUS de JUDA proditore: *Ab illo quippe electus eſt, qui novit bene etiam uti malis: ut & per ejus opus damnabile illud, propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur.*

Enchirid. c. 100.

De corrept. & grat.

Sic ergo omnia ad prædeſtinationem pertinent, quæ etiam in noſtro arbitrio ſunt poſita, quæ S. JO. DAMASCENUS videtur a prædeſtinatione excluſiſſe: *Scire convenit,* ait, *præſcire omnia DEUM, non tamen omnia prædeſtinare. Nam ea quoque præſcit, quæ in nobis poſita; non tamen ea prædeſtinat. Non enim malitiam eſſe vult, neque neceſſitate virtutem exprimit. Quare juſſio-*

De orthodox. fide. L. II. c. 30.

nis cujusdam præſcientis opus eſt prædeſtinatio. Sed hæc prædeſtinationis notio ea non eſt, qualis communiter habetur ab omnibus qui vel abſolutam, vel conditionatam admittunt, quoad præparationem mediorum ad ſalutem, quæ ab omnibus ad prædeſtinationem referuntur. Et ita definit prædeſtinationem ſanctorum S. AUGUSTINUS: *Hæc prædeſtinatio ſanctorum nihil eſt aliud, quam præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum DEI, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem ubi, niſi in maſſa perditionis juſto divino judicio relinquuntur.* Contra Pelagianos, & etiam ſemi-Pelagianos ipſi negotium fuit, qui ſalutem, aut illius initium ſaltem, meritis noſtris, non beneficio divino deputabant. Et dum eos exemplo infantum urgeret, quorum alii cum baptiſmi gratia, alii ſine illa moriantur; illi ſalvi fiant, hi non, recurrendum ipſis fuit ad prævisa merita, ſi vitam produxiſſent, quod minime ferendum duxit S. AUGUSTINUS: haud magis ac illud, quod iidem ſemi-Pelagiani numerum ipſum prædeſtinatorum ad ſalutem certum eſſe negarent, quin augeri, aut minui poſſit: *Ne*, ſcribit PROSPER ad S. AUGUSTINUM, *locum apud infideles, ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac ſuperflua ſit induſtriæ, ac laboris indictio.* *Quod quidem*, idem alibi ait, *tam impium eſt negare, quam ipſi gratiæ contrarium.*

De don. perſev. c. 14.

Epiſt. ad Aug. n. 6.

Epiſt. ad Ruf.

Fons nimirum is erat, & cauſa erroris, quod per præparationem mediorum ad ſalutem, totamque prædeſtinationis œconomiam, vim inferri humano arbitrio putarent, ſi ex decreto DEI ſuſpenderetur: hinc eodem loco habebant prædeſtinationem, quam fatalem neceſſitatem,

tatem, quam putabant ſtatui non ad bonum ſolum, ſed etiam ad malum, ut idem PROSPER ad objectiones Gallorum innuit: & contra hanc calumniam excipit etiam S. FULGENTIUS: *Non ergo*, ait, *prædeſtinati ſunt mali ad hoc, quod male operentur, a concupiſcentia ſua abſtracti, & illecti, ſed ad hoc, quod juſte patiuntur inviti. Prædeſtinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia neceſſitas exprimitur, ſed miſericors, & juſta futuri operis divini ſempiterna diſpoſitio prædicatur.* Cavendum autem, ne idcirco, ut inde ſemi-Pelagiani arguebant, ipſum opus hominis non admittatur, quod aut facit DEUS per gratiam, ad ſalutem hominum prædeſtinatum, aut ab homine ſecus factum, juſto judicio ordinat. *Ipſe enim*, paulo poſt idem ait, *donat gratis indigno gratiam, qua juſtificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, ut præveniente miſericordia bonum velle incipiat, & ſubſequente miſericordia bonum, quod vult, facere valeat. Utrumque autem prædeſtinando DEUS præparavit in illa incommutabili voluntate, in qua ſic futurum effectum hominis renovandi diſpoſuit, ut ejus voluntas in opere novo nova eſſe non poſſit.* Ac quidem quæ proprie dicitur prædeſtinatio, præparatio beneficiorum DEI in finem vitæ æternæ, tota DEO tranſcribitur, qui gratiam, & gloriam dabit. Et juxta apoſtolum: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. Et ideo non ſolum*, inquit S. FULGENTIUS, *errantem juſtificando ad viam revocat, ſed etiam bene ambulantem cuſtodit, & adjuvat, ut ad donum glorificationis æternæ perducat.*

Propoſ. I.

L. I. ad Monim. c. 7.

Pſ. 83. 12.

Rom. VIII. 30.

Ad Monim. L. I. c. 11.

Hæc autem omnia, id eſt, & vocationis noſtræ initia, & juſtificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædeſtinatione ſemper DEUS habuit: quia & in vocatione, & in juſtificatione, & in glorificatione ſanctorum, gratiæ ſuæ opera futura præſcivit. Ob hoc totum DEO aſſignat apoſtolus dicens: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit &c.* Sed prædeſtinationis decretum æternum liberam operationem in tempore non excludit, quam a LUCIDIO FAUSTUS confeſſionem petit: *Ut cum gratia Domini*, ad eum ſcribit, *operationem baptizati famuli ſemper adjungas, & eum, qui prædeſtinationem excluſo labore hominis aſſerit, cum PELAGII dogmate deteſteris.* Et S. GREGORIUS M. *Ipſa perennis regni prædeſtinatio ita ab omnipotente DEO diſpoſita eſt, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens DEUS ante ſæcula diſpoſuit donare.*

Rom. VIII. 30.

T. VIII. Bibl. p. 524.

L. I. Dial. c. 8.

Maxime autem cavendum, ne quoad malum, & reprobos, DEO culpa adſcribatur, qui prædeſtinationis error imputatur & GOTTESCALCO, quo tempore de duplici prædeſtinatione inter doctos præprimis diſputari cœpit: quæ certe, quoad conſiſtit in præparatione gratiarum, ſolum in unam partem accipitur, quoad electionem, in altera autem parte non ipſa mala facta, ſed eorum ordinatio ad fines debitos DEO poteſt adſcribi. *Univerſos*, inquit PROSPER, *homines non ignoramus a DEO ſingillatim creari, & de hac univerſitate alios damnandos cum diabolo, alios regnaturos eſſe cum CHRISTO. Quod ergo etiam hi creantur, qui vitæ æternæ participes non erunt, nulla eſt culpa creatoris,*

Ad cap. Gall. object. 13.

toris, qui naturæ auctor eſt, non vitii, quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varietatem, quis non intelligat, qui videat ſtudiis, & operibus quorundam impiorum tot commoda vitæ præſentis.

§. LXI.

Prædeſtinationis, & præſcientiæ diſtinctio.

Hoc eſt præſcientiæ a prædeſtinatione diſcrimen, quod illa ad omnia omnino, etiam mala, hæc ad bona, quæ DEUS etiam ex malis, ſed potiſſimum ex bonis per gratiam in hominibus ad eorum ſalutem operatur, proprie pertineat.

S. AUGUSTINUS definit *prædeſtinationem, eorum præſcientiam, quæ DEUS ipſe facere diſpoſuit.* Hinc ſemi-Pelagianis obtendentibus antiquos doctores, SS. CYPRIANUM, AMBROSIUM, GREGORIUM NAZ. ignoraſſe prædeſtinationem, ſanctus doctor inde, quod gratiam admiſerint, quam DEUS præſciverit ſe daturum, arguit etiam prædeſtinationem ſtatuiſſe: *Numquid autem*, inquit, *quisquam eos dicturus eſt ita confeſſos iſtam DEI gratiam, ut auderent negare ejus præſcientiam, quam non ſolum docti, ſed indocti etiam profitentur? Porro ſi hæc ita DEUM noverant dare, ut non ignorarent eum daturum ſe eſſe præſciiſſe, & quibus daturus eſſet, non potuiſſe neſcire, procul dubio noverant prædeſtinationem.* Sumit exemplo apoſtoli præſcientiam in ſtrictiori ſenſu pro illis, quæ in electis ſuis ipſe facit: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit.* Non quod

L. II. de perſev. c. 15.

De don. perſev. c. 19.

Rom. VIII.

quod prævidit facturos homines, ſed præſcivit, & prædeſtinavit ſe facturum per ſuam gratiam. *Quia*, alibi ait, *etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum DEUM, ipſe facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit: alioquin, ut DEI promiſſa compleantur, non in DEI, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod a Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur ABRAHÆ. Non autem ſic credidit ABRAHAM, ſed credidit dans gloriam DEO, quoniam, quæ promiſit, potens eſt & facere: non ait, prædicere, non ait præſcire; nam & aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire; ſed ait, potens eſt & facere; ac per hoc facta, non aliena, ſed ſua.* Quæ ſint aliena non ſua antea jam edixit: *Præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.*

De prædeſt. ſanct. c. 10.

Hoc diſcrimen, quod in doctrina S. AUGUSTINI non attenderent ſemi-Pelagiani, oſtendit PROSPER in reſponſione ad objecta Gallorum, cauſam eſſe erroris. „ Bonorum enim „ inquit, „ DEUS auctor eſt, „ non malorum. Prædeſtinatio igitur DEI „ ſemper in bono eſt, aut ad retributionem „ juſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Univerſæ enim viæ Domini miſericordia, & veritas. Proinde infidelitas non credentium non ad conſtitutionem DEI, ſed „ ad præſcientiam referenda eſt. „ Et poſtea ad objectionem ſequentem: „ Quod idem ſit præ„ ſcientia, quod prædeſtinatio. „ Reſp. „ Qui „ præſcientiam DEI in nullo ab ipſius præ„ deſtinatione diſcernit, quod tribuendum eſt „ DEO de bonis, hoc ei etiam de malis co„ natur adſcribere. Sed cum bona ad largitorem, cooperatoremque eorum DEUM, „ mala

Proſp. reſp. ad object. 14. Gall.

mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda ſunt: dubium non eſt, ſine ulla temporali differentia DEUM & præſciſſe ſimul, & prædeſtinaſſe, quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis juſto erant judicio retribuenda; præſciſſe autem tantummodo, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Poteſt itaque ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia: prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe non poteſt. „ Et S. FULGENTIUS: „ DEUS itaque omnia hominum opera, ſive bona, ſive mala præſcivit, quia eum latere nihil potuit, ſed ſola bona prædeſtinavit, quæ ſe in filiis gratiæ facturum eſſe præſcivit: mala vero futura opera illorum, quos non prædeſtinavit ad regnum, ſed ad interitum præſcivit potentiſſima Deitate, & ordinavit provida bonitate: & quia præſcius fuit, quod eadem mala non ſolum ipſe facturus non eſſet, ſed nec homo in quantum ei humiliter adhæſiſſet, in eo nobis inſuperabilem potentiam præſcientiæ ſuæ magis oſtendit, quia nec in malis prædeſtinationem juſtitiæ ſuæ vacare permiſit. „ Et AMULON archiepiſcopus Lugdun. „ Præſcientiam quoque DEI credere debemus, qua omnia in æterna ſcientia ſua præſcivit, & præcognita ei ſunt, quæcunque futura ſunt: non ſolum bona, quæ ipſe facit, & remunerat in ſuis, ſed etiam mala, quæ ipſe non facit, ſed tantum judicat, & damnat in alienis.... Debemus etiam credere prædeſtinationem, & electionem ſanctorum, quia eos, quos præſcivit ſua gratia ſalvandos, & liberandos, prædeſtinavit, id eſt, præordinavit, „ &

Ad Monim. L. I. c. 24.

Bibl. PP. T. XIV. 338. b.

» & elegit, id eſt, a maſſa perditionis, & ſo-
» cietate reproborum diſcrevit, ut ejus gra-
» tia fierent vaſa miſericordiæ, quæ præpa-
» ravit in gloriam. Non itaque idcirco eos
» prædeſtinavit, & elegit, quia præſcivit eos
» ex ſemetipſis juſtos futuros: ſed potius ad
» hoc eos præſcivit, & prædeſtinavit, ut eos
» gratis ſua gratia juſtificaret. „

Jo. SCOTUS olim prævisionem cum prædeſtinatione confudit, haud dubie ea ob argumenta, quibus olim S. AUGUSTINUS ſemi-Pelagianis, præſcientiam admittentibus, oſtendit objectiones contra prædeſtinationem facere etiam contra præſcientiam. Qua de re idem ſanctus doctor ante exortam hæreſin Pelagianam *L. III.* de libero arbitrio acute diſputavit. In libro autem de dono perſeverantiæ exemplum monachi refert, qui hac doctrina in præceps eſt actus: *Fuit*, narrat, *quidam in noſtro monaſterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, reſpondebat: Qualiscunque nunc ſim, talis ero, qualem me DEUS futurum eſſe præſciviț.* Hæc refert, quo loco ſemi-Pelagianis reſpondet, qui doctrinam de prædeſtinatione ſaltem non proferendam volebant, ne inde offenſio naſceretur, pariter ac de gratia, ut antea, eam materiam verſans, dixi.

De don. perſev. c. 15.

§. LXII.

Doctrina de prædeſtinatione quouſque indaganda.

Doctrina de prædeſtinatione ob ſuam ſublimitatem non eſt abſcondenda, ſed pie reverenda; nec idcirco in arcana DEI conſilia involandum.

Præ-

Præter Socinianos omnes tam diſpares de prædeſtinatione ſententiæ ad idem redeunt, ut arcanum myſterium, ac voluntatem divinam reverentes adorent, nec cauſas, rationemque cognitam, aut perviam credant. S. AUGUSTINUS, dum offenſioni, difficultatibusque circa gratiam, & prædeſtinationem occurrere nititur, libro præprimis de prædeſtinatione ſanctorum, inde poſtea ortæ ſunt difficultates, quas diluere debuit PROSPER, quove, ut jam S. FULGENTIUS obſervavit, fere capitula, ſeu objectiones Gallorum redibant, quas PROSPER ſolvit ſingulari opuſculo jam ſæpius, & nunc primum a nobis laudato. S. AUGUSTINUS hic cum Ð. PAULO ſexcenties ad profunditatem arcanorum divinorum judiciorum recurrit, in cauſa infantum, & majorum natu etiam; unde perſæpe ex illorum cauſa horum cauſam decidit, ſed eodem modo ad arcanum myſterium recurrendo: „ Si hoc „ inquit, „ profundius eſſe perſpicis, quam ut abs te „ valeat inveniri: utrumque utrique noſtrum „ profundum ſit, cur & in majoribus, & in „ minoribus DEUS velit alteri, & nolit alteri ſubvenire: dum tamen certum, & immobile teneamus, non eſſe iniquitatem apud DEUM, qua quemque ſine malis meritis damnet; & eſſe bonitatem apud DEUM, „ qua multos ſine bonis meritis liberet: demonſtrans in eis, quos damnat, quid omnibus debeatur: ut hinc diſcant, quos liberat, quæ ſibi pœna debita relaxetur, & „ quæ indebita gratia condonetur. „ Sed nimio hic exceſſu ferebantur ſemi-Pelagiani, de quibus HILARIUS ad S. AUGUSTINUM perſcribit: „ Hæc ſunt itaque, quæ Maſſi- „ liæ, *Cont. Jul. L. IV. c. 8.* *Epiſt. 226.*

" liæ, vel aliis etiam locis in Gallia ventilan-
" tur. Novum, & inutile eſſe prædicationi,
" quod quidam ſecundum propoſitum eligen-
" di dicantur, ut id nec arripere valeant, nec
" tenere, niſi credendi voluntate donata. „
Idem ex PROSPERI ad S. AUGUSTI-
NUM epiſtola conſtat, cauſatos eos maxime
prædeſtinationis definitionem utilitati prædi-
cationis adverſam. „ Quaſi vero „ inquit S.
De don. perſev. c. 14. AUGUSTINUS, „ adverſata ſit apoſtolo
" prædicanti. Nonne ille doctor gentium in
" fide, & veritate & prædeſtinationem toties
" commendavit, & verbum DEI prædicare
" non deſtitit? „ Eouſque autem delirabant, ut
etſi verum ſit, quod dicitur de prædeſtinatione
beneficiorum, non eſſe tamen populis prædi-
candum contenderent. At abſolute reſpon-
Ib. c. 20. det S. AUGUSTINUS: „ Prædicandum
" eſt prorſus, ut, qui habet aures audiendi,
" audiat. Quis autem habet, ſi non accepit
" ab illo, qui ait: *Dabo eis cor cognoſcendi*
" *me, & aures audientes?* Certe qui non ac-
" cepit, rejiciat, dum tamen, qui capit, ſu-
" mat, & bibat, bibat, & vivat. Sicut enim
" prædicanda eſt pietas, ut ab eo, qui ha-
" bet aures audiendi, DEUS recte colatur;
" prædicanda eſt pudicitia, ut ab eo, qui ha-
" bet aures audiendi, nihil genitalibus mem-
" bris illicitum perpetretur: prædicanda eſt
" charitas, ut ab eo, qui habet aures audien-
" di, DEUS, & proximus diligatur: ita præ-
" dicanda eſt & iſta prædeſtinatio beneficio-
" rum DEI, ut, qui habet aures audiendi,
" non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur. „
Hoc tum alibi, cum in eo libro de dono per-
ſeverantiæ agit copioſe, quatenus arcanum
hoc prædeſtinationis ſit prædicandum etiam
fide-

fidelibus populis, ducem ſecutus ubique S. PAULUM, qui in epiſtola præprimis ad Romanos gratuitam gentilium electionem ſtabilit.

Exemplum illuſtre Corozaitæ & Sidonii in evangelio præbebant, ex veteri autem teſtamento JACOB, & ESAU, quo uſus eſt etiam apoſtolus; ſed tamen, quouſque ſibi a curioſitate temperandum ſit, declaravit; ut tamen veritatem prædicemus, miſericordiam, & judicium Domino cantemus. Contra apoſtolum exurgere non auſi, S. AUGUSTINUM, ejus doctrinam prædicantem, inceſſebant, ut modo vidimus, & ex PROSPERI pro AUGUSTINO reſponſionibus ad excerpta Genuenſium conſtat, qui exempla etiam illa JACOB, & ESAU ex PAULO, & Tyriorum, & Sidoniorum ex evangelio hic adhibita ægre ferebant. Quoad primum PROSPER eos ad propria S. AUGUSTINI ſcripta vocat: quoad alterum ſuis verbis, quid non obſtante profunditate myſterii prædicandum hic ſit, declarat: *Nos, etiamſi rationem facti, & profunditatem judicii ejus penetrare non poſſumus, manifeſtiſſime tamen ſcimus, & verum eſſe, quod dixit, & juſtum eſſe quod fecit.* Et S. FULGENTIUS: *Quisquis ergo prædeſtinationem negat, de apoſtolicis eam prius epiſtolis deleat: ac deinde cum oſtenderit juſte a ſe reprehenſum apoſtolum PAULUM, tunc ſe hominibus indubitanter præbeat audiendum. Beatus apoſtolus PAULUS noluit ſileri, quod voluit ſcribi; ſed ſicut in epiſtolis ſuis arguit, ſi quem in hominibus cognovit errorem, ſic omnibus hominibus prædicari voluit, quam ſuis inſeruit litteris veritatem.* Legendus eſt illic,

Proſp. reſp. ad exc. 8.

De prædeſt. & grat. L. III. c. 8.

Ib. c. 6.

illic, ubi diluit eam communem objectionem, prædeſtinationem ſtudia pietatis evertere. Idem auctor de vocatione gentium præſtat, & alii.

L. II. c. 33.

Sed nihilominus eximi ſcrupulus ille non penitus potuit. Diſcimus ex RHABANI MAURI ad comitem EBERHARDUM epiſtola, eam rem in deſperationem egiſſe non paucos. Hodie uſque ad blaſphemandum DEUM proceditur, pugnam juſtitiam, & miſericordiam inter conſtituendo.

Op. Sirmondi T. II. p. 1019.

§. LXIII.

Iisdem erroribus obnoxia, ac doctrina de gratia.

Iisdem erroribus doctrina de prædeſtinatione eſt expoſita, quam cognata de gratiæ auxiliis: dum alii DEO in ſuis decretis, alii hominibus nimium tribuunt, quaſi ab eorum arbitrio pendeant, ac ſuſpendantur decreta DEI.

Varii craſſiſſimi fuerunt errores ethnicorum, & hæreticorum veterum Valentinianorum, Baſilidianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum, Manichæorum, Priſcillianiſtarum de fato, & inevitabili neceſſitate, duplici principio, quorum alterum boni, alterum mali cauſa ſit; alii natura boni, alii reprobi ſint. In quibus debellandis dum veteres doctores acrius laborant, homini nonnunquam pluſculum in negotio ſalutis tribuere videntur, æterna DEI decreta circa ſalutem, aut perditionem ſuſpendentes ex prævisione meritorum; agnita nihilominus neceſſitate gratiæ. Quare dum S. AUGUSTINUS contra Pelagianos gratiam, & prædeſtinationem omnino gratuitam, & abſolutam defendere cœpit, con-

contra propriam, quam prius tenuerat, de gratia ſententiam, Manichæiſmi fuit petita ejus doctrina, & Stoiciſmi.

Occaſionem etiam inde ſumtam ferunt hæreſis Prædeſtinatianorum, de qua PROSPER in chronico: *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab AUGUSTINI libris male intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.* HINCMARUS (qui, quod contra GOTTESCALCUM de prædeſtinatione ſcripſit, de hiſtoria hujus hæreſis ordiitur, & omnia in medium producit, quæ ad eam comprobandam facere poſſunt) eandem originem eidem tribuit, atque inter alios hunc præcipuum adſcribit errorem, quod DEUS ad peccatum, & damnationem prædeſtinet, qui GOTTESCALCO imputatus eſt error de duplici prædeſtinatione. Monachi quidam Adrumetini AUGUSTINI mentem non recte aſſecuti, ex ejus epiſtola ad SIXTUM Romanæ eccleſiæ presbyterum, poſtea pontificem, ita gratiam aſſerere cœperunt, ut liberum arbitrium tollerent. Quibus ille libros de gratia, & libero arbitrio oppoſuit. Alterum autem quemdam aſſerentem, neminem corripiendum male agentem, ſed pro eo orandum tantum, libro de correptione, & gratia corrigendum duxit.

Hos monachos Adrumetinos Prædeſtinatianos eſſe illi volunt, qui hanc ſectam in rerum natura extitiſſe aliquando volunt; quam alii meram fabulam eſſe dicunt: alii media via incedentes non quidem in ſectam coaluiſſe, fuiſſe tamen non negant, qui prædeſtinationem ad mortem pariter, ac vitam admittentes hominem in deſperationem, aut præſumtionem agebant: *De prædeſtinatione*, ſcribit SIGEBER. *Ad an.* 415.

BERTUS in chronico, & *divina gratia diſputantes, aſſerebant, quod nec pie viventibus proſit bonorum operum labor, ſi a DEO ad mortem prædeſtinati fuerint: nec impiis obſit, quod improbe vivant, ſi a DEO prædeſtinati fuerint ad vitam.* Quæ hæreſis ex libris AUGUSTINI male intellectis initium ſumſiſſe dicitur. Fuit hæc prima Gallorum objectio, quod ex prædeſtinatione DEI velut fatali neceſſitate homines ad peccata compulſi, cogantur in mortem: ad quam pro AUGUSTINO PROSPER reſpondet inter alia: *Proinde qui prædeſtinationis nomine fatum prædicat, tam non eſt probandus, quam qui fati nomine veritatem prædeſtinationis infamat.* Ex ARNOBIO juniore conſtat, Prædeſtinatorum nomen diſcipulis S. AUGUSTINI ab adverſariis fuiſſe impactum. Nec omnes LUCILII probant damnationem a FAUSTO curatam, qui ſemi-Pelagianorum tunc erat præcipuus, illamque objectionem præoccupavit, quam hodie tantopere inſtaurant, divina attributa bonitatem, & juſtitiam potius inter ſe collidi, quam illuſtrari per prædeſtinationem. Habuit etiam GOTTESCALCUS, ſicuti adverſarios graviſſimos HINCMARUM Remenſem, RHABANUM MAURUM, AMALARIUM, Jo. SCOTUM &c. & præjudicia ſynodorum Moguntinæ, & Cariſiacæ; ita etiam defenſores REMIGIUM Lugdunenſem, FLORUM, PRUDENTIUM, RATRAMUM, ſynodos etiam Valentinam, & Lingonenſem: quod tamen alii rejiciunt. Qui noviſſime litem de Prædeſtinatianis reſtaurarunt poſt SIRMONDUM, qui librum, *Prædeſtinatus*, edidit, & hiſtoriam

App. T. X. opp. S. Aug. p. 198. In Pſ. 146.

De grat. & lib. arb. L. II. c. 4.

riam prædeſtinatianam, hic maxime urgent concilia Aurelianenſe, & Lugdunenſe contra Prædeſtinatianos. Nec ferendus eſt auctor, qui Pariſiis an. 1650. veterum auctorum, qui ſæculo IX. de prædeſtinatione, & gratia ſcripſerunt opera, & fragmenta edidit, qui auſus eſt, ea concilia ceu ſpuria, & conficta rejicere. *T. II. P. I. p.* 443.

Neque negari poteſt, fuiſſe, ac hodieque eſſe, qui excedant, Calviniſtæ præprimis ſupra-lapſarii, qui ita admittunt decretum prædeſtinationis, ut æque reprobationis, ac ſalutis abſolutum ſtatuant, nullo ad peccatum præviſum habito reſpectu. Ita ut decretum de electione, aut reprobatione præiverit permiſſionem peccati. Angli tamen *art. XVII.* ſolius electionis mentionem faciunt. Infra-lapſarii autem, DEUM permiſiſſe lapſum, aſſerunt, ut alios ex maſſa damnationis eriperet, alios relinqueret. Quæ communior eſt Calviniſtarum opinio. LUTHERUM ſecum facere volunt Calviniſtæ, negant Lutherani, qui prædeſtinationem conditionatam admittunt. Quoad principia Lutheranis Arminiani, Janſeniſtæ Calviniſtis propius accedunt. Inter catholicos alii abſolutam, alii conditionatam admittunt prædeſtinationem.

Illi Auguſtiniani dicuntur, quibuscum faciunt Thomiſtæ; hi, qui ſcientiam mediam admittunt, Moliniſtæ, & Congruiſtæ. Quorum doctrina jam, ubi de gratia egimus, eſt explicata: de qua, qui non recte ſentiunt, hic etiam aberrant.

§. LXIV.

DEUM ſummum bonum omnibus creaturis ſuis, adeoque humano gene- DEUS omnibus bene cupit.

generi bene cupere, amare, & optima quæque ab æterno deſtinaſſe dubitare non licet.

DEUS unicum ſummum bonum eſt. Et ſicut tanquam principium primum ab eo omnia ſunt, ſic, ut eſt finis ultimus, ad eum omnia referenda ſunt. In hoc conſiſtere rationem ſummi boni etiam ARISTOTELES naturæ lumine agnovit. „ Si eſt „ inquit, „ finis ullus agendarum rerum, quem „ propter ipſum, & propter quem alia volu„ mus, neque omnia ob aliud eligimus (in „ infinitum enim ita fieret progreſſus, vanus„ que, & inanis appetitus nolter eſſet) per„ ſpicuum eſt, eum ſummum bonum, atque „ optimum futurum. „ Quoniam vero bonum eſt objectum voluntatis; ad unicum hoc ſummum bonum ipſe etiam DEUS, qui eſt ſummum bonum, unice feratur neceſſe eſt. Hinc recte obſervat D. THOMAS, amorem etiam illum, quo ſe ipſe amat, atque perfectionibus ſuis infinitis delectatur, eſſe rationem totam, & unam amandi cætera extra ſe poſita participatione ſummi boni bona: Ita ſapiens: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt.* Dum autem creavit mundum: *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

L. I. Ethic. c. 1.

L. III. contra gentes. c. 18.

Proverb. XVI. 4.

Gen. I. 31.

Cum DEUS autem ſumme ſit bonus, & omnia optime fecerit, mala ab illis creaturis ſunt, quas ratione præditas operibus ſuis præfecit, libero arbitrio pollentes. Unde a ſummo quidem deficiunt bono; ipſi autem ſummo bono viæ, & conſilia non deſunt intentum quo valeat obtinere finem, ac de malis etiam facere bene. „ Uſque adeo „ inquit S.

AU-

AUGUSTINUS, „ eſt omnipotens, & „ bonus, ut de malo etiam bene faciat. „ Hic eſt ordo, hæc ratio prædeſtinationis æternæ, qua nos ad fruendum ſe ſummo bono deſtinat, atque ad hoc natura compoſitum, gratiaque ornatum reddit hominem, ad finem etiam ſupernaturalem beatitudinis æternæ in viſione beatifica. A quo ſummo bono cum defeciſſemus, redemtorem dedit, legem gratiæ inſtituit, leges, conſilia, ſacramenta, & alia media ſalutis tam interna, quam externa. Auctor libri de divinis nominibus rem pulchre exemplo ſolis explicat: nimirum, „ Summum bonum, eo ipſo quod eſt, & ſubſtantivum bonum eſt, in omnia bonitatem diffundere. „ Quemadmodum ſol non cogitatione adductus ulla, vel electione, ſed eo ſolo quod eſt, illuminat omnia, quæ ſecundum propriam rationem lucem participare poſſunt. Ita bonum ipſum, quod ſupra ſolem, velut adumbratam duntaxat effigiem, excellentem habet archetypi rationem, ipſa ſua extantia (αὐτῇ τῇ ὑπάρξει) omnibus quæcunque ſunt proportione quadam (ἀναλογῶς) totius bonitatis radios immittit. „ c. 4.

Hæc quidem rebus omnibus ſunt communia, ſed hanc cognoſcere ſummi boni profuſionem extra ſe creaturæ rationalis ſolius eſt. „ Prima deniqne „ inquit TERTULLIANUS, bonitas creatoris, qua ſe DEUS noluit in æternum latere, id eſt, non eſſe aliquid, cui DEUS cognoſceretur. Quid enim tam bonum, quam notitia, & fructus DEI? Nam etſi nondum apparebat, hoc bonum eſſe, quia nondum erat quidquam, cui appareret; ſed DEUS præſciebat, quid boni appariturum eſſet: & ideo in ſuam ſumam commiſit bonitatem, *Cont. Marcionem L. II. c. 3.*

» tem, apparituri boni negotiatricem, non » utique repentinam, nec obventitiæ bonita- » tis, nec provocatitiæ animationis, quasi ex- » inde censendam, quo cœpit operari.„ Æternum hoc decretum, præparatioque bonorum, seu prædestinatio in ordine supernaturali, statuque naturæ lapsæ adhuc multo magis summum nobis exhibet bonum, amoremque supremi Numinis : *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans tui.*

Hierem. XXXI. 3.

§. LXV.

Ac vult omnes salvos.

Itaque vult DEUS, ut omnes salutem, & felicitatem æternam consequantur, ad quam destinati sunt a DEO conditore, ac redemtore.

Duplex hic distinguitur status naturæ integræ, & corruptæ. In ESTIO notatur opinio, nullam fuisse in DEO voluntatem salvandorum omnium etiam angelorum. Alii quidem eam voluntatem erga omnes fuisse in statu naturæ integræ, non vero in præsenti naturæ lapsæ putaverunt; nunc vero communiter tenent theologi, DEUM etiamnum velle salutem omnium: quemadmodum CHRISTUS pro omnibus mortuus est. Quæ fuit etiam sententia veterum patrum: & clare pronunciat apostolus: *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hucque pertinet tota illius oratio, qua comparationem primum inter, & secundum ADAM instituens, sicut per unum hominem mortem, ita per unum vitam in omnes transiisse, concluisse DEUM omnes in incredulitate, ut omnium misereatur, dicit: quæ utique ad præ-

In I. dist. 46. §. 3.

1. Tim. II. 4.

sen-

ſentem naturæ lapſæ ſtatum pertinent, ſupponuntque peccatum, pro cujus remiſſione redemtionem nobis dedit in CHRISTO. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Pet. III. 9. Hoc evangelium CHRISTUS nobis attulit, & prophetæ prænunciarunt, conteſtando, DEUM nolle mortem peccatoris, hortando ad pœnitentiam. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus DEUS, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat? Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum: & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus DEUS, revertimini, & vivite.* Ezech. XVIII. 23. 30. *Vivo ego, dicit Dominus DEUS: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini, convertimini a viis veſtris peſſimis: & quare moriemini domus Iſrael.* XXXIII. 11.

Cum igitur tam ſerio moneat, ut reſipiſcamus, delecteturque converſione peccatoris, quis hanc ejus voluntatem eſſe inficietur? Et cum in CHRISTO tam amplam ſalutem nobis offerat DEUS, ac copioſam gratiam, quæ non hominibus ſolis ſalvandis, ſed etiam angelis, non huic ſolum, ſed infinitis mundis redimendis plusquam ſatis eſſet; maxima ſe difficultas exerit, qualis hæc in DEO ſit voluntas, cui quis reſiſtat? Quomodo, proh dolor! tam in multis deficiat? Certe æqualiter erga omnes efficax eſſe non poteſt. „Inter defenſores liberi arbitrii„ orditur S. LEO opus de vocat. De voc. gent. L. I. c. 1.

vocatione gentium, „ & prædicatores gra-
„ tiæ DEI, magna, & difficilis dudum ver-
„ titur quæſtio. Quæritur enim: utrum velit
„ DEUS omnes homines ſalvos fieri. Et quia
„ negari hoc non poteſt, cur voluntas omni-
„ potentis non impleatur, inquiritur. Cum-
„ que hoc ſecundum voluntates hominum fie-
„ ri videatur, gratia videtur excludi, quæ ſi
„ meritis redditur, conſtat eam non donum
„ eſſe, ſed debitum. Unde iterum quæritur:
„ Cur hoc donum, ſine quo nemo ſalvus eſt, ab
„ eo, qui omnes ſalvare vult, non omnibus con-
„ feratur? Atque ita contrariarum diſputatio-
„ num nullus terminus reperitur, dum non
„ diſcernitur, quid manifeſtum, quid occul-
„ tum ſit. „ Explicat deinceps, & varias re-
ſtrictiones affert. Juxta mentem S. AUGU-
STINI hanc voluntatem non indiſcriminatim erga omnes ſtatuit, & copioſis ſcripturæ teſtimoniis confirmat, contra exceptiones etiam roborat: ut tamen maneat inconcuſſum, CHRISTUM pro omnibus mortuum eſſe, atque omnes gentes vocatas eſſe.

Qua in re antiqui gratiæ defenſores duce S. AUGUSTINO ſententias elegerunt, quas nunc multi concoquere non valent, paſſimque explicant theologi. Id autem minime ferebant, DEI voluntatem ab arbitrio pendere hominis, DEUMque velle omnes homines ſalvos fieri, modo ipſi velint, quod Pelagiani, & ſemi-Pelagiani contendebant.

Vid. Witaſſe.

De Incar. & grat. ad Petrum. §. 29.

„ Quomodo igitur „ inquit S. ANSELMUS,
„ omnia, quæ vult, facit, ſi volens homi-
„ nem ſalvum fieri, cujus ſalus nonniſi a bona
„ incipit voluntate, ipſum velle non in homi-
„ ne DEUS inchoat, ſed ut ab homine naſca-
„ tur exſpectat. O quam peſſimum nefas ad-

„ ſeri-

ſeritur, dum gratiæ DEI contumaciter repugnatur? „

Difficultas hic maxime oritur ob parvulos ſine baptiſmo morientes, quam ibi urget ſanctus doctor, frequenter autem *S.* AUGUSTINUS: multique ex ſcholaſticis hos a voluntate DEI ſalvandos omnes homines excluſerunt: alii voluntatem tantum *ſigni* admittunt, quatenus DEUS ſignificaverit nobis eſſe hanc ſuam voluntatem per præcepta &c. Omnes autem fateri debent efficacem DEI voluntatem in iis tantum compleri, qui revera ſalvantur. „ Qui dicit „ ait PROSPER, „ quod non omnes velit ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum; " durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ DEI: qui & " omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem " veritatis venire, & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit, juſtificatos glorificavit. „

§. LXVI.

Licet, qui ſalvantur, nonniſi DEI voluntate ſalventur; tamen, qui non ſalvantur, non divinæ, ſed ſuæ voluntatis defectu non ſalvantur.

Homines que ſua culpa ſalute excidunt.

DEUS vult omnes homines ſalvos fieri: " Non tamen ſic, „ inquit S. AUGUSTINUS, " ut iis adimat liberum arbitrium, quo bene " vel male utentes homines juſtiſſime judicentur. „ Legendus hic eſt imprimis liber ſancti doctoris *de correptione, & gratia*, quem non abs re Card. NORISIUS clavem totius

De ſpir. & litt. c. 33.

doctrinæ Auguſtinianæ de gratia appellat: ubi doctrinam de prædeſtinatione primum evolvit, idque peculiariter aſſerit, hominem ſua voluntate perire, atque peccare.

Reſp. ad ob. 2. Vincent.

PROSPER reſponſione ad objectiones Vincentianas has duas calumnias primo loco diluit: „ Quod Dominus noſter JESUS „ CHRISTUS non pro omnium hominum „ ſalute, & redemtione ſit paſſus. „ Et: „ Quod DEUS nolit omnes ſalvare, etiamſi „ omnes ſalvari velint. Quei „ ait, „ fieri „ poteſt, ut DEUS, qui etiam illos ſalvat „ de quibus dici non poteſt, quod ſalvari „ velint, nolit aliquos ſalvare, etiamſi ſal„ vari velint; niſi aliquæ cauſæ exiſtant, de „ quibus, quamvis ſint nobis incognoſcibi„ les, ille tamen bene judicat, de quo dici non „ poteſt, aliter eum quidquam facere debuiſſe, „ quam fecerit? Remota ergo hac diſcretio„ ne, quam divina ſcientia intra ſecretum ju„ ſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſime credendum „ atque confitendum eſt, DEUM velle, ut „ omnes homines ſalvi fiant. „ Et S. ANSELMUS in eadem apoſtoli verba: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri &c.* „ Nullum „ inquit, „ excipiens, qui vellet redimi ad ſal„ vandum. Ex hoc enim patet, quantum „ DEUS homines diligat, & eos velit ſalvos „ fieri, ſi perverſitas eorum non obſtiterit: „ quia mediator DEUS, quem DEUS in„ ter ſe, & homines poſuit, mortem pro om„ nibus ſuſtinuit, ut omnes a morte redime„ ret: & ideo, qui non ſalvantur, non eſt, „ quod de DEO, vel de mediatore poſſint „ conqueri, ſed de ſeipſis, qui nec redem„ tionem, quam mediator dedit, nec ſalutem, „ quam DEUS obtulit, voluerunt accipere. „

Et

Et S. AUGUSTINUS: „Ergo, quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis. „ Et *c.* 16. de prædestinatione sanctorum duplicem distinguit vocationem: „ Vocat enim DEUS prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, & qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus CHRISTUS crucifixus scandalum est; & gentes, quibus crucifixus stultitia est. „ Auctor de vocatione gentium ita librum secundum orditur: „ Remotis, abdicatisque omnibus concertationibus, quas intemperantium disputationum gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quæstione, de qua secundum volumen incipimus, debeat inhæreri. Unum quod profitendum est, DEUM velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; alterum, quod dubitandum non est, ad ipsam cognitionem veritatis, & perceptionem salutis, non suis quemquam meritis, sed ope, atque opere divinæ gratiæ pervenire: tertium, quod confitendum est, altitudinem judiciorum DEI humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse. „

Tract. 12. *in Jo.*

Ob propriam culpam, & resistentiam quemque perire hominum, dubium non est; non defectu divinæ voluntatis, nisi *secunda consequenti:* ut post S. CHRYSOSTOMUM & JOANNEM DAMASC. distinguunt hic voluntatem DEI theologi in primam, & secundam, seu antecedentem, & consequentem: „Voluntas prima est„ sunt verba CHRYSOSTOMI, „ ut non pereant, qui peccarunt:

Hom. I. in epist. ad Ephes.

" runt : voluntas ſecunda eſt, ut qui facti " ſunt mali, pereant, qui peccarunt. Non " enim eos caſtigat (κολάζει) neceſſitas, ſed
L. II. de orth. fid. c. 30. " voluntas. " Et S. JOANNES DAMAS. " Prima illa voluntas antecedens dicitur, & " beneplacitum, cujus ipſe cauſa ſit: ſecunda " autem conſequens voluntas, & permiſſio, " ex noſtra cauſa ortum habens, eaque du- " plex; altera diſpenſatione quadam fit, & " ad ſalutem erudit; altera a reprobatione " proficiſcitur, ad abſolutam, ut diximus, " pœnam pertinens. "

§. LXVII.

DEUS autem gratuito prædeſtinatos eripit.

Gratuitam prorſus eſſe prædeſtinationem, non ſolum miſer noſter, in quo verſamur, oſtendit ſtatus; verum etiam ipſa CHRISTI prædeſtinatio, qua Filius DEI eſt factus.

In humano genere peccatorum ſordibus contaminato nihil fuit, quod DEO placere, aut illum ad benignum erga quemquam noſtrum decretum edendum movere potuit. *Commendat autem charitatem ſuam DEUS in nobis: quoniam eum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, CHRISTUS pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Poſtea uſus exemplo JACOB, & ESAU: " Cum enim " inquit, " non- " dum nati fuiſſent, ut aliquid boni egiſſent, " aut mali (ut ſecundum electionem propoſi- " tum DEI maneret) non ex operibus, ſed " ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſervie- " mino-

Rom. V. 8. &c.

Rom. IX. 11.

minori, ſicut ſcriptum eſt: *JACOB dilexi: ESAU autem odio habui.* Intentio igitur „ inquit S. AUGUSTINUS hunc locum expendens, „ intuenda eſt apoſtoli, „ quomodo propter gratiam commendandam nolit eum, de quo dictum eſt, *JACOB dilexi*, niſi in Domino gloriari: ut, cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egiſſent boni aut mali, alterum DEUS diligit, odit alterum, intelligat JACOB ex illa maſſa originalis iniquitatis, ubi fratrem ſuum, cum quo habuit communem cauſam, videt per juſtitiam meruiſſe damnari, nonniſi per gratiam potuiſſe diſcerni. „ *Ep. 194. n. 38.*

Eodem modo conſequentem D. PAULI textum ibi diſcutit, & alibi frequenter. Apoſtolus autem omnem locum cavillandi demit: „ Quid ergo dicemus? „ ait, „ Numquid iniquitas apud DEUM? Abſit. MOYSI enim dicit: *Miſerebor, cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor.* Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI. „

Ex epiſtola epiſcoporum Africanorum ad JOANNEM, & VENERIUM diſcimus, ſemi-Pelagianos, ut hoc exemplum eluderent, dixiſſe, in ESAU figuram eſſe populi Judæorum ex futuris malis operibus condemnandi: in JACOB vero figuram eſſe populi gentium, ex futuris operibus bonis ſalvandi, quam cavillationem patres illi ibi diluunt, atque ſic concludunt: „ Quocirca, quia certum eſt, ESAU fuiſſe vas iræ, JACOB autem vas miſericordiæ; certiſſime tenendum eſt, quod & ille, ut damnaretur, iram juſte meruit; non enim injuſtus DEUS, qui infert iram: & iſte, ut ſalvaretur, gratis „ *Fulgent. ep. 15. n. 6.*

" donum miſericordiæ prævenientis accepit. " JACOB itaque juſtificatus gratis per gra- " tiam DEI, factus eſt vas miſericordiæ per " indebitam gratiam, & per ipſam miſericor- " diter eſt præparatus ad gloriam; ESAU " vero per iram juſtam juſte eſt præparatus ad " pœnam: Iniquitas enim noſtra juſtitiam " DEI commendat. „ Poſtea afferunt etiam exemplum parvulorum: „ De parvulis vero " indubitanter tenenda eſt catholicæ regulæ " veritas; quia parvulus, qui baptizatur, gra- " tuita DEI bonitate ſalvatur; qui vero ſine " baptiſmate moritur, propter peccatum origi- " nale damnatur. „ Quo exemplo idem S. FULGENTIUS, qui hæc nomine patrum Africanorum ſcripſit, alibi etiam utitur, ac alii omnes, qui in hac materia ducem ſecuti ſunt S. AUGUSTINUM, ſtringunt.

n. 10.

De verit. prædeſt. & grat.

Singulare eſt exemplum ipſius CHRISTI, quod S. AUGUSTINUS frequenter adducit, valetque etiam contra Pelagianorum parentes Neſtorianos, THEODORUM MOPSUESTENUM imprimis, qui gratiæ, & prædeſtinationis gratuitæ hoc præclariſſimum argumentum evertere conatus eſt, qui CHRISTUM perfectionem dixit aſſecutum fuiſſe per progreſſum in virtute; S. AUGUSTINUS autem paſſim CHRISTUM præclariſſimum, illuſtriſſimumque proponit prædeſtinationis exemplum; „ Qui, „ inquit, „ ut " hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, " vel fidei præcedentibus meritis natura huma- " na, quæ in illo eſt, comparavit. Et illum " ergo, & nos prædeſtinavit, quia & in illo, " ut eſſet caput noſtrum, & in nobis, ut ejus " corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, " ſed opera ſua futura præſcivit. „ Ita concludit

De prædeſt. ſanct. c. 15.

dit hoc argumentum, librumque de dono perſeverantiæ.

§. LXVIII.

Prædeſtinatque ad gratiam, & gloriam.

Ad gratiam, & ad gloriam pertinet prædeſtinatio, ſeu *præparatio beneficiorum, quibus certiſſime liberantur quicunque liberantur.*

Spectatur hic tota œconomia ſalutis humanæ, ac veluti aurea catena beneficiorum ab æterno præparatorum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fierì imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus ex multis fratribus.* Rom. VIII. 28. In hoc argumento verſatur epiſtola ad Romanos, atque univerſim in novo teſtamento electio, ac prædeſtinatio complexum illum mediorum per evangelium hominibus oblatorum comprehendit, quos, miſericorditer ex maſſa damnationis ereptos, conſtituit *hæredes quidem DEI, cohæredes autem CHSISTI: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* 17. Id eſt: *Non qui filii carnis, hi filii DEI, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Rom. IX. 6. Loquitur hic de Iſraelitis ad fidem CHRISTI vocatis, & electis mera DEI gratia; quod idem de gentilibus dicit, & verſat tota fere illa epiſtola, DEI benignitatem commendans: *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam. Quos & vocavit nos, non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus.* 23. Epiſtolam vero ad Epheſios ſic orditur: *Benedictus DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſtì, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali*

in

in cœleſtibus in CHRISTO, *ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per* JESUM *Chriſtum in ipſum &c.* Et paulo poſt: *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in* CHRISTO, *quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo: in quo etiam, & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in* CHRISTO. Loquitur hic de ſingulari ad apoſtolatum vocatione, de qua CHRISTUS: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Apoſtolus autem monet TIMOTHEUM: *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabora evangelio ſecundum virtutem* DEI: *qui nos liberavit, & vocavit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto* JESU *ante tempora ſæcularia. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem ſalvatoris noſtri JESU Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per evangelium: in quo poſitus ſum ego prædicator, & apoſtolus, & magiſter gentium.* Eſt hoc, in quod PAULUM ordinavit DEUS: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, &*

Jo. XV. 16.

2. Tim. I. 8.

Act. IX. 15. 16.

regi-

regibus, & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Apoſtolus autem laudata in epiſtola: *Ob quam cauſam etiam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* 2. Tim. I. 12.

In actis ſic Judæos cum BARNABA alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum DEI: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentibus, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.* Act. XIII. 46. Iſ. 49. 6. Tunc pergit LUCAS: *Audientes autem gentes gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hinc apoſtolus: *DEO autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto JESU, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia CHRISTI bonus odor ſumus DEO in iis, qui ſalvi fiunt, & in iis, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* 2. Cor. II. 14. &c. Ita ergo alii relinquuntur, alii aſſumuntur, atque per parata ipſis ab æterno ſalutis media ad vitam æternam perducuntur, non ſuis, ſed CHRISTI meritis: *Omnia autem ex DEO, qui nos reconciliavit ſibi per CHRISTUM, & dedit nobis miniſterium reconciliationis: quoniam quidem DEUS erat mundum reconcilians ſibi non reputans eis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.* 2. Cor. V. 18. Non excluduntur opera noſtra, ſed ea ipſa gratiæ operatio, & auxilia ſunt, illis ſingulariter præparata, quos elegit in adoptionem filiorum

Jo. XIII. 17. rum DEI. *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Non de omnibus vobis dico. Ego ſcio quos elegerim.*

Ita antiqui omnes doctores de prædeſtinatione juxta ductum ſacræ ſcripturæ locuti ſunt toto complexu ſumta.

Verſatur in hoc argumento magna parte epiſtola S. CLEMENTIS prior ad Corinthios eodem fere modo, ac epiſtola S. PAU-
n. 32. LI ad Romanos gratuita electione ſtabilita junctis iis, quæ a nobis ſunt præſtanda per gratiam, ut participes fiamus donorum, promiſſionum. Juxta evangelium: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Hinc doctores catholici & gratiam DEI, & merita noſtra, quibus merces datur vita æterna, conjungunt; ſed non id excludunt, quod dona DEI ſint merita, atque merces etiam vitæ æternæ ceu præmium laborum noſtrorum. Imprimis S. AUGUSTINUS, doctor gratiæ, gratuitæ prædeſtinationis aſſertor maxi-
De grat. & lib. arb. n. 19. &c. mus, „ ſi vita bona noſtra „ inquit „ nihil „ aliud eſt, quam DEI gratia, ſine dubio „ vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, DEI „ gratia eſt: & ipſa etiam gratis datur, quia „ gratis data eſt illa, cui datur. Sed illa, „ cui datur, tantummodo gratia eſt, hæc „ autem, quæ illi datur, quoniam præmium
Vid. Petav. T. I. L. IX. c. 12. „ ejus eſt, gratia eſt pro gratia.„ Ita ille, ne homo in quoquam glorietur, quid ei præſtet divina miſericordia ſi ex maſſa damnationis ex multis eligat, ubique declarat, contra Pelagianorum perfidiam, qui deſtinationem humanæ voluntatis non prædeſtinationem gratiæ DEI ſtatuebant. „ Si attende-
L. I. c. 141. res „ JULIANUM alloquitur, „ non ex„ tolleres contra gratiam merita voluntatis:

„ ubi

ubi audis: *Non volentis, neque currentis,* " *ſed miſerentis eſt DEI.* Non ergo ideo mi- "
ſertus eſt DEUS, quia voluit, & cucur- "
rit JACOB; ſed ideo voluit, & cucurrit "
JACOB, quia miſertus eſt DEUS. Pa- "
ratur enim voluntas a Domino: & a Domi- "
mino greſſus hominis diriguntur, & viam "
ejus volet. „ Pariter contra ſemi-Pelagianos inſurgit, qui ſaltem initium bonæ voluntatis & fidei præire gratiam dicebant: unde juſtificatio noſtra orditur, & vel maxime gratiæ DEI debet deputari, non meritis noſtris: „ Quia „ inquit „ ipſa prima datur, ex qua " *De prædeſt. SS. c. 7. Part. II.*
impetrantur cætera, quæ proprie opera "
nuncupantur, in quibus juſte vivitur. „ Unde PROSPER in carmine contra ingratos ſemi-Pelagianorum hæreſin his duobus capitibus comprehenſam vult, quod gratiam omnibus indiſcriminatim offerri dicant, ab homine autem pendere velint, ut unus eam recipiat, alius rejiciat: unus perſeveret, alius non.

Non hoc conſilio tantum hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quaſi normam legis haberet
Gratia: ſed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex facto fingens virtute creandi.

§. LXIX.

Sola liberalitate, & miſericordia æterno prædeſtinationis decreto ſecundum beneplacitum ſuum præparavit DEUS per CHRISTUM beneficia, quibus liberantur, quicunque liberantur. Sola liberalitate, & miſericordia per CHRISTUM.

„ Laus

Ep. I. ad Corinth. n. 30.

„ Laus noſtra in DEO ſit, & non a nobis
" ipſis „ inquit S. CLEMENS „ odit enim
" DEUS eos, qui ſemetipſos prædicant. Te-
" ſtimonium boni operis noſtri ab aliis exhibea-
" tur, nobis, ſicut exhibitum eſt patribus no-
" ſtris, viris juſtis. Temeritas, & arrogan-
" tia, & audacia, maledictis a DEO; mode-
" ratio autem, & humilitas, & manſuetudo
" apud illos, qui a DEO benedicti ſunt. „
Hoc eſt humilitatis chriſtianæ fundamentum, DEUM auctorem omnis boni agnoſcere, & ab eo omnem gratiam, & benedictionem unice exſpectare. n. 31. „ Ejus igitur benedictioni, „ pergit S. Pontifex, „ firmiter adhæreamus,
" & videamus, quænam ſint benedictionis
" viæ. Animo repetamus, quæ ab initio fa-
" cta ſunt. Cujus gratia gratia pater noſter
" ABRAHAM benedictus eſt? Nonne quia
" juſtitiam, & veritatem per fidem operatus
" fuerat? ISAACUS cum confidentia, quod
" futurum erat, cognoſcens, libenter factus
" eſt ſacrificium. JACOBUS in humilita-
" te, dum fratrem fugit, ſeceſſit de terra ſua,
" & profectus eſt ad LABANEM, & ſer-
" vivit; & data ſunt ei duodecim ſce-
" ptra Iſraelis. „ Ordinem providentiæ, & gratiæ, œconomiam porro veteris, & novi teſtamenti conjungit, quo melius oſtendat DEUM omnium potentiſſimum, & benigniſſimum gubernatorem, auctoremque omnis boni, n. 32. hinc pergit: „ Si quis ſingillatim, &
" diſtincte conſideraverit, donorum, quæ per
" eum conceſſa ſunt, magnificentiam agno-
" ſcet. Ab illo enim orti ſunt omnes ſacer-
" dotes, ac levitæ, qui altari Domini mi-
" niſtrant: ab illo Dominus JESUS, ſecun-
" dum carnem: ab illo reges, & principes,

" &

& duces ptopter JUDAM: nec reliquæ ejus " tribus in parvo honore ſunt: utpote DEO " promittente: Erit ſemen tuum tanquam ſtel- " læ cœli. „ Verba hæc ſingulariter notanda ſunt, quibus oſtendit, quomodo omnia in veteri teſtamento ad CHRISTUM ordinata ſint, quemadmodum in novo per CHRISTUM omnia ſunt donata: hoc in ſequentibus jam amplius declarat: „ Ii ergo omnes gloriam, " & amplitudinem conſecuti ſunt non per ſe " ipſos, aut opera ſua, aut juſtas actiones, quas " fecerunt; ſed per voluntatem ejus. Et nos " igitur ex voluntate illius in CHRISTO JE- " SU vocati, non per nos ipſos juſti efficimur, " neque per ſapientiam noſtram, aut intelligen- " tiam, aut pietatem, aut opera, quæ in cor- " dis ſanctitate operati ſumus: ſed per fidem, " per quam cunctos, qui unquam juſti fuerunt, " juſtificavit DEUS omnipotens, cui ſit gloria " in ſæcula ſæculorum, amen. „ *Vid. ſimilis Orig. locus Tr. 33. in Matt.*

Ita, qui gloriatur, in Domino glorietur, atque ſpem collocet unice in gratia CHRISTI, ſeu præparatis nobis in eo beneficiis æterno prædeſtinationis decreto. Non ut, quod volunt Lutherani, ipſa hæc fides habeatur conditio, vel cauſa motiva, vel impulſiva prædeſtinationis; ſed nec etiam, ac multo minus, quod Calviniſtæ volunt tam Supra-lapſarii, homines quosdam electos & alios reprobatos ſtatuentes, ante lapſum præviſum; quam Infralapſarii, qui quidem poſt lapſum præviſum, ſed ante decretum de redemtore, aliaque gratiæ media, prædeſtinationem ſtatuunt.

Cui nos nihil aliud, quam redemtionis, atque inde in genus humanum provenientia ſalutis media præmittimus, gratuitam omnino ſtatuentes eorum præparationem, ac prædeſti-

nationem intuitu meritorum CHRISTI, ac gratiæ ejus, qua efficaciter in nobis operatur DEUS, qui, quos ex maſſa damnationis, qua omnes ſua culpa detinentur, miſericorditer vult eripere, erigit, & ad finem felicitatis æternæ perducit; dum contra, qui ejus aſpirationi reſiſtunt, juſto relinquuntur judicio, ipſi damnationis ſuæ unica cauſa, qui tantam neglexerunt ſalutem.

Corruunt ita uno ictu, quæ PROSPERUM anxium habuerunt, unde inter alia conſulendum duxit S. AUGUSTINUM: „ Quem-
Epiſt. CCXXV. n. 8. „ admodum per hanc prædicationem propoſiti „ DEI, quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt „ ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi ſunt, impediatur, nec occaſionem negligentiæ habeant, ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo „ demonſtres, quod retractatis priorum de hac „ re opinionibus, pene omnium par invenitur, „ & una ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem DEI ſecundum præſcientiam „ receperunt; ut ab hoc DEUS alios vaſa „ honoris, alios contumeliæ, quia finem uniuscujusque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet, voluntate, & „ actione præſciverit. „ Inter hos detrectatores fuit etiam ARNOBIUS Junior, qui in illud pſalmi: „ *Noluit benedictionem, &*
In Pſ. 108. „ *elongabitur ab eo* „ ita ſcribit: „ Nota ex „ arbitrio eveniſſe, ut nollet, propter hæreſim, quæ dicit, DEUM alios prædeſtinaſſe „ ad benedictionem, alios ad maledictonem. „ Ubi aberrat, ſi S. AUGUSTINUM, & ejus diſcipulos ferit, qui ex arbitrio evenire non negant, ut nolint benedictionem perverſi homi-

homines, quæ per CHRISTUM affertur: unde potius adverſarios ferit, quod ſequitur, „ & elongabitur ab eo; „ nimirum qui rejectione gratiæ ſe ea indignum reddit: aut alias humana culpa accidit, quo minus gratia multos infantes, & adultos contingat, non defectu prædeſtinationis, ſeu præparationis auxiliorum, ac mediorum, ad ſalutem, quæ humano generi per CHRISTI, non noſtra merita, eſt facta. Jam ex S. AUGUSTINO locum attulimus, ubi duplicem diſtinguit vocationem, prædeſtinatorum unam, alteram eam, qua vocati ſunt, & qui noluerunt venire ad nuptias.

De vocatione generatim egerunt antiqui, hinc dignos ſe præbere dixerunt homines, aut indignos: hoc ſua culpa, illud gratiæ adjutorio ad gratiæ augmentum, & præmium vitæ æternæ; S. AUGUSTINUS autem contra gratiæ hoſtes agit de vocatione efficaci electorum. „ Intelligamus ergo „ ait „ vocationem, qua fiunt electi; non qui eliguntur, quia crediderunt, ſed qui eliguntur, ut credant. Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aſſerit, ubi dicit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Nam ſi propterea electi erant, quia crediderant, ipſi eum prius utique elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Et ipſi procul dubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Unde non ob aliud dicit, non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi; niſi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, ſed, ut eligerent eum, elegit eos: quia miſericordia ejus prævenit eos, ſecundum gratiam, non ſecundum debitum. Elegit ergo „ *De præd. SS. c. 17.*

» eos de mundo, cum hic ageret carnem, ſed » jam electos in ſe ipſo ante mundi conſtitutio- » nem. Hæc eſt immobilis veritas prædeſti- » nationis, & gratiæ. »

Subtiliter antiqui non ſemper diſtinxerunt, quam DEUS miſericordiam ab æterno electis ſuis deſtinavit impertiri, quamque in tempore præſtat electionem, ac retributionem, niſi excidant vocatione. *Multi enim*, inquit unus ex illis, *ſecundum evangelium vocati ſunt, ſed pauci electi. Electi autem ſunt nuptiali veſte conſpicui, puro, atque integro novæ nativitatis corpore ſplendidi. Itaque non res indiſcreti judicii electio eſt; ſed ex meriti delectu facta diſcretio eſt.* Quod non de prædeſtinatione æterna, ſed retributione præmii gloriæ æternæ recte intelligitur. » Electi ſunt itaque » ait citato in loco S. AUGUSTINUS, » ante mundi conſtitutio- » nem ea prædeſtinatione, in qua DEUS ſua » futura facta præſcivit: electi ſunt autem de » mundo ea vocatione, qua DEUS id, quod » prædeſtinavit, implevit. Quos enim præ- » deſtinavit &c. Elegit ergo DEUS fideles, » ſed ut ſint, non quia jam erant. Apoſto- » lus JACOBUS dicit: *Nonne DEUS ele- » git pauperes in hoc mundo, divites in fide, » & hæredes regni, quod promiſit DEUS » diligentibus ſe?* Eligendo ergo facit divites » in fide, ſicut hæredes regni. »

S. Hilar. in Pſ. 64. n. 5.

§. LXX.

Dum ex una maſſa damnationis alii aſſumuntur,

Ex una ergo, eademque damnationis maſſa, qua omnes conſtringuntur, alii miſericorditer liberantur,

tur, alii juſto, licet non ſemper aperto, judicio ſine acceptione perſonarum relinquuntur.

ſumuntur, alii relinquuntur.

Ergo, cujus vult, miſeretur, &, quem vult, indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit? O homo, tu quis es, qui reſpondeas DEO? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? „Cum in utroque„ ſcribunt patres Africani ad JOANNEM, & VENERIUM, „vaſe faciendo figuli cognoverit" poteſtatem, in vaſe honoris indebitam gratiam DEI miſerentis intelligat, & in vaſe contumeliæ debitum judicium DEI obdurantis, id eſt, deſerentis agnoſcat. DEUS autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, ſed cum ab iniquitate non eripit, quod, quia juſtus eſt, juſte facit. DEO ergo miſerante ſine ſuis meritis homo ſalvatur, obdurante autem DEO juſte recipit, quod meretur. DEUS quippe dono bonitatis ſalvat, & judicio ſeveritatis obdurat. „Hæc maſſa„ inquit S. AUGUSTINUS in hæc apoſtoli verba, „ſi ita" eſſet media, ut quemadmodum nihil boni ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univerſam defluxerit, procul dubio, quod ex ea fiunt vaſa in honorem, non ipſius juſtitiæ, quæ gratiam nulla præceſſit, ſed

Rom. IX. 18.

Int. Fulgent. op. ep. 15.

Ep. 186. *ad Paulin.*

" DEI miſericordiæ, quod vero in contume-
" liam, non iniquitati DEI, quæ, abſit, ut
" ſit apud DEUM, ſed judicio deputandum
" eſt. Hoc quisquis cum eccleſia catholica
" ſapit, non contra gratiam pro meritis di-
" ſputat, ſed miſericordiam, & judicium Do-
" mino cantat, ut nec miſericordiam recuſet
" ingratus, nec judicium accuſet injuſtus. "

Infantium potiſſimum hic accommodum erat exemplum: " *Ex ore quippe infantium* " *& lactentium ſuam perficit laudem*, " inquit S. AUGUSTINUS, " ut, quod in " his videmus, quorum liberationem bona eo- " rum merita nulla præcedunt, & in his, " quorum damnationem utrisque communia " originalia ſola præcedunt, hoc & in majo- " ribus fieri nequaquam omnino cunctemur, " id eſt, non putantes vel ſecundum ſua me- " rita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis me- " ritis quemquam puniri, ſive pares qui li- " berantur, atque puniuntur, habeant cauſas " malas; ut, qui videtur ſtare, videat ne " cadat, & qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed " in Domino glorietur. " Diſcimus ex epiſtola HILARII ad S. AUGUSTINUM, ægre quosdam tuliſſe hanc parvulorum cauſam ad exemplum majorum afferri. Nec hodieque apud omnes de eorum infantum ſorte, qui ſine baptiſmo moriuntur, eadem mens eſt; ſed apud S. AUGUSTINUM conclamatum eſt, atque epiſcopi Africani epiſtola ad JOANNEM, & VENERIUM indubitanter tenendam volunt hanc catholicæ regulam veritatis: *Quia parvulus, qui baptizatur, gratuita DEI bonitate ſalvatur; qui vero ſine baptiſmate moritur, propter originale peccatum damnatur.* S. AUGUSTINO autem exem-

De don. perſev. c. 11.

n. 8.

Apud Fulgent. ep. 15.

exemplum hoc, ac doctrina ad gratuitæ gratiæ, & prædeſtinationis aſſertionem contra Pelagianos plurimum facere eſt viſum: „ Conficitur itaque gratiam DEI non ſecundum „ merita accipientium dari, ſed ſecundum „ placitum voluntatis ejus in laudem, & glo- „ riam ipſius gratiæ ejus, ut qui gloriatur, „ nullo modo in ſeipſo, ſed in Domino glo- „ rietur: qui hominibus dat, quibus vult, „ quoniam miſericors eſt; quod etſi non det, „ juſtus eſt: & non dat quibus non vult, ut „ notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa mi- „ ſericordiæ. „

Contendebant Pelagiani, electionem fieri ſecundum merita voluntatum. Sed hic penitus coarctabantur de infantibus. „ Nam & ſi „ ſunt verba S. AUGUSTINI, „ conabun- „ *Ep.* 194. tur majoris ætatis aliqua merita ſuſpicari „ *ad Sixt.* ſeu bona, ſeu mala, quid de iſtis infanti- „ *n.* 33. bus dicent, quorum nec iſte ſibi ullis pro- „ priis meritis malis potuit adquirere violen- „ tiam ſuffocantis, nec bonis ille diligentiam „ baptizantis? Nimiæ vanitatis, & cæcitatis „ ſunt, ſi etiam his conſideratis nondum di- „ gnantur exclamare nobiſcum: *O altitudo* „ *divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ DEI!* „ *Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, &* „ *inveſtigabiles viæ ejus!* Non itaque miſe- „ ricordiæ gratuitæ DEI pertinaciſſima ad- „ verſentur inſania. Sinant Filium hominis „ in qualibet ætate quærere, & ſalvum facere „ quod perierat. Nec de inſcrutabilibus ju- „ diciis ejus audeant judicare, cur in una, „ eademque cauſa ſuper alium veniat miſeri- „ cordia ejus, ſuper alium maneat ira ejus. „ Tunc allato exemplo duorum geminorum JACOB, & ESAU ex apoſtolo, qui hunc lo-

cum MALACHIÆ attulerat: „ *JACOB*
Malach. I. 2. 3. „ *dilexi*, *ESAU autem odio habui*, ut in-
„ telligeretur „ inquit, „ hoc apertum poſtea
n. 34. „ per prophetam, quod antequam illi naſce-
„ rentur, erat in prædeſtinatione per gra-
„ tiam. Quid enim diligebat in JACOB,
„ antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi
„ gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? „ Et quid oderat in ESAU, antequam natus „ feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum.

Exemplum hoc eorum etiam tergiverſationi occurrebat, qui hic forte ad merita parentum recurrebant. Sic S. AUGUSTINUS
L. II. cont. epiſt. Pelag. c. 6. idem exemplum aptat: „ Nonnunquam enim „ de religioſis orta proles in tenera ætate, „ atque ab utero recentiſſima prævenitur morte, antequam lavacro regenerationis abluatur; & infans natus ex inimicis CHRISTI „ miſericordia chriſtianorum baptizatur in „ CHRISTO: plangit baptizata mater non „ baptizatum proprium; & ab impudica expoſitum, baptizandum caſta fetum colligit alienum. „ Aliud exemplum, etiam S. AUGUSTINO in hac materia familiare, modo occurrit ex S. ANSELMO, filii ex fidelibus parentibus illis dolentibus, ſine baptiſmo mortui, ex infidelibus autem, illis reluctantibus baptizati.
S. Anſ. de ver. prædeſt. & grat. L. I. c. 12. &c. „ Quid „ inquit, „ in his prævidit DEUS „ futurum, ut uni nihil conferre poſſet charitas parentalis, & alteri multum crudelitas „ prodeſſet hoſtilis? Quis iſtam profunditatem „ judiciorum DEI penetrare valeat? Quis „ non tamen hic, & miſericordiam gratuitam „ bonitatis, & juſtitiam divinæ ſeveritatis agnoſcat? Ubi enim duorum parvulorum, nec in „ actibus aliqua ſunt merita, nec in origine „ diſſimilis cauſa, manifeſtum quidem nobis „ eſt, quod ambo fuerint originalis peccati

„ vin-

vinculis obligati, occultum vero, cur non „ ambo fuerint abſoluti. „ Sciamus igitur inſcrutabile nobis eſſe, cur uno derelicto, alterum DEUS ab illa perditionis maſſa gratis eripiat. Certiſſime tamen ſcire debemus, quia miſerator, & miſericors Dominus patiens, & multum miſericors, & verax, ſic ei, quem liberat, miſericordiam donat, ut apud eum, quem damnat, juſtitiam, & veritatem nulla ratione prætereat.

S. AUGUSTINUS adultorum etiam ſimile exemplum, variamque ſortem complexus, „ex duobus „ inquit, „ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, „ aut non ita vocetur; inſcrutabilia ſunt judicia ejus. Ex duobus autem piis, cur huic „ donetur perſeverantia uſque in finem, illi „ non donetur, inſcrutabiliora ſunt judicia „ DEI. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. *Nam ſi fuiſſent ex nobis*, „ ait unus prædeſtinatorum, qui de pectore „ Domini ſuxerat hoc ſecretum, *manſiſſent* „ *utique nobiſcum.* „ *De don. perſev. c. 9.*

§. LXXI.

Non ſicut ſine ullis meritis elegit DEUS, quos voluit, ad ſalutem, ita etiam ad damnationem ſine demeritis eſt prædeſtinatio; æternisque addicitur pœnis, ac reprobatur, qui aditum ſibi ad ſalutem intercludit. Ac juſte ob demerita damnantur.

Revelatur enim ira DEI de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, Rom. I. 18.

rum, qui veritatem DEI in injuſtitia detinent. Id agit apoſtolus ea epiſtola, ut oſtendat, DEUM, dum gratuita miſericordia ex hominibus alios elegit, alios juſte reliquiſſe in maſſa damnationis, peccato obſtrictos, ac
Rom. II. 6. vaſa iræ in interitum: *Qui reddet unicuique ſecundum opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitæ æterna: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.* Primum quidem agit de iis, qui ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii
Rom. V. DEI. Deinde communem reatum, quo peccato originali omnes detinentur, commemorat, ut in omnibus, qui ſalute excidunt, juſtitiam DEI commendet. „ Merito „ inquit
Ep. 190. ad Optatum. S. AUGUSTINUS, „videretur injuſtum, „ quod fiant vaſa iræ ad perditionem, ſi non „ eſſet ipſa univerſa ex ADAM maſſa damnata. Quod ergo fiant inde naſcendo vaſa iræ, „ pertinet ad debitam pœnam: quod autem „ fiant renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet „ ad indebitam gratiam. „ De adultis ita ad
Cont. II. ep. Pelag. L. II. c. 7. BONIFACIUM papam ſcribit: „ Ubi autem dicitur: Ergo, cui vult, miſeretur: &, „ quem vult, indurat, qui facit aliud vas in „ honorem, aliud in contumeliam: bonum „ quidem immerito, & gratis datur: quia ex „ eadem maſſa eſt, cui datur: malum vero „ merito, & debitum redditur, quia in maſſa „ damnationis malum malo non male redditur; & ei, cui redditur, malum eſt, quia „ ſupplicium eſt, ei vero, a quo redditur, „ bonum eſt, quia recte factum ejus eſt. „

Alibi

Alibi oſtendit, quomodo DEUS his etiam utatur, ne videantur voluntati, ac finibus a ſe intentis obſiſtere. „ Cæteri autem „ inquit, „ mortales, qui ex iſto numero non „ ſunt, & ex eadem quidem maſſa, ex qua & „ iſti (*prædeſtinati*) ſed vaſa iræ facti ſunt, „ ad utilitatem naſcuntur iſtorum. Non enim „ quemquam eorum DEUS timore, ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur ignorat, cum & hoc ipſo bonum operetur, quod „ in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem ſæculi præſentis exornat. Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem, & „ ſpiritalem, qua homo in CHRISTO reconciliatur DEO, ſive illis ampliorem patientiam, ſive non imparem præbeat. „ Ubi alludit ad illud PAULI, quo oſtendit, non DEO ſed homini imputandum interitum, qui divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnit. *Ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii DEI.* *Cont. Jul. L. V. n. 14.* *Rom. II. 4.*

Aliud ſemi-Pelagiani ex doctrina S. AUGUSTINI colligebant, unde hæc eorum objectio apud PROSPERUM: „ Quod „ non prædeſtinati ad vitam, etiamſi fuerint „ in CHRISTO per baptiſmum regenerati, & pie, juſteque vixerint, nihil eis proſit; ſed tamdiu reſerventur, donec ruant, „ & pereant; nec ante eos ex hac vita, quam „ hoc eis contingat, auferri. „ Ad quod ſic ille reſpondet: „ A ſanctitate ad immunditiam, a juſtitia ad iniquitatem, a fide ad „ impietatem plerosque tranſire non dubium „ eſt: & tales ad prædeſtinationem filiorum „ DEI,

„ DEI, cohæredum CHRISTI non per-
„ tinere certiſſimum eſt. Quod ergo hujus-
„ modi in hæc prolapſi mala, ſine correctio-
„ ne pœnitentiæ defecerunt, non ex eo ne-
„ ceſſitatem pereundi habuerunt, quia præ-
„ deſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati
„ non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria
„ prævaricatione præſciti ſunt. Quod autem
„ illos non eo tempore, quo in fide recta,
„ & bonis moribus erant, ab hac vita DEUS
„ abſtulit, ad occulta ejus judicia, quæ ta-
„ men nunquam ſunt injuſta, referendum eſt. „

Haud abſimilis difficultas movetur de Tyriis, & Sidoniis; „ Qui „ ſunt verba S. AUGUSTINI, „etiam credere potuerunt, ſi
„ mira illa CHRISTI ſigna vidiſſent, ſed
„ quoniam, ut crederent, non erat eis da-
„ tum, etiam, unde crederent, eſt negatum.
„ Ex quo apparet, habere quosdam in ipſo
„ ingenio divinum naturaliter munus intelli-
„ gentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi con-
„ grua ſuis mentibus vel audiant verba, vel
„ ſigna conſpiciant, & tamen ſi DEI altiore
„ judicio a perditionis maſſa non ſunt gratiæ
„ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhi-
„ bentur vel dicta divina, vel facta, per quæ
„ poſſent credere, ſi audirent utique talia,
„ vel viderent. „ At hinc concludi non debet, ſufficientia illis non adfuiſſe gratiæ auxilia; ſed iis, quibus deſtituti ſunt, judicio juſto eſſe privatos. Quod oſtendit exemplum Judæorum loco citato, a S. AUGUSTINO conſequenter poſitum. Quouſque autem, & qua menſura DEUS aſpiret, occulta, ſed juſta ejus ſunt judicia; hominum autem damnanda mentis pervicacia ad divinam vocationem mentes obdurantium, & ſponte ſua in damnationem ruentium.

De don. perſev. c. 14.

LXXII.

§. LXXII.

DEUS odit, non prædeſtinavit peccatum, cujus cauſa damnantur homines, atque ad æternum ſupplicium prædeſtinantur flagitante ita juſtitia.

Non ad peccatum, ſed ſupplicium prædeſtinati.

Quam oderit DEUS peccatum, quam illius reatum ab hominibus ſublatum vellet, nullo magis argumento oſtendere potuit, quam dum pro illius expiatione proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. „Perituri erant„ inquit S. CHRYSOSTOMUS, „ſed pro illis Filium ſuum dedit, & prædicatores nos miſit, ut crucem prædicaremus. Satis hæc erant, ut omnes attraherent, & dilectionem CHRISTI oſtenderent. Vere namque magna, & inenarrabilia ſunt, quæ a DEO pro nobis facta ſunt. Seipſum immolavit pro inimicis, qui ſe oderant, & averſabantur, quod nec pro amicis, pro filiis, pro fratribus quisquam faceret, hoc Dominus pro ſervis fecit; Dominus non talis, quales ſervi; ſed DEUS pro hominibus, & hominibus non conſpicuis (ἐυδοκιμούντων) Nam ſi conſpicui, ſi accepti, & grati fuiſſent, non tam mirabile eſſet. Nunc vero, quod omnem percellat mentem, pro talibus, ingratis, improbis moritur.„

Hom. VII. in ep. ad Tim. n. 2.

Quei igitur fieri potuiſſet, ut DEUS abſoluto decreto damnationem reproborum ab æterno prædeſtinaſſet, non intuitu peccati? imo ut homines ſibi relicti peccarent, quo eſſet ſubjectum miſerum damnationi aptum, quæ eſt

CAL-

CALVINI opinio DEO ſumme injuria. Talem conſequentiam, fuiſſe olim, qui ex doctrina S. AUGUSTINI trahere contendebant, diſcimus ex S. FULGENTIO. Cui hæc inter alias quæſtio propoſita eſt a MONIMO, atque difficultas mota ob verba S. AUGUSTINI, *quæ in libro de perfectione juſtitiæ hominis, de his, qui ad interitum prædeſtinati ſunt, inter alia poſuiſſe cognoſcitur*, ut ſtatum quæſtionis ponit S. FULGENTIUS: poſtea autem mentem ſui magiſtri explicans. „ Nihil aliud„ inquit, „ accipiendum exiſtimo in illo S. AUGUSTINI ſermone, „ quo ad interitum quosdam prædeſtinatos affirmat, niſi ad interitum ſupplicii, non delicti; neque ad malum, quod injuſte admittunt, ſed ad cruciatum, quem juſtiſſime patientur: nec ad peccatum, quo primæ reſurrectionis beneficium aut non accipiunt, „ aut amittunt, ſed ad tormentum: quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas „ divina bene tribuit: nec ad mortem animæ primam, in qua naſcuntur parvuli, vel „ in quam (ſicut beatus JACOB dicit) *concupiſcentia ſua abſtracti, & illecti* recidunt „ criminoſi; ſed ad mortem ſecundam, quam „ neceſſe eſt patiantur, retribuente juſtiſſimo „ judice, ſeu qui ante perceptam gratiam baptiſmi diſcedunt de ſæculo, ſive qui in vacuum gratiam DEI recipientes poſt acceptum baptiſmum, uſque in finem præſentis vitæ malunt ſervi eſſe peccati, nec volunt, dum tempus eſt acceptabile, & dies „ ſalutis converti a via ſua mala, ut vivant. „ Hoc toto illo opere de perfectione juſtitiæ copioſe agit S. AUGUSTINUS, ac divinam juſtitiam vindicans contra peccatores culpam ſuam

L. I. ad Monim. c. 2.

Ib. c. 5.

Jac. I. 14.

ſuam in DEUM projicientes, quos prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam, ex ſancti doctoris mente. „ Poſſet enim „ inter alia ſcribit, „ peccatum aliquod ex prædeſtinatione DEI eſſe, ſi poſſet aliquis hominum juſte peccare. Nullus autem hominum juſte peccat, quamvis eum juſte DEUS peccare permittat; juſte enim deſeritur a DEO, qui deſerit DEUM. Et quia homo deſerens DEUM peccat, deſerens peccatorem DEUS juſtitiam ſervat. Quid autem magis juſtum, quam ut ille, qui deſiderio peccandi jam peccat, pro eo quod deſiderans peccare, ipſe ſibi noxius efficitur, ſemetipſum peccato ſuo lædere permittat. „ *S. Fulg. L. c. c. 13 c. 17.* Poſtea inſtituit quæſtionem, utrum malos DEUS juſtus ad hoc prædeſtinaverit faciendum, quod in eis puniturus eſt factum? An idcirco iniquos ad ſupplicium juſte prædeſtinaverit, quia eorum mala opera, licet futura præſciret, non tamen ipſe prædeſtinavit, ut futura eſſent, quia non ipſe fecit, ut fierent. Prius CALVINUS nunc docuit, rejicit autem ſanctus doctor, alterum ſtatuens ex S. AUGUSTINI etiam mente. *c. 27.* „ Peccata itaque „ inquit, „ hominum cuncta quidem DEUS in peccatoribus præſcivit futura: & quia ipſe non ea prædeſtinavit facienda, juſte prædeſtinavit judicio punienda. Quod etiam in ipſis dictis S. AUGUSTINI, quæ tuæ inſeruiſti epiſtolæ „ alloquitur MONIMUM, „ ſi conſideres profecto cognoſces, qui poſtquam dixit: Hoc ergo bonum, quod eſt requirere DEUM, non erat qui faceret, non erat uſque ad unum: Sed in eo genere, quod prædeſtinatum eſt ad interitum, ſtatim ſecutus adjunxit, dicens: Super hoc enim reſpexit DEI præſcientia, protulitque

„ ſen-

„ ſententiam. Nempe ſatis, atque evidenter „ his dictis oſtendit, quia DEUS peccata ho„ minum præſcientia vidit, quibus ſententiam „ prædeſtinatione dictavit. „

Hanc ex mente S. AUGUSTINI diſtinctionem præſcientiam inter, & prædeſtinationem initio ſtatim hujus tractationis explicavimus, ita ut prædeſtinatio non ſit ad malum, ſeu peccatum, niſi quatenus a DEO juſto ordinatur: *Cum*, inquit, *eo loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur.* Inter objectiones PROSPERO propoſitas a variis circa doctrinam S. AUGUSTINI diverſæ huc pertinent, inter alias autem maxime horrenda, & blaſphema illa inter Vincentianas decima: „ Quia „ adulteria, & corruptelæ virginum ſacra„ rum ideo contingant, quia illas DEUS ad „ hoc prædeſtinavit, ut caderent. „ Hic indignabundus reſpondet: „ Deteſtanda, & ab„ ominanda opinio, quæ DEUM cujusquam „ malæ voluntatis, aut malæ actionis credit „ auctorem: cujus prædeſtinatio nunquam ex„ tra bonitatem, nunquam extra juſtitiam eſt. „ Genuenſes etiam offendit, quod S. AUGUSTINUS dicit in libro de dono perſeverantiæ: „ Eſt ergo in malorum poteſtate pec„ care: ut autem peccando hoc vel hoc illa „ malitia faciant, non eſt in eorum poteſta„ te, ſed DEI dividentis tenebras, & ordi„ nantis eas; ut hinc etiam, quod faciunt „ contra voluntatem DEI, non impleatur niſi „ voluntas DEI. „ Quod merito vindicat PROSPER ceu dictum apertiſſimæ veritatis juxta æternum ſapientiſſimi Numinis conſilium, & decretum prædeſtinationis, quo mala bene ordinat, iisque bene utitur, ſecun-

De Gen. ad litt. c. 5.

c. 18.

Reſp. ad excerptum. VII.

dum

dum æternam præſcientiam ſuam. Hanc Jo. SCOTUS negavit tam quoad pœnam, quam peccatum in tractatu de prædeſtinatione contra GOTTESCALCUM, qui hic in contrario errore viſus eſt hærere. Sed ejus confeſſio de hac re catholica eſt, quæ ſic habet: „ Quia quos præſciſti per ipſorum propriam miſeriam in damnabilibus perſeveraturos eſſe peccatis, illos profecto tanquam juſtiſſimus judex prædeſtinaſti ad interitum, juſte, & merito ſatis. „ *Apud Mauguin. T. I. p. 13.*

§. LXXIII.

Permittit tamen DEUS peccatum, ac derelinquit peccatorem in pœnam peccati, ut ſubinde in graviora prolabatur, quibus æternam incurrit juſtam utique damnationem, quæ unico, & quidem originali peccato tot infantibus obtingit. Permittendo peccata in juſtam pœnam peccati.

Sicuti univerſim hominem relinquere ſuo arbitrio bonum, & juſtum eſt DEO; ita ob abuſum libertatis permittere hominem, ut ſua pravitate in malum ruat, eo minus divinæ derogat juſtitiæ; imo hoc leges ejus requirunt in juſtam vindictam permittere peccatum ob præcedentia peccata, non ob propoſitum DEI, aut prædeſtinationem ſive ad ſupplicium, ſive ad peccatum, ad quod DEUS nullo modo prædeſtinat, nec ipſa deſertio hunc habet finem; ſed ut puniatur peccatum. „ Igitur „ ait PROSPER, „ ſicut bona opera ad inſpiratorem eorum DEUM, ita mala ad eos ſunt referenda, qui peccant. „ *Reſp. ad capit. III. Gall.*

" Non enim relicti ſunt a DEO, ut relin-
" querent DEUM: ſed reliquerunt, & re-
" licti ſunt, & ex bono in malum propria vo-
" luntate mutati ſunt: atque ob hoc, licet fue-
" rint renati, fuerint juſtificati, ab eo tamen,
" qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſti-
" nati. „ „Atque hoc dicit etiam de illis, qui juſtificati diu vitam protraxerunt, ac demum lapſi perierunt. Poſtea vero de peccatoribus:

Ad capit. XI.

" Cum vero aliquos a DEO aut traditos de-
" ſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut
" relictos, magnis peccatis ſuis hoc ipſos me-
" ruiſſe profitemur: quia talia eorum crimi-
" na præceſſerunt, ut ipſi ſibi pœnas debue-
" rint, quæ eis etiam ſupplicium verterent
" in reatum. Atque ita nec de judicio DEI
" querimur, quo deſerit meritos deſeri; &
" miſericordiæ ejus gratias agimus, qua libe-
" rat non meritos liberari. „ S. AUGUSTINUS paſſim loquitur de hoc genere peccatorum, ubi ſunt ſimul pœnæ peccati: quorſum ipſum trahit originale peccatum.

Oper. im. perf. L. I. c. 47.

" Pertinet „ inquit „ originale peccatum ad
" hoc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt,
" ut ipſum ſit & pœna peccati, quod ineſt
" quidem naſcentibus, ſed in eis creſcenti-
" bus incipit apparere, quando eſt inſipien-
" tibus neceſſaria ſapientia, & mala concu-
" piſcentibus continentia; origo tamen etiam
" hujus peccati deſcendit a voluntate pec-
" cantis; fuit enim ADAM, & in illo fui-
" mus omnes, periit ADAM, & in illo
" omnes perierunt. „

Omnis ergo cauſa, & culpa peccati eſt ex peccato vel originali, vel actualibus, tam in infantibus, quam in adultis, unde juſta cauſa damnationis oritur, ſed longe diſpar dam-

damnatorum ſors eorum, qui alieno ſolum peccato præoccupati ex hac vita rapiuntur; & eorum, qui peccata peccatis accumulantes non ceſſant, donec eos mors in tam miſero ſtatu detentos ad ſupplicium rapit. Et ſi illis non parcit divina vindex juſtitia, quos tot non ſolum innumeros inter infideles, ſed etiam non paucos ex chriſtianis procreatos mors ſuffocat, antequam ad ſpiritualis vitæ regenerationem pertingant; quid nos de divina juſtitia queramur, quos tamdiu perverſa voluntate in peccata proruentes, patienter ſuſtinet? *Scimus autem, quoniam judicium DEI eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium DEI? An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* Rom. II. 2.

SECTIO II.

DE PROFECTU THEOLOGIÆ MYSTICÆ FIDE ET OPERIBUS, SPE, ET CHARITATE.

CAPUT I.

De fide & operibus.

§. LXXIV.

Virtutes theologicæ.

FIdes, ſpes, & charitas virtutes theologicæ dicuntur, quia DEUM primario pro objecto habent, & a DEO immediate interius infunduntur, in negotio ſalutis, juſtificationis, ac ſanctificationis noſtræ cauſa.

1. *Cor.* XIII. 13. *Nunc autem manent*, inquit apoſtolus: *Fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.* At hodie novatores non ſolum primas partes, verum etiam vix non ſolas fidei tribuunt: quorum errores concilium Tridentinum in ſeſſione de juſtificatione damnavit, atque ordinem, neceſſitatemque, ac nexum mutuum virtutum theologicarum oſtendit: *Dum*, verba recito concilii, *ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffun-*

Seſſ. VI. c. 7.

diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret, unde in ipſa juſtificatione, cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem; nam fides, niſi ad eam accedat & charitas, neque unit perfecte cum CHRISTO, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Refert quidem DU-PINIUS in concilio Tridentino epiſcopum de Cava pertinaciter contendiſſe, ſpem, & charitatem non pro cauſis juſtificationis, ſed ſaltem pro individuis comitibus habendas duxiſſe; ſed repreſſus præſertim a DIONYSIO ZANNETINO, cui cum in barbam involaſſet, primum in carcerem conjectus, deinde domum miſſus concilio exeſſe juſſus eſt. *Bibl. nova T. XV. c. 3.*

Haud incongrue dici poteſt, idem fere hic accidiſſe, ac de numero ſeptenario ſacramentorum, quem dum antiqui non ita exerte deſignarent, aut de illis omnibus ſimul ac ſemel agerent, ad eum numerum negandum, atque ad pauca ſacramenta ſtatuenda hæretici ſunt adducti. Ita ſancti patres de virtutibus theologicis pro data occaſione ſingillatim agebant; atque etiam ſcripturæ ſacræ nunc hanc, nunc illam commendant, vimque ſalutarem ad ſalutem noſtram exponunt, præſertim autem fidei, exterius quidem hauſtam, & denunciatam, interius autem operante Spiritu S. fructificantem in ſpem vitæ æternæ; ſed non ſine charitate, in qua univerſa lex pendet, & prophetæ. Sic ergo de virtutibus theologicis hic agitur, quatenus a DEO infunduntur, non fides ſolum, ſed etiam ſpes, & charitas, dicente apoſtolo: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed, qui incrementum dat, DEUS.*

Eſt hæc theologiæ myſticæ tota cultura in interiore renovatione, ac ſanctificatione noſtra. Quam ob rem CHRISTUS ſe vitem, patrem autem ſuum agricolam vocat. Pulchre autem id S. LEO exponit in penultima homilia de jejunio Decimi menſis: *Quod*, inquit, *hiemalis eſt temporis, ad agriculturam nos myſticam vocat, qua ſegetum, & palmitum, atque arborum vires, quibus humana ſuſtentatur infirmitas, ſpiritalibus ſtudiis excolantur: ut dominicus ager ſuis ditetur impendiis, &, quem nunquam expedit eſſe ſine fructu, de propria fiat ubertate fœcundior. Quod utique intelligit ſanctitas veſtra ad totius eccleſiæ profectum eſſe referendum: quorum in fide germen eſt, in ſpe incrementum, in charitate maturitas.* Agit illic de præſidiis militiæ chriſtianæ, atque de fructibus pietatis: quæ, ut vera ſit, animari his virtutibus theologicis debet divinitus infuſis. Unde etiam a S. Jo. CLIMACO fundamentum hæ tres ponuntur omnium virtutum chriſtianarum, in trigeſimo ſeu ſummo gradu ſuæ ſcalæ collocatæ. A S. AUGUSTINO eo loco habitæ ſunt, ut ſine ſcripturis fidelis aliquis eſſe queat, inſtructus fide, ſpe, & charitate. Primus is ſingulari libro conjunctim de tribus his virtutibus tractat. Quem deinceps doctores ſunt ſecuti, etiam antequam theologia ſyſtematice a ſcholaſticis tractari cœpit. Quam in rem inſignis eſt tractatus PASCHASII RATBERTI nuperrime a MARTENIO editus correctius, poſt P. BERNARD. BEZIUM in primo anecdotorum tomo: ubi RATBERTUS, in quibus quælibet harum virtutum conſiſtat, & quomodo comparari queant, copioſe demonſtrat.

Serm. VII. de Jejun. Dec. menſ.

T. IX. ampliſſ. coll. p. 47. &c.

ſtrat. Theologi paſſim dabunt, quæ de natura, & proprietatibus harum virtutum ſunt cognoſcenda; nos, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, proſequemur.

§. LXXV.

Sine fide, quæ eſt prima virtutum theologicarum, impoſſibile eſt placere DEO juxta apoſtolum, atque ad propoſitam felicitatis æternæ metam pertingere. Quarum prima fides ſumme neceſſaria. *Hebr. II. 6.*

In hunc finem CHRISTUS venit in mundum: *Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit DEUS Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii DEI.* Fides hæc exterius per tubam prædicationis inſonat, dicente apoſtolo: *Quomodo enim credent, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Vetus quidem eſt quæſtio: *Utrum hi*, propono eam S. AUG. verbis, *qui priusquam CHRISTUS veniret in eccleſiam ad gentes, & priusquam evangelium ejus audirent, vitæ hujus ſine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſint habere excuſationem? Poſſunt plane*, reſpondet, *ſed non ideo poſſunt effugere damnationem.* Nimirum vult, *habere illos excuſationem non de omni peccato* *Jo. III. 15. &c.* *Rom. X. 4.* *Tr. 89.*

ſuo, ſed de hoc peccato, quo in CHRISTUM non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus. Congruunt hæc cum illa ſalvatoris ſententia: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem, peccatum non haberent.* Novum plane hic commentum P. POIRETUS excogitavit, ex perverſa myſtica theologia interius tantum ſtatuendo lumen immediatum; qua ratione non ſolum inter omnes ſectas chriſtianas, ſed etiam gentiles eſſe potuerint, imo fuerint vere ſancti, vereque filii DEI. Fuere quidem etiam, qui id aſſererent, ex antiquis, & medio ævo iterum diſputatum fuit de ſalute ARISTOTELIS, CICERONIS &c. Sed alio id egerunt theologi fundamento, quam POIRETUS, qui modum docendi homines de voluntate DEI per verbum exterius craſſum, & corporeum dictitat, qui ideo tantum in ſubſidium vocandus fuerit, quoniam internæ Spiritus ſancti manifeſtationes, in deterius ſemper ruente fæculo, ab irregenitis percipi non potuerint. Ipſe autem vult, Spiritum S. interius in corde regenitos docere, ac lumen accendere.

Jo. XV. 22.

Oeconom. L. IV. c. 7.

Theologiæ comparativæ. p. 23.

Econtra vero alter pſeudo-myſticus MOLINOS lumen fidei penitus, idque in perfectis extinxit, myſticam viam internam illam ſtatuendo, *in qua cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio, & quod non oporteat DEUM cognoſcere, & hoc modo recte procedi.* Vocatur hæc a pſeudo-myſticis *caligo myſtica*, ſeu ignorantia. Quibus doctrina chriſtiana opponit lumen fidei, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæve fundamentum eſt noſtræ ſalutis; *Apoſtolica quippe*, verba ſunt

S.

S. FULGENTII, *dicit auctoritas, quia sine fide impossibile est placere DEO. Fides est namque bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum DEI numerum potest pertinere: quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Huc explicat JULIANUS POMBRAN. illud ejusdem apostoli: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Non dixit*, ait, *omne, quod non est ex fide, nihil est: sed dicendo, omne, quod non est ex fide, peccatum est, declaravit, quod omnia bona, aut ex fide gesta virtutes sunt, quæ profecto justificant, aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant, atque a finibus æternæ salutis eliminant.* Animadverte autem, unde talium operum pravitatem desumat JULIANUS, non ex operum substantia, sed circumstantiis, ne in BAJI, QUESNELLI, Jansenistarum, & Calvinistarum incidas errorem, omnia opera infidelium peccato deputantium: quæ honestate etiam sua commendantur, licet ad salutem æternam nihil conferant. Contrarius error est communis omnium naturæ corruptionem omnimodam astruentium. Hinc ex ipsis Lutheranis fuerunt, qui theologiam regenitorum solum esse statuant; estque hæc celebris inter pietisticas controversia, ac lis idcirco SPENERO intentata: atque DAN. HOFFMANN in thesibus de DEO, & CHRISTO ex eodem grege lumen rationis naturaliter, & carnaliter adversari DEO, & summis mandatis ejus, imo esse inimiciti-

De fide ad Petr. prolog.

De vit. contempl. L. III. c. 1.

tiam adverſus DEUM, præcipue in divinis & ſpiritualibus, defendit.

Cui oppoſitus eſt Socinianorum error, qui lumen rationis unicum principium in religione conſtituunt, ſecundum quod omnia exigenda ſint, atque dignoſcenda, quæ cognitu ad ſalutem neceſſaria ſunt: quemadmodum etiam naturæ viribus omnia tranſigi poſſe putant, quæ ad conſequendam ſalutem faciunt. Quæ eſt lata ad Indifferentiſmum, & Naturaliſmum via: quando indiſcriminatim ſectarum omnium opiniones habentur; ceu nihil interſit, quam quis ſequatur, quandoquidem nihil certo habeatur, atque omnia fluctuent, ſi ab humanis opinationibus dependeant, non a lumine interno, donoque ſupernaturali fidei, prout hic ſpectatur tanquam virtus theologica infuſa.

§. LXXVI.

Ejus definitio.

Fides eſt virtus theologica divinitus infuſa, qua firmiter aſſentimur omnibus, quæ DEUS revelavit, & nobis ad credendum propoſuit ad noſtram ſalutem ſecundum promiſſiones ſuas divinas.

Catech. V. n. 10. *Siquidem*, inquit S. CYRILLUS HIEROSOLYMIT. *fidei nomen appellatione unum eſt, bifariam vero dividitur. Eſt enim unum genus fidei, quod ad dogmata pertinet, quod aſſenſionem, & approbationem animæ de re quadam includit, & ad animæ utilitatem pertinet, ſicut ait Dominus: Qui audit verba mea &c.* Et paulo poſt: *Alterum ve-*

n. 11.

ro

ro genus eſt fidei, quod gratiæ cujusdam loco a CHRISTO donatur. Alii enim per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri vero fides in eodem Spiritu, alteri vero curationum dona. Hæc igitur gratiæ loco ab ſpiritu collata fides non ſolum dogmatica eſt, verum etiam rerum humanas vires excedentium efficiens. Vocatur hæc fides miraculorum: altera vero hiſtorica, quatenus credimus omnia, quæ a DEO ſunt dicta, ob ſummam illius falli neſciam veracitatem: juſtificans autem ac chriſtiana, quatenus credimus meritis CHRISTI nobis remitti peccata ob miſericordiam ejus in nos, ac bonitatem infinitam; hanc enim hæc reſpicit fides, ſicut fides miraculorum potentiam DEI, & hiſtorica veracitatem. Quomodocunque autem ſpectetur, eſt donum DEI; noſtram tamen flagitat cooperationem, actionemque, qua aſſentimur credendis: ſolent namque mortales mentis ſuæ oculos lumini fidei claudere: *Fidem primum*, inquit S. ATHANASIUS, *poſtulat Dominus ab iis, qui invocant ipſum; quemadmodum a cæco his verbis: Credis, quia poſſum hoc tibi facere? Et lunatico ait: Si credis, fiet. Id autem ſervator poſtulat, non quod alterius ope egeat: ipſe namque fidei quoque Dominus, & largitor eſt; ſed ne videatur perſonas accipere, utque putetur, ipſum credentibus annuere, hominesque ſine fide beneficia non accepturos, atque ex infidelitate eadem amiſſuros eſſe. Nam cum gratiam confert, vult gratiam permanere, & quando curat curationem, nunquam cadere. Paralyticum ergo confirmabat dicens: Sanus factus es, noli amplius peccare. Ac quemadmo-*

Coll. PP. Græc. Montfauc. T. II. p. 46.

admodum ſi medicus, cum morbo laborantes adit, ſciſcitatur primum, an curari velint, ne ipſo repugnantibus ægris medicinam adhibente, inutilis cura evadat; eodem prorſus ritu Dominus curandos interrogabat, ipſisque credentibus gratiam conferebat, ut fide gratiam retinere poſſent: nam voluntatis animi fides argumentum eſt.

Fuerunt ex recentioribus hæreticis, qui fidem tantum in voluntate ſitam eſſe dicerent. Unde eo devenerunt, ut hominem, quascunque opiniones teneat, ab hæreſi abſolverent; dummodo recta ſit voluntate. Id tamen certum eſt, voluntatem etiam flecti refragariam divina operatione, præter lumen, quo intellectus operante Spiritu S. perfunditur ad aſſentiendum ſupernaturalibus veritatibus, fidemque habendam divinis promiſſionibus; ut convictio divinæ fidei ſit a gratia, qualem nos hic ſtatuimus virtutem theologicam, divinitus infuſam, ac ſupernaturalem; ſi enim a motivis, vel rationibus tantum eſſet, etiam quatenus divinam veritatem pro objecto habet, poſſet eſſe fides tantum naturalis, non qualem hic deſcribimus πληροφορίαν, firmiſſimamque perſuaſionem omnibus a DEO revelatis ad noſtram ſalutem ſecundum opera gratiæ, & promiſſiones divinas, quæ omnem ſenſum ſuperant. Ita ergo operatio Spiritus S. agit, ut multo firmiore animi aſſenſu ea credam, quæ rationem omnem excedunt, myſteria, quam veritates naturæ apertiſſimas. Unde opus eſt divino lumine, ut ſuaviter animus in aſſenſum fidei flectatur, & ne vel minimum vacillet in ſuſcepta veritate, ut quidvis potius ſuſtineat, ipſam etiam crudelem mortem, quam ab fide divellatur. Quod patuit in martyribus; illi vero turpiter eluſerunt,

ſerunt, qui, etſi ore abnegetur, modo animo integra teneatur, fidem Numini ſalvam præſtari poſſe cenſuerunt magno numero hæretici, Simoniani, Menandriani, Baſilidiani, Helceſaitæ, & ad unum Gnoſtici omnes, unacum Priſcillianiſtis, & aliis etiam recentioribus WEIGELIO, HOBBESIO &c.

Licet autem hæc animi perſuaſio ſit ſupernaturale opus Spiritus ſancti, in natura tamen, atque anima perficitur, & conſtat actione vitali, ne cum POIRETO fingatur lumen receptivum ab intellectu diſtinctum, aut intellectus paſſivus, unde fidem ipſe vivam, ſubſtantialeque DEI lumen in nobis ſtatuit, quatenus a DEO eſt: quatenus autem a nobis recipitur, liberam dicit tanti favoris acceptationem, ſuique in manus DEI fiducialem traditionem. Hinc facile omnia ſua pſeudo-myſtica trahit conſectaria partim ſibi peculiaria, partim cum aliis, Quietiſtis imprimis, communia: qui, licet omnia tribuant contemplationi, fidem tamen, ut jam notavi, ad nihilum redigunt per myſticam caliginem, & tenebras. Tandemque omnia ad Enthuſiaſmum redeunt, immediatum DEI alloquium contra revelationem DEI publice eccleſiæ factam, quo errore etiam Quakerorum ſecta, atque magnus numerus Fanaticorum detinentur, quibus ſua placent ſomnia pro fide divina melancholico, imo diabolico abductis ſpiritu.

§. LXXVII.

Fides radix, & fundamentum eſt juſtificationis noſtræ per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM: *Quæ non*

Fides fundamentum juſtificationis.

non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Seſſ. VI. c. 7.

Ita juſtificationem deſcribit concilium Tridentinum, cauſæ autem hujus juſtificationis conſequenter ponuntur: *Finalis quidem, gloria DEI, & CHRISTI, ac vita æterna: efficiens vero miſericors DEUS, qui gratuito abluit, & ſanctificat ſignans, & ungens Spiritu promiſſionis ſancto; qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: meritoria autem dilectiſſimus unigenitus ſuus, Dominus noſter JESUS Chriſtus: qui, cum eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis DEO Patri ſatisfecit: inſtrumentalis item ſacramentum baptiſmi, quod eſt ſacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit ſalus: demum unica formalis cauſa eſt juſtitia DEI, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit.*

Cum proteſtantibus nobis hic controverſia eſt, qui juſtificationem in ſenſu forenſi pro abſolutione accipiunt, excluduntque interiorem cordis renovationem ac diſtinguunt a converſione, regeneratione, & ſanctificatione, ſeu juſtitia DEI: *Qua videlicet*, pergit concil. Trid. *ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ: & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipien-*

cipientes unusquisque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam diſpoſitionem, & cooperationem. Ubi, & ex præcedentibus patet, nihil meritis, & gratiæ CHRISTI detrahi unicæ juſtificationis cauſæ, qua ex impiis juſti fimus, ſine operum meritis. *Non ex operibus, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſalvos nos fecit:* ut tamen homo in accepta juſtitia proficiat, juſtitiæ opera exequatur, magis magisque juſtus fiat juxta JOANNEM: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Hinc trifariam articulus de juſtificatione diviſus, in congregatione generali eſt propoſitus patribus concilii Tridentini circa tres ſtatus adultorum infidelis, vel impii, fidelis juſtificati, & peccatoris relapſi: ut de ſingulorum ſtatuum congrua diſpoſitione, & cooperatione diſtinctius poſſet decerni, quod operoſe eſt factum.

Tit. III. 5.

Apocal. XXII.

Quomodo autem per fidem, & gratis juſtificemur, ſic perpetuum eccleſiæ catholicæ conſenſum depromunt patres Tridentini, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, & ad filiorum ejus conſortium pervenire: gratis autem juſtificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur. Hæc eſt genuina D. PAULI in epiſtola ad Romanos doctrina: non quod, ut adverſarii volunt, ſola fides ſit, quæ nos juſtificet, ſed quod fide, qua credimus meritis CHRISTI nobis condonari peccata, ac interius renovari per gratiam, ceu fundamento

Seſſ. VI. c. 8.

om-

omnis noſtra juſtitia nitatur, non in ſola remiſſione peccatorum, ſed etiam interioris mentis reformatione conſiſtens. Ita ut prima illa juſtificatio homini gratuito DEI munere obtingat, ſine ullis præcedentibus bonis operibus, aut meritis, quæ ſine fide, & ſine Spiritu S. fiunt, licet ipſam juſtificationem præcedant opera pœnitentiæ e. g. dolor, contritio, a malitia ceſſatio, reſtitutio alienorum &c. ceu diſpoſitiones; alia autem ex ipſa juſtificatione, ſeu interiori renovatione & ſanctificatione conſequantur iterum eadem DEI gratia, qua tota noſtra juſtificatio perficitur, ut fides imputetur ad juſtitiam, qua quis promiſſionibus divinis firmiter aſſentiens, quod eſt fidei, in ſola DEI gratia confidat, & meritis CHRISTI, quibus unice vigor noſtrorum meritorum conſtat. Sicut apoſtolus de ABRAHAMO dicit: *Credit ABRAHAM DEO: & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* *Rom. IV. 3.* *Ille*, inquit S. CYRILLUS HIEROSOL. *non ex operibus ſolum juſtificatus eſt, verum etiam ex fide. Multa enim recte fecerat; ſed nunquam amicus DEI appellatus eſt, niſi poſtquam credidit. Sed omne opus ejus per fidem perfectum eſt. Fide reliquit parentes, patriam, regionem, & domum per fidem reliquit. Quemadmodum igitur juſtificatus eſt, ita juſtificeris & tu.* *Catech. V. n. 5.* Ita nimirum PAULUS: *Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam: non iis tantum, qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri ABRAHÆ.* *Rom. IV. 11.* Hoc egregie explicat laudatus S. CYRILLUS: „Quo„modo igitur multarum gentium ABRA- *Ib. n. 6.*

„HAM

HAM ſit pater videamus. Judæorum quidem ſecundum carnis ſucceſſionem eſſe in confeſſo eſt. Verum ſi ad carnis ſucceſſionem ſpectaverimus, falſum dicere cogemur oraculum; non enim ſecundum carnem omnium noſtrum pater eſt. Verum exemplum fidei ejus nos omnes ABRAHÆ filios facit. Quonam iſtuc modo? Incredibile eſt apud homines, quemquam a mortuis reſurgere: quemadmodum ſimiliter incredibile, ex emortuis ſenibus progeniem naſci. Atqui dum annuntiatur CHRISTUS, quod in ligno quidem crucifixus ſit, mortuus vero reſurrexerit, nos id credimus: igitur per ſimilitudinem fidei in adoptionem devenimus ABRAHÆ. Tuneque poſt fidem ſimiliter, ut ille, ſpiritale ſignaculum accipimus, Spiritu S. per lavacrum circumciſi, non corporis præputium, ſed cordis. „ Ita ABRAHAM, *Rom. IV.* juxta apoſtolum, „Pater eſt omnium noſtrum, 17. (ſicut ſcriptum eſt: *Quia Patrem multarum gentium poſui te*) ante DEUM, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret Pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum. Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum cum jam fere centum eſſet annorum, & emortuam vulvam SARÆ. In repromiſſione etiam DEI non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam DEO: pleniſſime ſciens, quia, quæcunque promiſit, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam. „ *Rom. X. 3.* Hæc ibi PAULUS contra eos, qui ignorantes juſtitiam DEI, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ DEI non ſunt ſubjecti. „ Quæ ſit autem „

De nat. & grat. c. 1.

„ tem„ inquit S. AUG. „juſtitia DEI, de qua hic „ loquitur, conſequenter aperit adjungens: „ Finis enim legis CHRISTUS ad juſtitiam „ omni credenti. Hanc itaque juſtitiam DEI, „ non in præcepto legis, quo timor incutitur, „ ſed in adjutorio gratiæ CHRISTI, ad „ quam ſolam utiliter legis, velut pædagogus, „ timor ducit, conſtitutam eſſe qui intelligit, „ ipſe intelligit, quare ſit chriſtianus. Nam „ ſi per legem juſtitia, ergo CHRISTUS „ gratis mortuus eſt. Si autem non gratis mortuus eſt, in illo ſolo juſtificatur impius, cui „ credenti in eum, qui juſtificat impios, deputatur fides ad juſtitiam. „ Quomodo autem per fidem ſtatuat juſtificationem alibi, „ legimus „ inquit „ juſtificari in CHRISTO, „ qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quisquis hæret domino unus ſpiritus eſt. „ Lege eundem ſanctum doctorem, tum contra Pelagianos hæc ubique ingerentem, cum alibi nominatim, quæ in pſalmum 85. commentatur. Nec unquam aliquid catholici quam CHRISTI gratiam ſtatuunt in operibus juſtificationis aliis, ſicuti in ipſa fide eorum radice: quæ utique etiam eſt donum DEI, juxta apoſtolum, & conſtantem eccleſiæ doctrinam.

Eph. II. 8.

Proſp. de ingratis.

Porro fidem quis dat niſi gratia, non eſt Ex merito; quoniam, quod non fit ab illa, Non bene fit.

Gratiam autem, & ſanctitatem inhærentem agnoſcimus juſtitiam fidei meritorum CHRISTI. Nec ullus ex nobis aliter ſentit, ſicut nuper THOMAS CHUBB Anglus cum magna Naturaliſtarum cohorte inter Proteſtantes, ſatisfactionem CHRISTI, ac meritum labefa-

Collect. Tract. div. Tr. 8.

befactare conatus eſt, quod alias gratia deſtrueretur. Aut ſicuti Sociniani, & Remonſtrantes juſtitiam CHRISTI activam negant, & opera urgent, legemque impleri dicunt naturaliter, non ſupernaturali gratia, qua interius imbuimur, &, dum juſtificamur, renovamur, aptique ad opera juſtitiæ reddimur, ac juſti efficimur. Quod ipſe CLAUDIUS celebris inter Calviniſtas Gallos agnovit congruere apoſtolo, ac eſſe mentem ejus in epiſtola ad Romanos, ut ſingulari opere oſtendit inſcripto: *Explicatio epiſtolæ ad Romanos.*

§. LXXVIII.

Hæc ergo lex eſt gratiæ novi teſtamenti, diſtincta a lege operum veteris teſtamenti, quatenus per CHRISTUM juſtificamur, quod non potuit lex illa vetus cæremoniarum, hinc abolita: Secundum legem gratiæ.

Ita apoſtoli in actibus ordiuntur evangelium, & CHRISTUM annuntiant: *Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege MOYSI juſtificari, in hoc omnis, qui credit, juſtificatur.* Atque hæc inſignis eſt prærogativa legis gratiæ, ſeu ἐξουσία, ut vocat JOANNES: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem* ἐξουσίαν *filios DEI fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO* *Act. XIII. 38.* *Jo. I. 12. 13.*

nati ſunt: id eſt non carnaliter, ſed ſpiritualiter, filii promiſſionis fidei ABRAHÆ, quo exemplo uſus eſt PAULUS; „ ut probaret „ inquit S. AUGUSTINUS, „ juſtificari hominem ſine operibus legis. Cum enim bona opera commemoret ABRAHÆ, quæ ejus fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit, „ PAULUM apoſtolum non ita per ABRAHAM docere juſtificari hominem per fidem ſine operibus, ut ſi quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari, ſed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur ſe pervenire ad donum juſtificationis, quæ eſt in fide. In hoc enim ſe gentibus in CHRISTUM credentibus Judæi præferre cupiebant, quod dicebant, ſe meritis bonorum, quæ in lege ſunt, ad evangelicam gratiam perveniſſe; ideoque ſcandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quod incircumciſis gentibus CHRISTI gratia traderetur. Unde apoſtolus PAULUS dicit, *poſſe hominem ſine operibus præcedentibus juſtificari per fidem.* Nam juſtificatus per fidem, quomodo poteſt niſi juſte deinceps operari, quamvis antea nihil operatus juſte ad fidei juſtificationem pervenerit, non merito bonorum operum, ſed gratia DEI, quæ in illo jam vacua eſſe non poteſt, cum jam per delectationem (dilectionem) bene operatur. Juſtificari igitur ex fide idem eſt, ac ex gratia ſecundum apoſtolum: *Ideo ex fide ut ſecundum gratiam.*

L. 83. quæſt. 76.

Hæc eſt lex gratiæ, ſeu evangelium, quod per fidem prædicatur, & ſuſcipitur, complectiturque totam ſalutis œconomiam per CHRISTUM, mediatorem novi teſtamenti, non filiis ABRAHÆ per carnem, ſed per promiſſio-

missionem in omnibus gentibus. *Virtus enim DEI est in salutem omni credenti.* Cum enim Judæi opinione justitiæ suæ legalis inflati essent, aliam illis opponit apostolus evangelii; non exleges omnino faciens, sed illius tantum legis, quæ tanquam imperfecta justificationem haud præstabat, dum veteri abolita lege, nova substituitur gratiæ. Hoc agnovit etiam ex Protestantibus laudatus a me paulo ante CLAUDIUS minister Calvinianus, probe distinguens *legem operum, & opera legis.* S. AUGUSTINUS *illam legem factorum*, id est, *operum*, hanc *legem fidei* appellavit. Utriusque discrimen sollicite inquisivit in libro de spiritu, & littera, breviter autem ita est complexus discrimen: „Quid igitur interest, breviter dicam. Quod lex operum minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit: *Non concupisces:* ista dicit: *Cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum, adii Dominum & deprecatus sum.* Ipsa est illa sapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur *Pater luminum, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Colitur autem sacrificio laudis, actionisque gratiarum, ut cultor ejus non in seipso, sed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit DEUS, fac quod jubeo: lege fidei dicitur DEO, da quod jubes. Ideo enim lex jubet, ut admoneat, quod faciat fides, id est, ut, cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat, si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante possit. ” Rom. I. 16. De spir. & litt. c. 13.

Jam suo loco demonstravimus eos, qui etiam in veteri testamento sunt justificati, id

hac ipſa lege gratiæ ante eam eſſe conſecutos: qua de re legi etiam poſſunt, quæ S. AUGUSTINUS ſcripſit in epiſtolam ad Galatas. Et in laudato mox libro de ſpiritu, & littera illud apoſtoli expendens; *Non enim auditores legis juſti ſunt apud DEUM, ſed factores legis juſtificabuntur;* „ Neque enim „ ait, „ contra ſeipſum diceret, quod ait, fa-
" ctores legis juſtificabuntur; tanquam per
" opera, non per gratiam, juſtificentur: cum
" dicat gratis juſtificari hominem per fidem
" ſine operibus legis, nihil aliud volens in-
" telligi in eo quod dicit, gratis, niſi quia
" juſtificationem opera non præcedunt. Aper-
" te quippe alibi, ſi gratia, jam non ex ope-
" ribus, alioquin gratia non eſt gratia. Sed
" ſic intelligendum eſt, factores legis juſtifi-
" cabuntur, ut ſciamus, eos aliter non eſſe
" factores legis, niſi juſtificentur: ut non ju-
" ſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores
" juſtificatio præcedat. Quid eſt enim aliud,
" juſtificati, quam juſti facti, ab illo ſcilicet, qui
" juſtificat impium, ut ex impio fiat juſtus? „

T. III. op. p. 494. Rom. II. 10.

§. LXXIX.

Non excluſis operibus.

A juſtificatione bona opera excludi nullatenus poſſunt; ut quemadmodum opera ſine fide, ita etiam fides ſine bonis operibus manca ſit, & mortua.

Chriſtianiſmus in duabus rebus conſiſtit, fide, & vita DEO placita, hoc eſt, operibus, quæ duo adeſſe debent, ut quis ſalutem conſequatur, & DEO gratus exiſtat, ac juſtus.

Omnis

Omnis, ait CHRISTUS, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Totum evangelium exscribendum foret, si omnia, quæ huc faciunt, referre deberem, multo magis ad instructionem bonæ vitæ, & exercitationem virtutum evangelicarum pertinentia, quam ad fidem sublimium mysteriorum, quæ parcius insinuantur. Et fides sine rectitudine actionum communis cum dæmonibus potius, quam propria christianorum semper est visa: quod observavit S. AUGUSTINUS in eum locum, quo maxime abutuntur, qui aliter sentiunt: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* „Non " utique„ inquit „intelligimus eo modo cre- " dentes, quo & dæmones credunt, & con- " tremiscunt, nec in eo numero baptizatos, " in quo SIMON MAGUS baptizari po- " tuit, sed salvus esse non potuit, sed quos- " dam intuebatur in ea scilicet fide constitu- " tos, quæ apostolo distinguente per dilectio- " nem operatur.„ S. GREGORIUS eodem modo præoccupavit hanc objectionem: „For- " tasse„ ait „unusquisque apud semetipsum " dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Ve- " rum dicit, si fidem operibus tenet. Vera " enim fides est, quæ in hoc, quod verbis " dicit, moribus non contradicit. Hinc est " enim, quod de quibusdam falsis fidelibus " PAULUS dicit: *Qui confitentur se nosse* " *DEUM, factis autem negant.* Hinc " JOANNES ait: *Qui dicit se nosse DEUM,* " *& mandata ejus non custodit, mendax est.* " Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in " vita nostra consideratione debemus agnosce- " re. Tunc enim veraciter fideles sumus, si " quod verbis promittimus, operibus comple- "

Matt. VII. 24.

Serm. 11. de verb. Domini.

Hom. 29. in Evang.

" mus. In die quippe baptiſmatis omnibus " nos antiqui hoſtis operibus, atque omni- " bus pompis abrenunciare promiſimus. "

Abutuntur etiam maxime epiſtola ad Romanos, quæ tamen ſtudioſe in duas partes eſt diviſa: & licet nec in priore de fide intelligenda ſit dæmoniorum, ut JACOBUS vocat, operibus vacua; in altera tamen ex inſtituto a capite duodecimo de exercitatione operum agit, ſic exorſus: *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam DEI, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem ſanctam, DEO placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta.* Eadem eſt epiſtolæ ad Galatas ratio, ac argumentum, ut primo demonſtret, quod per CHRISTUM gratis juſtificemur, uſque ad medium capitis quinti; inde vero uſque ad finem de vitandis malis, & agendis bonis operibus, ac obedientia nova ſecundum evangelium gratiæ DEI uſque ad finem tractat. Et ſi adhuc dubium ſupereſſet in apoſtoli doctrina, totum id JACOBI epiſtola tollit, quæ creditur ad explicandam PAULI mentem facta eſſe, & ex iisdem principiis, quibus PAULUS fidei, ille operum neceſſitatem commonſtrat. *Vis autem ſcire o homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? ABRAHAM pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens ISAAC filium ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt? Et ſuppleta eſt ſcriptura dicens: Credidit ABRAHAM DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & ami-*

Jac. II. 19.

Jac. II. 21.

amicus DEI appellatus eſt. Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum? „ Qui putant „ inquit S. AUG. „ JACOBI ſententiam contrariam eſſe illi „ PAULI ſententiæ, poſſunt arbitrari etiam, „ ipſum PAULUM ſibi eſſe contrarium, quia „ dicit alio loco: *Non enim auditores legis juſti ſunt apud DEUM, ſed factores legis juſtificabuntur.* Et alio loco: *Sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Et iterum: *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quæ ſint autem facta carnis, quæ operibus ſpiritus mortificanda ſunt, alio loco manifeſtat, dicens: *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicationes &c. & qui talia agunt, regnum DEI non poſſidebunt.* Et ad Corinthios ait: *Nolite errare, neque fornicatores &c. Et hæc quidem fuiſtis &c.* Quibus ſententiis manifeſtiſſime docet, non eos præterito bono opere ad fidei juſtificationem perveniſſe, nec meritis eorum iſtam gratiam datam, quoniam dicit, *& hæc quidem fuiſtis:* ſed dum dicit, *qui talia agunt, regnum DEI non poſſidebunt,* ſatis oſtendit, jam, ex quo crediderunt, bene operari debere. Quod & JACOBUS dicit, & multis omnino locis idem apoſtolus PAULUS ſatis, aperteque prædicat, recte vivendum omnibus, qui in CHRISTO crediderunt, ne ad pœnas perveniant. „ Tunc re comprobata, etiam ex CHRISTI verbis concludit: „ Qua propter non ſunt ſibi contrariæ duorum apoſtolorum ſententiæ PAULI, & JACOBI, cum dicit unus, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus*, & alius dicit, *inanem eſſe fidem ſine operibus*, quia ille dicit de ope-

De 83. quæſt. q. 76.

" ribus, quæ fidem præcedunt, iſte de his, " quæ fidem ſequuntur. „ Nimirum de operibus, quæ CHRISTI meritis veluti animantur, quæ ſola apta ſunt nos ad regnum cœlorum ducere. *Cujus ſolius*, ait ORIGENES, *ductu ad Patrem perveniunt, qui per verbi DEI, & ſapientiæ contemplationem tam doctrina, quam operibus, & cogitationibus DEO rerum omnium conditori modis omnibus annituntur conciliari.* Ita omnes conſtanter tenuerunt catholici. *Vid. Hom. S. CHRYSOST. de fide tres, & 12. & 24. in Matt. PASCHASII RATH. de fide L. I. c. 3. 13. & S. AUGUST. de fide, & operibus.*

L. VIII. cont. Celſum.

§. LXXX.

Ut Proteſtantibus videtur & pſeudo-myſticis.

Eorum errori, qui bonis operibus pretium in negotio ſalutis, ac juſtificationis detraxerunt, ſemper ſe oppoſuerunt orthodoxi, Proteſtantibus præſertim recenti ætate.

Dum Gnoſtici excluſis operibus ſolam fidem ad ſalutem requirebant, ſtrenue illis ſe antiqui SS. PP. oppoſuerunt. Valentinianos imprimis hic notat S. IRENÆUS, qui pſychicis tantum, quos catholicos vocabant, non ſpiritualibus, quales ſe jactabant, bona opera neceſſaria dicebant, atque omnis generis criminibus ſeſe dedebant, inamiſſibilitatem gratiæ in veris fidelibus ſtatuentes. „ Nec operationes „ de iisdem " refert TERTUL. in lib. adverſus Valen- " tin. „ſibi neceſſarias exiſtimant, nec ulla di- " ſciplinæ munia obſervant; martyrii quoque " eludentes neceſſitatem qua volunt interpre- " tatione. „ Qui fuit etiam aliorum hæreticorum

rum error in fidei confeſſione deficientium, temporibus illis difficilibus, errores ſuos libenter occultantium, quales ſuperius recenſuimus, neceſſitatem externæ profeſſionis fidei inficiantes. Alii errorem ſuum etiam ſcriptis defenderunt, contra quos librum ſuum de fide, & operibus ſcribendum duxit S. AUGUSTINUS, ut ipſe in retractationibus his verbis teſtatur: „ Interea miſſa ſunt mihi a quibus- " *L. II. Re-*
dam fratribus laicis quidem, ſed divino- " *tract. c.*
rum eloquiorum ſtudioſis ſcripta nonnulla, " *38.*
quæ ita diſtinguerent a bonis operibus chri- "
ſtianam fidem, ut ſine hac non poſſe, ſine "
illis autem poſſe perveniri ſuaderetur ad "
æternam vitam. „ Putat P. GARNERIUS, *In prim.*
laicos non alios eſſe cogitandos, quam HIE- *part. M.*
RONYMI ſtudioſos, id eſt, vel MAR- *Mercat.*
CELLINUM Tribunum, vel nobiles Ro- *p. 117.*
ma in Palæſtina profugos; ſed errores nuſpiam comparent (præſertim ille, de quo modo agimus) in ſcriptis S. HIERONYMI, licet quæſtiones tractet in ISAIAM, & in epiſtolas PAULI. In appendice T. IX. S. AUGUSTINI habetur liber, cui HOL- *p. 191.*
STENIUS, ut ibi refertur, in antiquo codice nomen FASTIDII epiſcopi inditum legiſſe dicit, qui ſe noviſſe homines dicit adeo a ratione abeuntes, ut ſibi perſuadeant, fidem ſuam ſe coram DEO juſtificaturos, quin bona opera faciant, quodque DEUS damnet tantum quæ fidei, non autem quæ regulis morum adverſentur.

FAUSTUS quidam ad PAULINUM ſcribens neceſſitatem bonorum operum quidem adſtruit; ſed, dum fidem omnino ſine operibus inutilem aſſeruiſſet, GONDEBALDUS rex Burgundionum S. AVITUM conſulen-

Sirm. T. II. epiſt. 41.

fulendum duxit: qui reſpondit, generaliter ſumtam propoſitionem illam falſam eſſe, in exemplum adductis infantibus ſtatim poſt baptiſmum obeuntibus, aut etiam diutius vitam inter hæreticos producentibus. Id autem potiſſimum agit, ut exemplis aliis, & argumentis ex ſcripturis petitis probet, fidem eſſe omnium bonorum ſpiritualium fundamentum: demum autem ſic fieri dicit: ut, cum opera ſine fide poſſint eſſe, fides ſine operibus eſſe non poſſit.

Ib. p. 34.

Quouſque myſticorum quies, ac ſilentium huc pertineat, operoſum foret diſcutere, quæ potius eſt plena ceſſatio ab omni actu, & motu animæ: cujus non una affertur notio, ac definitio, quam ſabbatum ſuum vocant illi. Sed prout ſunt propius, aut longius a vera theologia myſtica alieni veteres, & recentiores in verum chriſtianiſmi ſcopum collimant, aut aberrant, dum ſe poſſeſſione DEI unice jam beatos exiſtimant. Maxime hic MICH. de MOLINOS, qui toti ſectæ Quietiſtarum nomen dedit, hallucinatus eſt: qui vult, quietem hanc eſſe conſtantem, neque turbari per tentationes, per pravas cogitationes, imo per actus carnales etiam in vigilia commiſſos. Idem etiam orationem paſſivam apud myſticos familiarem eouſque commendavit, ut exteriora bona opera prorſus poſt illam dejiceret: cum ipſa talis oratio in ſeſe præcipuum hoc exercitium pietatis deſtruat. Sed hæc proprium locum habent.

Quoad præſentem materiam capitalis Proteſtantium & multiplex eſt error de bonorum operum meritis, & partibus in juſtificatione, qui totum hic fidei tribuunt. Quam ut coment quadantenus, cum ſpe, ac fiducia confun-

fundunt: contra quem errorem duodecimus iſte habetur conc. Trid. canon de juſtificatione: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter CHRISTUM; vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur, anathema ſit.* Ponunt autem juſtificationem in ſola remiſſione, ac non imputatione peccatorum: cui non omnes actualem imputationem juſtitiæ CHRISTI adjungunt. Fr. STANCARUS autem non per imputatam CHRISTI juſtitiam, ſed per eſſentialem DEI juſtitiam juſtificari hominem contendere poſtea cœpit. Proteſtantium errorem hoc canone concilium Trident. protrivit: *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ CHRISTI, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem DEI, anathema ſit.* Intelligitur autem gratia, quæ per dilectionem operatur, etiamſi habitualis ſolum ſumatur, ac jus ad actuales gratias quoad ſingulas actiones, ac opera meritoria edenda ad præmium vitæ æternæ: tanquam merces, ex ipſius DEI promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc ſunt concilii Trident. verba, ubi *de fructu juſtificationis*, hoc eſt, merito bonorum operum agit. Quod maxime impetunt Proteſtantes, fuitque veluti claſſicum ad bellum eccleſiæ indicendum, atque occaſio ad excogitandum dogma de ſola fide juſtificante LUTHERO primum intonante contra bona opera.

Seſſ. VI.

Seſſ. cit. c. 11.

Seſſ. VI. c. 16.

Ac

Ac Proteſtantes ſaltem in hoc omnes conveniunt, ut meritum bonorum operum rejiciant; ac ſi meritis CHRISTI deroget. Unde merito a noſtris Stoiciſmi ſunt accuſati, quaſi peccata omnia ſint æqualia, imo ſola infidelitas ſit peccatum, nec dentur gradus felicitatis, niſi ſaltem ex majore, aut minore fidei gradu ſubjective in homine ſpectato, quo ipſo meriti ratio ſaltem in fide ab ipſis eſt agnoſcenda.

Viſum eſt multis capitalem non eſſe diſſenſum aut etiam logomachiam tantum, dum illi juſtificationem a ſanctificatione dividunt, nos conjungimus. In Calixtinis controverſiis, & Pietiſticis hic multum fuit diſceptatum, & JO. FABRICIUS hoc ſæculo edidit harmoniam, & disharmoniam doctrinæ Proteſtantium, & Romano-catholicorum in articulo de juſtificatione in gratiam veritatis, & pacis eccleſiaſticæ. Sed conſilia ſua irenica nec ſuis probavit eo in argumento, unde bellum, ut diximus, contra eccleſiam cœpit, LUTHERO hic maxime pervicaciam, imo perfidiam ſuam prodente, dum *Rom. III.* 28. textum corrupit, vocabulo *ſola* intruſo: quod ſectariis ſuis nonnullis diſplicuit, atque nuper in hoc etiam verſionem LUTHERI emendandam duxit D. ROTHE. Locusque ille PAULI, quo maxime nituntur, manifeſte prodit, quæ removeantur opera a juſtificatione: *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis:* veteris nimirum, quæ abrogata eſt, evangelio in ejus locum ſubſtituto, bonis operibus fœcundiſſimo, & regulis ſanctitatis vitæ, cui promiſſiones evangelii ſunt connexæ non minus ac fidei in opere juſtificationis.

Rom. III. 28.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Ipſi ſecum pugnantes.

Dum in uno hoc inter ſe conveniunt, ut merita bonorum operum negent, de cætero ipſi ſe conficiunt adverſarii, & inter ſe digladiantur variationibus ſuis veræ fidei, quæ una eſt in vera eccleſia, teſtimonium perhibentes inviti.

Jam hoc paſſim demonſtravit ill. BOSSUET in inſigni *Variationum* opere: patuitque hæc res a primordio ſuſceptæ reformationis uſque ad præſentem diem. LUTHERUS, ut in aliis, ita hic etiam non ſibi ſemper ſimilis fuit. MELANCHTHON, dum neceſſitatem bonorum operum paſſim in ſuis ſcriptis agnoſceret, nemo ei litem movit, quod in articulo de juſtificatione meritum bonorum operum negaret, quod etiam LUTHERUS viſus eſt tenuiſſe: quamvis unum ex altero legitime inferatur. Occaſione Auguſtani *INTERIM* eadem quæſtio mota: dum GEORGIUS MAJOR, aſſeruit neceſſitatem bonorum operum, contentione in alterum extremum delapſus eſt NIC. AMSDORFFIUS affirmavit, bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa. In formula concordiæ propoſitio illa, quod opera ſint ad ſalutem neceſſaria, in ſcenam producta eſt. Hinc controverſiæ cum Antinomis auctore JO. AGRICOLA de pœnitentia potiſſimum, quamvis tota lex, ac moralis chriſtiana ſimul peteretur. Synergiſticæ controverſiæ ab hac materia non ſunt alienæ, GEORG. MAJORE eidem implicito unacum MELANCHTHONE.

THONE. Succeſſerunt controverſiæ Calixtinæ, atque iterum de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem fuit diſputatum. Ubi CALIXTUS hoc tantum excepit, opera bona non ceu cauſam, ac meritum ſalutis eſſe reſpicienda, ne aliquid meritis CHRISTI, ac gratiæ deperire videretur. Quod in ARNDIO poſtea fuit a ſuis animadverſum, quaſi gratiæ aliquid detraheret, quod bona opera, ac pietatem inculcaret. Qui tamen etiam ſuos defenſores habet pariter ac SPENERUS, ac reliqui, quos Pietiſtas vocant, nomine orto, ut videtur, ex collegiis pietatis, quæ SPENERUS primus inſtituit, opera pietatis proſcripta revocare apud ſuos conniſus, atque bonorum operum præſentiam ſaltem in juſtificatione urgens. Quæ controverſia uſque ad hodiernum diem Lutheranos detinet, ſuntque, qui fidem vivam, & formatam, quam vocant, in juſtificatione ſtatuunt practicam, & activam, ac concomitantia volunt eſſe bona opera: quæ communiter ad renovationem, & ſanctificationem rejiciunt alii, arbitraria diſtinctione. In articulis, qui fuerunt theologis Hallenſibus propoſiti, qui a parte SPENERI ſtabant, iſti ad rem præſentem articuli ſunt propoſiti: 3) *Activitas noſtra ſubjectiva, etiam nobiliſſima non ingreditur in actum, forum, & articulum juſtificationis.* 4) *Fides non juſtificat, quatenus practica eſt; nec in actu juſtificationis, quatenus practica eſt, ſpectatur, vel valet.* 5) *Bona opera non ſunt præſentia in actu, articulo, & foro juſtificationis.* 6) *Abſtinendum eſt a propoſitione, quod bona opera ſint neceſſaria ſalvandis; vel in ordine ſalvandis præſcripto.* 7) *Non dicenda eſt duplex juſtificatio, aut duplex apprehenſio CHRISTI:*

alte-

altera inchoata, altera plenaria, quarum hæc pietatem in excellenti gradu ſupponat, aut includat. 8) *Abnegatio noſtri, & ſuſceptio crucis non ſunt fundamentum noſtræ ſalutis, multo minus unicum fundamentum.*

Dolebat SPENERUS collapſionem chriſtianiſmi apud ſuos, ac corruptionem in omnium hominum ſtatu: atque originem in ipſa Proteſtantium doctrina facile perſpiciebat, qua chriſtiana lex, & vita evangelica penitus proſterneretur. Alios quidem conſentientes, alios adverſarios eſt nactus, habetque uſque ad hodiernum diem, ut in contrariam partem multi eant uſque ad Fanaticiſmum a DIPPELIO, & aliis ob eandem cauſam inductum. Qui quidem a Pietiſmo magis diſtinguitur, quam Myſticiſmus, cujus etiam cauſa SPENERO, & ſociis lites ſunt motæ.

Sed inter Reformatos, præſertim a POIRETO ad ſummum apicem pervenit: qui itidem in doctrina de juſtificatione renovationem internam, ac omnimodam cordis purificationem uſque ad deificationem myſticam extulit, atque imputativam juſtitiam pro culcitro antichriſti habuit. Fuit ſæculo XVI. miniſter in Ungaria MATTIAS LAUTERWALD, qui propoſitionem hanc: *Sola fide juſtificamur*, pro cloaca antichriſti habuit.

Remonſtrantes ex altera parte quoad fidem juſtificantem nolunt videri communia Proteſtantium principia deſeruiſſe; opera tamen, legem, & obedientiam urgent; ſed Pelagiano non chriſtiano principio pariter ac Sociniani, qui ſatisfactionem CHRISTI, & merita negantes humanam juſtitiam conſtituunt in oppoſito extremo hærentes. Quos idcirco Re-

monſtrantibus jungo, quod magis ac magis ſibi ſucceſſu temporis accedant, & principia Indifferentiſmi, ac Naturaliſmi foveant, quæ juſtificationis fundamentum ipſum ſubruunt, aut ſaltem errorem cum veritate confundunt.

§. LXXXII.

Scriptura & traditione juſtitiam operum requirente. *S. Cyr. catech. XV. n. ult.*

Hæc eſt ergo coram DEO juſtificatio noſtra, ut adimpleamus omnem juſtitiam ſecundum evangelium CHRISTI. *Depoſitum de CHRISTO cuſtodi, in bonis operibus decore te gerens: ut regnum cœlorum conſequaris, cum fiducia adſtans coram judice, per quem, & cum quo gloria DEO cum ſancto Spiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Hic finis eſt, ob quem in hunc mundum miſſi ſumus, conditi ad gloriam DEI, ac redemti, ut divinam in omnibus implentes voluntatem, promiſſionem conſequamur. Sic opera legis a lege operum diſtinguuntur, atque in ipſa lege operum, & antea, a quo tempore creatus eſt homo, fuerunt hæc vera legis opera, quibus promiſſionum divinarum participes omnes fieri debuerant. Ita voluntatem divinam Iſraelitis denunciavit MOYSES: *Et nunc ISRAEL, quid Dominus DEUS tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum DEUM tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino DEO tuo in toto corde tuo, & tota anima tua.* Hæc eſt juſtificatio noſtra coram DEO, mandatum illud, in quo univerſa lex pen-

Deut. X. 12.

pendet, & prophetæ: *Si quis diligit me, ſermones meos ſervabit*, ait CHRISTUS, *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* *Jo. XIV.*

Quia ergo ab hoc fine homines deſciverant, venit CHRISTUS in mundum. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum, per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, in quibus nos viſitavit oriens ex alto.* Hoc evangelium apoſtoli Judæis, ac gentibus annunciabant; *In omnem regionem Judææ, & gentibus annuntiabam*, ait PAULUS de ſuo munere, *vinctus coram tribunali rationem reddens, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad DEUM, digna pœnitentiæ opera facientes.* Paſtor, ſeu Angelus HERMÆ hæc articulatim expoſuit. *Audi*, inquit, *a malo abſtine: & noli id facere. A bono autem abſtinere noli, ſed fac illud. Si enim abſtinueris a bono, & non id feceris, peccabis. Abſtine igitur ab omni malo, & ſcies omnem juſtitiam. Quales, inquam, malignitates ſunt hæ, a quibus abſtinere oportet? Audi, inquit, ab adulteriis &c.* Recenſitis ita per longum omnibus malignitatum, & peccatorum generibus, *a quibus autem*, pergit, *non debeas abſtinere audi: ab omnibus bonis operibus noli abſtinere, ſed fac illa. Audi, inquit, virtutem bonorum operum, quæ debeas operari, ut ſalvus eſſe poſſis. Primum omnium eſt fides, timor Domini, charitas, concordia, æquitas, veritas, patientia, caſtitas. Iis nihil eſt melius in vita hominum, qui hæc cuſtodierint, & fecerint in vita ſua. Deinde horum ſequentia audi. Viduis adminiſtrare &c. Vive ergo in his mandatis, & noli ab eis recedere. Si enim cuſtodieris hæc omnia mandata, vives DEO,* *Luc. I.* *Act. XXVI. 20.* *Paſtor lib. II. mand. 8.*

& omnes, qui cuſtodierint hæc mandata, vivent DEO.

Jam alibi obſervavi, in hoc argumento verſari) eodem fere modo ac epiſtola S. PAULI ad Romanos, & ad Galatas) epiſtolam I. S. CLEMENTIS, quam omnes genuinam agnoſcunt; & licet de conſtitutionibus apoſtolicis idem dici non poſſit, quæ tamen in ea habentur de hac obligatione eorum, qui CHRISTO nomen dederunt, ex prima chriſtianorum inſtitutione inde ab apoſtolicis temporibus ſunt repetita: *Qui eſt ergo baptizatus, ſit alienus ab impietate, in operibus peccati non ſe exercens, DEI amicus, diaboli hoſtis, hæres DEI, cohæres CHRISTI, renuntians Satanæ, & dæmonibus, & omnibus eorum operibus, caſtus, purus, ſanctus, religioſus, DEI Filius, orans Patrem tanquam Filius, & dicens: Pater noſter, qui es in cœlis &c. Ne, ſi indigne Patrem ſuum vocet, DEUS ipſe ei exprobret, quod & primogenitus filius Iſrael aliquando audivit; quoniam filius glorificat patrem, & ſervus dominum ſuum timebit: Et, ſi ego pater ſum ubi eſt honor meus, gloria enim patrum eſt ſanctitas filiorum, & honor domini eſt timor ſervi. Ergo in DEI agnitione*, inquit LACTANTIUS, *& cultu rerum ſumma verſatur; in hoc eſt ſpes omnis, ac ſalus hominis, hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus, quis ſit nobis verus pater, eumque ſolum pietate debita proſequamur, huic pareamus, huic devotiſſime ſerviamus, in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur.* S. EPHREM: *Fides mater eſt boni omnis operis, per ipſam quis acquirit repromiſſiones Domini, & ſalvatoris noſtri*

L. III. c. 18.

L. VI. c. 9.

Paræn. 26.

JE-

JESU Christi: quemadmodum scriptum est, sine fide impossibile est placere DEO. S. GREGORIUS NISS. *Si quis ergo subit nomen CHRISTI, & vita non ostendit quæcunque simul cum hoc nomine considerantur, is nomen ementitur. Neque enim potest fieri, ut Dominus non sit justitia, & puritas & justitia, & ab omni malo remotio, neque ut christianis non illorum nominum in se ostendat participationem.* S. CHRYSOSTOMUS: *Qui enim DEUM Patrem appellavit, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & justificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & Spiritus sancti largissima dona uno vocabulo confessus est, impossibile est enim, ut is DEUM vocet patrem, qui non omnium bonorum particeps, & filius DEI factus est: quicunque enim Spiritu DEI aguntur, hi filii DEI sunt. Qui igitur DEUM patrem nominat, eum oportet vitam ad eum modum instituere, ne tali cognatione indignus appareat.* Alia in eundem modum ex sancto doctore vide in ANASTASII SINAIT. ὁδηγῷ seu libro *duæ vitæ* inscripto, ubi inter alia de signis veri christiani *q.* 1. collectanea etiam ex JOAN. CLIMACO refert, qui rectam quidem se dicit habere fidem, eam autem peccatis contaminat, similem esse personæ, quæ non habet oculos: qui autem fidem non habet, aliqua autem bona forte facit, esse similem ei, qui haurit aquam, & eam infundit in dolium perforatum. Et ex MARCO, & MAXIMO monacho in capitibus monasticis, deinceps affert ad nostrum propositum recolenda de fide, & operibus; ipsi autem ulte-

Ad Lybium monach.

Hom. 22. in Matt.

Bibl. PP. T. X. p. 959.

rius progreſſus, initio ſtatim perfectum chriſtianum ex mente CHRISTI ſic definit: *Aliqui dicunt, fidem rectam, & pia opera veri chriſtiani indicium eſſe. Sed redemtor noſter verum chriſtianum his non definit. Poteſt enim quis & fide, bonisque operibus inſtructus altum ſapere, & ita perfectus chriſtianus non eſſe: nam chriſtianus eſt vera domus CHRISTI ex bonis operibus, & dogmatibus piis compacta. Vera igitur fides ſine operibus mortua eſt, quemadmodum & opera ſine fide. Quapropter totis viribus cuſtodire nos debemus a ſordidis operibus; ne & de nobis dicatur: Confitentur ſe noſſe DEUM, factis autem negant.* S. CÆSARIUS: *Si te melius dicas fidem habere, & quod verbis promittis, operibus implere nolueris, penitus non eſt fides. Et ſi te aſſeras credere præmium, quod promittit DEUS, & ſupplicium, quod minatur; & tamen, ut ſæpe jam dictum eſt, agere nolueris, ut pœnam perpetuam poſſis evadere: & ad præmia æterna pervenire, omnino non eſt in te fides: & non ſolum te nihil adjuvat, quod te verbis fidelem dicis, ſed & multum tibi etiam nocet: quia melius eſt cuiquam non promittere, quam, quæ promiſerit, implere non velle: ſolum enim nomen fidei te liberare non poterit: quin potius, ſicut jam dictum eſt, inde dupliciter reus eris; quia, quod verbis promiſiſti, implere noluiſti; & clamat tibi per JACOBUM Spiritus S. fides ſine operibus mortua eſt. Et licet totum quidquid homo promiſerit, ſi poteſt, debeat operibus adimplere; illam tamen primam, & præclaram promiſſionem, quam eo tempore, quo in baptiſmo renaſcimur, DEO promittimus ſpecialiter, cum ipſius adjutorio ſervare debemus: interrogamur enim in baptiſmo, itrum*

Ap. T. V. opp. S. Aug. ſerm. 264. n. 2.

trum renuntiemus diabolo, pompis, & operibus ejus: & abrenuntiaturos nos voce libera reſpondemus.

§. LXXXIII.

Ex gratia CHRISTI.

Sive autem fidem conſideres, ſive opera, ac qualemcunque juſtitiam noſtram, DEI dona ſupernaturalis gratiæ grato ſunt recognoſcenda.

Mirum in modum hic paratragœdiantur Proteſtantes, quaſi ignorantes juſtitiam DEI noſtram ſtatueremus, qui, fidei, opera junginus ad juſtificationem, ſed utraque dona DEI gratanter agnoſcimus. An ergo ipſi aliter de fide ſua ſola juſtificante ſentiunt, quia ſufferre non poſſunt operibus pariter, ac fidei nos tribuere juſtificationem? Melius mihi TH. CHUBB egiſſe videtur ſi principiis proteſtanticis ſtandum exiſtimarem, nec fide, nec operibus nos juſtificari, ſed gratia dicens. *Coll. var. tr. Tract. VI.*

Occultius ſerpebat error eorum, qui fidem, quam qui opera ex donis gratiæ excluſerunt, qui ſemi-Pelagiani ſunt dicti. Illius ſententiæ jam ante hæreſin Pelagianam non pauci rei aguntur: palam, & aperte confitetur TICHONIUS Donatiſta apud S. AUGUSTINUM, opera quidem non fidem eſſe ex DEO, quæ propemodum ipſius S. AUGUSTINI fuit ſententia, antequam profundius dogma de gratia rimaretur, illa potiſſimum apoſtoli ſententia victus: *Quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* In qua certe ſuſpicione laborat magnus numerus proteſtantium Lutheranorum, qui adminicula pædagogica, unde fides eſt *De doct. chriſt. L. III. c. 33.*

juxta apoſtolum ex auditu, non tam gratiæ DEI, quam homini attribuunt errore ſemi-Pelagiano, in quo potiſſimum ne gloriemur monet S. AUGUSTINUS: *Nemo itaque, ait, glorietur ex eo, quod videtur habere, tanquam non acceperit, aut ideo ſe putet accepiſſe, quia littera extrinſecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur inſonuit. Nam ſi per legem juſtitia, ergo CHRISTUS gratis mortuus eſt. Porro autem, ſi non gratis mortuus eſt, aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus: inde habet, quicunque habet. Quisquis autem inde ſe habere negat, aut non habet, aut id, quod habet, auferetur ab eo.*

De ſpir. & litt. c. 29.

Nos ergo incunctanter & fidem, & opera, queis juſtificamur, dona DEI, ac fructus gratiæ profitemur; *Erat lux vera*, ait de CHRISTO JOANNES, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* CHRISTUS autem de ſeipſo: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in DEO ſunt facta.* Et apud eundem evangeliſtam viti ſe comparans, cujus nos palmites ſimus: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo*, ait, *niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Ne quisquam*, ait in hunc locum S. AUGUSTINUS, *putaret ſaltem parvum aliquem fructum poſſe*

Jo. I. 9. 10.

Jo. III. 19. &c.

Jo. XV. 4.

Tr. 81. in Joann.

a ſemetipſo palmitem ferre, cum dixiſſet, Hic fert fructum multum; non ait, Quia ſine me parum poteſtis facere; ſed nihil poteſtis facere. Sive ergo parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Multum, fateor, hic opinione hominum peccatur, ſed doctrina eccleſiæ ſana eſt.

Magnæ, & inſeparabiles difficultates occurrunt, quæ nonniſi potenti DEI auxilio, quod ardenter implorare jugiter debemus, ſuperantur. Ita prophèta: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine; juſtificationes tuas requiram.* In quæ verba S. HILARIUS: „ Clamat igitur „ inquit „ propheta ex toto „ corde. Et quia ex corde clamat, ut audiatur orat: & auditus hæc poſtulat, ut juſtificationes DEI exquirat. Scit has eſſe „ occultas, & latentes, & umbra legis obductas. Has optat inquirere, ad quas multis „ opus ſit, magnisque rebus, clamore cordis „ exauditionis merito, inquiſitionis officio. „ Et poſtea: „Dehinc ſequitur: *Vocem meam exaudi ſecundum miſericordiam tuam Domine: ſecundum judicium tuum vivifica me.* Diſcamus modeſtiam ex dictis prophetæ tot ſuperioribus clamore cordis, juſtificationum inquiſitione, cuſtodia teſtimoniorum DEI, & continentia juventutis, & „ antelucanæ meditationis vigiliis: & per hæc „ omnem in miſericordia DEI ſpem reponens, „ poſtremo audiri vocem ſuam ſecundum miſericordiam rogat: & miſericordiam ſecuncundum judicium DEI poſtulat. Nos ſi ſemel jejunamus, ſatisfeciſſe nos arbitramur: „ ſi aliquid ex copia domeſticarum facultatum „ inopi damus, impleviſſe nos juſtitiam credimus: jejunantes, ut placeamus hominibus, aut corpora cibis feſſa relevemus &c. „

Pſ. 118. 145.

In pſ. 118. *Lin.* 19. *n.* 2.

Ib. n. 6.

Ib.

Hæc ſunt, quæ opera hominum ex corruptione naturæ ſuæ operantium inquinant, etiamſi bona appareant; aut certe ad juſtificationem noſtram nihil conferunt, niſi ex DEO ſint facta. „ Totum a DEO „ pergit S. HILARIUS „ propheta ſperat, totum ex „ miſericordia exſpectat. In operibus quidem „ bonitatis totus ipſe perfectus eſt: ſed ſatis „ eſſe hoc ſibi non putat ad ſalutem, niſi ſe„ cundum miſerationes DEI, & judicium „ miſericordiam conſequatur. Si ergo „ inquit S. LEO „ omnia, quæ ad vitam, & pieta„ tem pertinent, DEUS nobis ſua virtute „ donavit, nihil magis fugiendum eſt, quam „ appetitus hujus concupiſcentiæ: quæ virtu„ tem negat divini operis, amore propriæ „ dignitatis &c. „ Huic opponit humilitatem chriſtianam, quæ nihil ſibi, DEO omnia adſcribit. „ Huic autem malo firmiſſimum bo„ num humilitatis occurrit. Quam ideo di„ ximus veram: quia omnium virtutum in„ expugnabilis fortitudo, & quædam ſuo„ rum eſt vita membrorum. Diſcernimus „ enim illam ab iis officiis, quæ poteſt etiam „ cum mundi ſapientibus habere communia. „ Et in eo proprietatem ipſius definimus, quod „ per omnia DEO ſubditur, nec poteſt quis„ quam de meritis ſuis perdere, quorum cau„ ſas, atque profectus non in ſe, ſed in ſuo „ auctore conſtituit. „

Epiſt. ad Demetriadem.

Hæc eſt chriſtianiſmi fides, & virtus, quam in CHRISTO regenerati ſentiunt. Quam in rem imprimis legi meretur S. CYPRIANI ad DONATUM epiſtola, quæ habetur illius primus poſt converſionem partus, & quid in ſe perfecerit virtus regenerationis, quamve hæc una ſit ſpectanda, declarat: „ Una „ igi-

igitur „ concludit „ placida, & fida tran- „
quillitas: una ſolida, & firma ſecuritas, ſi „ *S. Cyp. ad*
quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus ex- „ *Donat.*
tractus, ſalutaris portus ſtatione fundatus, „ *circa fi-*
ad cœlum oculos tollat a terris, & ad Do- „ *nem.*
mini munus admiſſus, ac DEO ſuo men- „
te jam proximus, quidquid apud cæteros „
in rebus humanis ſublime, ac magnum vi- „
detur, intra ſuam jacere conſcientiam glo- „
rietur. Nihil appetere jam &c. Nec ad hoc „
pretiis, aut ambitu, aut manu opus eſt, ut „
hominis ſumma vel dignitas, vel poteſtas „
elaborata mole patiatur: ſed gratuitum de „
DEO munus, & facile eſt: ut ſponte ſol „
radiat, dies illuminat, fons rigat, imber „
irrorat, ita ſe Spiritus cœleſtis infundit, „
poſtquam auctorem ſuum cœlum intuens „
anima cognovit, ſole altior, & hac omni „
terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, „
quod eſſe ſe credit. „ Hæc alibi etiam pro-
ſequitur, præſertim in exhortatione ad mar-
tyrium & de mortalitate, qui liber eorſum perti-
net, ut ad martyrium fideles animet, quod do-
num DEI ſit, atque ex alto robur flagitet.

Idem acta ſingula martyrum loquuntur. Im-
primis autem illuſtre eſt S. FELICITATIS
exemplum, quæ, cum in carcere pariens in- *Apud Va-*
ter dolores clamores edidiſſet, ac ingemuiſ- *leſ. p. 27.*
ſet, cuſtodum quidam illuſit, quid factura
ſit in amphitheatro ante beſtias projecta, ſi pa-
riens non ſuſtineret? Illa reſpondit: ſe nunc
pati, Dominum autem in ſe, & pro ſe paſſu-
rum in amphitheatro. Ita inter tormenta S.
THEODOTUS, cum initio ſtatim vultum *Boll. ad*
torqueret, atque judex hinc inſultaret, ſan- 18. *Maji.*
ctus martyr mox erectus etiam ad torturam *p.* 1616.
animare carnifices potuit, ut cernant, quam
CHRISTUS athletis ſuis daret patientiam.

Pa-

Serm. 274. Paria S. AUGUSTINUS de S. VINCENTIO refert. Et illuſtriſſimum exemplum in S. TARAQUO, & ſociis habetur, qui animoſius judici inſultabat, confiſus robore, quod athletis ſuis CHRISTUS conferat ad quidvis ſuſtinendum, ſoli DEO patientiam ſuam in acceptis referens. S. ACACIUS de ſe confitetur, ſe trepidantem ante pugnam, inter pugnam ſenſiſſe gaudium, & robur, quod DEUS ipſi dederit. Ita S. THEOGENES irriſit tormenta: *Quia*, ait, *CHRISTUS eſt fortitudo mea.* Contingebat quidem inter cruciatus nonnunquam dolores divinitus auferri, quod RUFINO THEODORUS confeſſus eſt; ſed martyres non tam hoc ſingulare privilegium, quam patientiam a DEO petebant inter dolores, quibus alias ſuis viribus ſuccumberent. Inſignis ejusmodi oratio habetur in actis SS. SATURNINI, DATIVI &c. Et in actis SS. TARAQUI, PROBI, & ANDRONICI. S. BASILISCUS, cum mater, & fratres plorarent, monuit, potius implorarent DEUM, ut victoriam reportare donet. Hæc pauca ſelegi exempla, ut conſtet in martyrio, ubi juſtificatio fide, & opere maxime elucet, DEI etiam maxime exſplendeſcere gratiam, atque neceſſariam eſſe.

Baron. ad an. 290.

Boll. ad 8. *Maji. p.* 763. §. 11.

Boll. 3. *Jan. p.* 1359. §. 5.

Boll. ad 11. *Maji. p.* 517. §. 10.

§. LXXXIV.

Merita noſtra dona Dei.

Hæc ſunt merita noſtra dona DEI, quibus juſtificati obtineamus præmium vitæ æternæ, quia juxta apoſtoli effatum: *Nemo coronatur, niſi legitime certaverit.*

2. *Tim.* II. 5.

Miſeri-

Miſericordia autem Domini ab æterno ſuper timentes eum, & juſtitia ejus in filios filiorum iis, qui ſervant teſtamentum ejus. Hæc ergo conditio nobis proponitur, hoc eſt teſtamentum, ac pactum noſtrum cum DEO, ut in vera fide firmis nobis, bene operantibus, ac fideliter in teſtamento ejus ambulantibus, merces retribuatur æterna, non meritis propriis, niſi per merita, & gratiam CHRISTI. Unde patet, qua injuria nobis inſultent Proteſtantes. Pſ. CII. 18.

Nuper tamen Cel. la PLACETTE *meritum pacti*, & *congrui* operibus tribuit. Et quando alias de præmio vitæ æternæ, gradibusque felicitatis æternæ, loquuntur, non poſſunt non noſtro more rem exprimere, & ſtatuere. Velim tantum legantur, quæ noviſſime theologus Lipſienſis FRID. FRISCHIUS integro libro commentatus eſt de præmio vitæ æternæ ſecundum teſtimonia novi teſtamenti: ubi ſtatim initio præmia vitæ æternæ definit: *Bona futuri ſæculi, & quidem talia, quæ DEUS ex libera gratia ſuis electis per CHRISTUM judicem deſignatum, in die noviſſimo, & judicio hominum univerſali, propter, & ſecundum opera ſua bona conferre promiſit, ut ſanctitatem rerum ſuarum majeſtaticam, atque eſſentialem ſuam juſtitiam remunerativam manifeſtaret, & ſalutem ſanctorum amplificaret.* p. 14. Conglomerat in hunc finem teſtimonia, quibus divinæ continentur promiſſiones, dandi unicuique ſecundum opera ſua, quæ quidem non eadem, ſed diverſa longe, & magno intervallo inter ſe ſunt diſparata, atque ſingulis etiam virtutibus, & cultui peculiari ſingularia ſunt deſtinata præmia. Idque ex eſſentiali DEI juſtitia, & ſanctitate concluditur, obedientiam

DEO

DEO præſtitam eſſe non poſſe vacuam, nec ſine remuneratione obſervantiam legum ſuarum; quæ etiam ſecundum majorem gradum obedientiæ, & virtutum amplianda ſint. Certe quidem nomen mercedis ſexcenties occurrit; ea autem meritis tribuitur, labori, & operibus.

Hinc autem totum divino muneri, & largitati in acceptis refertur, quia hoc ipſum miſericordiæ, & bonitatis divinæ eſt, quod etiam male merentibus nobis tanta largiatur dona, ut vita æterna in præmium cedat, hac conditione, ſi ei ſervitium alias debitum præſtemus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ait CHRISTUS. Et: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo.* Hinc PETRUS: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* JESUS autem omnibus indiſcriminatim promittit: *Quicunque reliquerit domum &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Promiſſum cadit in debitum; multo autem minime DEUS ſumme verax, & juſtus, eo defraudare poteſt. Quare S. CHRYSOSTOMUS illud CHRISTI ad filios ZEBEDÆI: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo*, ſic explicat, ut non pro voluntatis lubitu, ſed merito, & proportione operum, ac tolerantiarum DEUS id præſtet. Inter apophthegmata patrum a COTELERIO inſigne refertur ISAIÆ, qui aliquando petierit a domino terræ frumentum. Cui ille: *Tu ne meſſuiſti abba? Nequaquam, inquit abbas. Tum poſſeſſor: Quomodo igitur frumentum accipere vis, qui non meſſuiſti? At ſenex: Niſi ergo meſſuerit quis, non capit merce-*

Matt. XIX. 21.

v. 27.

Monum. eccl. gr. T. I. p. 445. & 446.

mercedem ? Agricola ; nullatenus. Fratribus autem rationem facti poſcentibus dixit ISAIAS: *Hoc ad exemplum feci, quod, niſi quis operatus fuerit, non percepturus ſit mercedem a DEO.*

Hanc ergo ob ſpem indubitatam tantopere in exercitiis pietatis deſudarunt ſancti. Dixit aliquis abbati JOAN. PERSÆ, ut apud eundem COTELERIUM habetur. *Tantum laboris tulimus propter regnum cœlorum ; an conſtituemur hæredes illius ? Cui ſenex : Credo ego conſecuturum me hæreditatem ſuperna Hieruſalem conſcriptæ in cœlis. Fidelis enim eſt, qui promiſit. Quare autem diffiderem ? Qui hoſpitalis extiti ut ABRAHAM, manſuetus ut MOYSES, ſanctus tanquam AARON, patiens ut JOB, humilis velut DAVID, eremi incola ut JOANNES, defletor ſicut HIEREMIAS, magiſter ut PAULUS, fidelis quaſi PETRUS, ſapiens ut SALOMON. Confido inſtar illius latronis, quod, qui per ſibi ingenitam bonitatem iſta mihi gratificatus eſt, etiam regnum largietur.* Huic non abſimilis eſt D. PAULI ſententia, non jactantiæ, ſed grati pro divinis beneficiis animi: *Abundantius omnibus laboravi : non ego autem, ſed gratia DEI mecum.* Quare plenus fiducia ad TIMOTHEUM ſcribit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex : non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Unde autem hæc ſperaret, ſuperiore loco jam dixerat: *Gratia DEI ſum id, quod ſum.* Et: *Gratia DEI vita æterna.* Utrumque in pſalmiſta notat S. HILARIUS in pſal. CXVIII. 146. „ *Clamavi ad te ſalvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua.* „

Ib. p. 505. *n.* 4.

1. *Cor.* XV. 10.

2. *Tim.* IV. 7.

„ *Litt.* 19. *n.* 3.

„ Sed

„ Sed qui clamavit, ut audiretur, & inqui-
„ reret juſtificationes DEI, nunc clamat, ut
„ ſalvus fiat, & cuſtodiat teſtimonia DEI.
„ Quantæ autem modeſtiæ ordinem tenuit?
„ Non ſtatim clamorem ſuum ſperare auſus
„ eſt proficere in ſalutem. Prius fuit, ut au-
„ ditione dignus eſſet, prius fuit ut juſtificatio-
„ nes inquireret. Merenda fuit auditio, ad-
„ hibenda inquiſitio, & ſalus poſt illa ſpe-
„ randa. Nos vero ſalutem tanquam debi-
„ tum poſtulamus: & veluti DEO ſit hanc
„ eandem præſtare neceſſe, primis ab eo pre-
„ cibus oramus. Atque utinam cordis clamo-
„ re loqueremur. Labia tantum noſtra, ſenſu
„ peregrinante, quod neſciunt murmurant:
„ & officium corpotis mens in res alias oc-
„ cupata non ſequitur. Propheta vero cum
„ poſt tot præcedentes antea preces, ut ſal-
„ vus eſſet, oraſſet, ſalutis ipſius ſtipendium
„ docet, dicens: *Et cuſtodiam mandata tua.*
„ Hæc fidei noſtræ militia eſt, cuſtodire man-
„ data, & veluti ſecreto fideliſſimo hunc the-
„ ſaurum depoſiti, & commendati nobis præ-
„ cepti reſervare. „

Nihil hoc modo deperit chriſtianæ humi-
litati, aut plus juſto arrogatur, dum debito
bonorum operum, donorum DEI, merces
ſperatur. „ Unde „ ſunt S. LEONIS verba,
Ep. ad Demetriadem prope finem.
„ cum ſanctorum animis ex DEO ſit, ut
„ illis meditatio juſta, petitio efficax, actio ex
„ DEO ſit, in fide firmitas, in tribulatione
„ patientia, in perſecutione victoria, magna
„ eſt in vera humilitate felicitas, cui DEUS
„ dilectio, DEUS ſapientia, DEUS con-
„ ſilium, DEUS fortitudo eſt. Nec dubie
„ iſta ſubjectio jam ex magna parte in illius
„ futuræ beatitudinis eſt conſtituta conſortio:

ubi

ubi DEUS erit omnia in omnibus. „ S. CLEMENS: „ Hoc eſt iter, cariſſimi, „ in quo ſalutare noſtrum invenimus, JESUM „ CHRISTUM, pontificem oblationum noſtrarum, infirmitatis noſtræ patronum, & „ auxiliatorem. Per hunc in cœlorum altitudines oculos defigemus; per hunc immaculatum, & ſupremum illius vultum ſpeculabimur; per hunc oculi cordis noſtri aperti „ ſunt: per hunc inſipiens, & obſcurata mens „ noſtra in admirabilem ejus lucem repullulat: „ per hunc voluit Dominus, ut immortalem „ cognitionem guſtaremus. „ *Ep. I. ad Cor. n. 36.*

§. LXXXV.

Juxta legem evangelicam.

Evangelium tantum abeſt ut nos exleges faciat, aut nullam nobis officiorum obligationem imponat, ut potius ad ſummam manuducat perfectionem, ſi cœleſtis gloriæ participes eſſe petamus.

In hoc orbe poſitus homo nobiliſſimum animal, atque ad hoc natura rationali formatus non ſolum, ſed etiam revelatione ſingulari, DEI cum humano genere commercio, inſtructus, ne in quoquam deficiat, ſed perfectus ſit homo in omnibus operibus ſuis, ſicque DEI gloriam, & ſuam ſalutem obtineat. Ab hoc cum turpiter deflexerint homines, atque pravitate ſua in malum proni abeant, CHRISTUS venit in mundum, nova præcepta dedit mundo, & præcones undique miſit. Hinc apoſtolos ſuos vocat lucem mundi, ut omnibus luceat. *Sic luceat lux veſtra coram* *Matt. V.*

hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et ſtatim ſequitur: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum, & terra, Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Ne autem videatur hoc de figuris tantum veteris teſtamenti, ac promiſſionibus implendis in novo teſtamento dici, ſubjungit: *Dico enim vobis, quia, niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam ſcribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et mox exempla addit legis veteris in nova perficiendæ: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides &c. ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio &c.* Sic per reliqua præcepta eundo perfectionem novi teſtamenti præ veteri in ſingulis oſtendit uſque ad dilectionem inimicorum, ſingulare evangelii præceptum: *Ut*, inquit, *ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater cæleſtis perfectus eſt.*

Sic ſermonem illum concludit CHRISTUS, cujus totus nexus oſtendit, quam aberrent, qui diſcrimen vetus inter, ac novum teſtamentum hoc ſtatuunt, quod illic locum ſolum habuerint præcepta legis, hic promiſſiones gratiæ: quaſi efficacia gratiæ ad operandum

bo-

bonum, ad renovationem, ſanctificationemque noſtram non ſit ipſa illa lex gratiæ, cui promiſſiones vitæ æternæ ſunt factæ; ſi conditiones rite impleverimus, atque actiones noſtras omnes ad normam nobis in evangelio præſcriptam, & ad exemplum in CHRISTO propoſitum exegerimus.

Hoc in toto ſuo complexu continet evangelium, omnem juſtitiam, & perfectionem omnium facultatum noſtrarum, & actionum ad debitum finem gloriæ divinæ, & ſalutis animarum noſtrarum; non in fide tantum, ſed etiam operibus, non tam operationibus intellectus, quam voluntatis in converſione a viis pravis, dignis operibus pœnitentiæ, omnis generis officiis charitatis erga DEUM, & proximum, in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Si præcepta ſingula evangelii percurramus, ſi vitam CHRISTI conſideraverimus, intelligemus, quanta nobis via reſtet; quem imitandum ſuſceperimus, & quid agendum. Patebit differentia exteriorum cæremoniarum veteris legis, qua ſola mole ſoluti ſumus, manente lege morali, & ad ſummum apicem perducta, non onere legis ſalutis nobis, ſed gratiæ ſuavitate ſublevatis. Legendus eſt S. JUSTINI dialogus cum TRYPHONE, ubi hoc argumentum egregie tractatur, atque eo tandem Judæus ille deducitur, ut perfectionem novæ præ veteri lege agnoſcat non in eo, quod chriſtiani expedire ſe legibus velint, ſed tales ſuſcipiant, quibus implendis ſuapte natura homo impar ſit, niſi gratiæ opitulatio ſuccurreret, vocante nos ad ſe CHRISTO: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati* 28. *Matt. XI.*

rati eſtis, & ego reficiam vos. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.

Vid. hom. 38. &c. S. Chryſoſt. in Matt.

Sed ſuavitas hæc inter dura, & difficilia præcepta renuntiandi rebus omnibus, & ſumendi crucem ſuam in CHRISTI imitatoribus conſpicua eſt: quatenus dat nobis evangelium cor novum, & ſpiritum novum, legemque non tam in tabulis lapideis deſcripſit, uti fuit vetus MOYSIS. „ Ille quidem„ inquit, EUSEBIUS, „ in tabulis inanimatis, hic „ autem in mentibus vita præditis, perfecta „ novi teſtamenti documenta deſcripſit: ejus „ vero diſcipuli ad magiſtri ſui nutum auribus „ multorum doctrinam ſuam accomodantes, „ quæcunque quidem veluti ultra habitum pro„ greſſis, a perfecto ipſorum magiſtro præce„ pta fuerant, ea iis, qui capere poterant, „ tradiderunt, quæcunque vero iis convenire „ arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus „ obnoxias gererent, curationisque indigentes: „ ea ipſi ad imbecillitatem multorum ſe demit„ tentes partim litteris, partim ſine litteris, „ quaſi jure quodam non ſcripto ſervanda com„ mendarunt. „ Refert deinceps duplicem in chriſtianiſmo vivendi modum, perfectiorem, & remiſſiorem, atque humaniorem vulgi. Quod ipſum præſtantiam evangelicæ doctrinæ, ac vitæ commendat ad ſummam perfectionem tendentis, ſed infirmitati tamen etiam condeſcendentis. Quin poſſint ad apicem impleri, dubium non eſt, neutiquam, ut ille monachus exiſtimavit, a S. PACHOMIO quæſitus de illo evangelico præcepto odio habendi patrem, & matrem ſuam, ac ſi evangelium grandia petat, tantum ut ex parte compleamus. Quo ſermone ſcandalizatus ſanctus abiit. Hæc non fruſtra hodie dicuntur.

L. I. demonſtrat. Evang.

Boll. T. III. Maji. append. p. 36. C. D.

Om.

Omnium autem minime lex evangelii tantum in fide ſubſiſtit, ut omnino legis rationem non habeat, nec ex obſervantiâ mandatorum, & obedientia juſtificatio noſtra pendeat, qua & glorificamur; licet, ut in ſuperioribus eſt dictum, fides ſit radix, & fundamentum virtutum evangelicæ perfectionis: ſed legem evangelicam non conficit, aut ſola ſalutis eſt cauſa. *Sciendum eſt*, habet primum reſponſorum NICOLAI I. ad conſulta Bulgarorum caput, *quia in fide, & bonis operibus lex chriſtianorum ſubſiſtit. Nam fides prima eſt omnium virtutum in converſatione credentium. Unde & prima die lux eſſe dicitur, cum a DEO, fiat lux, dictum fuiſſe deſcribitur, id eſt illuminatio credulitatis appareat. Siquidem & propter hanc CHRISTUS in terram deſcendit; opus autem bonum nihilominus a chriſtiano exigitur, quemadmodum in lege noſtra ſcriptum eſt: Corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. Hæc eſt lex chriſtiana, hæc eſt, quam quisque legitime cuſtodiens omnino ſalvabitur.*

§. LXXXVI.

Quæ eſt ſchola vitæ ſpiritualis.

Evangelium, ac lex CHRISTI, ſchola eſt, & diſciplina verarum virtutum ad profectum vitæ ſpiritualis, & æternæ, quo deſtinati ſumus.

Hoc ſtudium ſemper fuit, & contentio piorum in CHRISTO fidelium omnium: hoc juxta apoſtolum eſt exuere veterem hominem cum actibus ſuis, & induere novum, qui ſecundum DEUM creatus eſt in juſtitia, & ſancti- *Eph. IV.* 24.

ſanctitate veritatis. Hæc eſt reformatio imaginis DEI, quam primus ADAM in nobis corrupit, ſecundus ADAM autem CHRISTUS, ut reſtauraret, venit in mundum, exemplum præivit, & normam dedit, quam omnes tenere debent, ac tenuerunt, qui veri chriſtiani cenſentur. „ Videamus „ inquit S. CLEMENS, „ quod in bonis operibus „ ornati fuerunt omnes juſti. Et ipſe ergo „ Dominus, cum ſe operibus decoraſſet, gaviſus eſt. Habentes itaque hoc exemplar, „ impigre ad voluntatem ejus accedamus; ex „ totis viribus noſtris operemur opus juſtitiæ. „ Bonus operarius cum fiducia panem operis „ ſui accipit: ſegnis vero & remiſſus locatorem ſuum non obtuetur. Oportet ergo nos „ ad bonum faciendum promtos eſſe, ex hoc „ enim omnia conſtant. Quippe nobis prædicit: *Ecce Dominus, & merces ejus coram illo, ut reddat unicuique ſecundum opus ſuum.* Itaque nos ex toto corde hortatur ad hoc, ne ſegnes ſimus, & deſides „ ad omne opus bonum. Gloriatio noſtra, „ & fiducia in ipſo ſit, voluntati ejus ſubjiciamur. „ Et poſtea: „ Nos igitur ſummo „ ſtudio contendamus in numero exſpectantium eum reperiri, ut participes fiamus donorum promiſſorum. Quomodo autem eveniet iſtud, dilecti? Si mens noſtra in DEUM „ fide ſtabilita fuerit: ſi placita illi, & accepta „ exquiſiverimus: ſi perfecerimus, quæ ad inculpatam ejus voluntatem pertinent, & ſecuti fuerimus viam veritatis. „ Hæc, aliaque ex S. CLEMENTE notaſſe juvat, ne eum forte in ſuas partes trahere nitantur adverſarii, qui antea dixerat, per fidem nos, ſicut cunctos, qui unquam juſti fuerunt, juſtificare DEUM. At mox objectioni occurrit,

Ep. I. ad Cor. n. 33. &c.

n. 35.

n. 32.

n. 33.

rit. „ Quid igitur faciemus fratres? Ceſſa- „
bimus a bonis operibus, & charitatem de- „
relinquemus? Neutiquam hoc a nobis fieri „
permittat Dominus: ſed cum diligentia, & „
alacritate feſtinemus omne opus bonum per- „
ficere. Ipſe namque opifex, & Dominus „
omnium in operibus ſuis exultat. „ Opus tunc fuit diſtinctim de his agere, quæ ſunt conjunctiſſima apud chriſtianos, ob alienos a fide, qui virtutes jactantes, exiſtimaverunt inde juſtificari nos ſine fide, ac gratia. Huc ORIGENES illud *Numer. XVIII.* 8. interpretatur: *Ex omnibus, quæ ſanctificantur mihi a filiis Iſrael. Nec hoc*, inquit, *ſine ſacramento dicitur, non vult enim DEUS aliunde accipere primitias, niſi a ſanctificatis Iſrael. Poterat enim fieri, ut & apud gentiles invenirentur aliqua opera digna DEO. Excoluerunt enim & inter illos aliqui virtutes animi, & philoſophia in nonnullis egit aliquantulum, ſed non vult illa offerri in primitiis. Ex illis vult DEUS benefacta ſuſcipere, quorum mens videt DEUM, & qui ſanctificati ſunt DEO per fidem. Gentili autem, etiamſi aliquid honeſtum, & probabile habere videatur in motibus, hoc ipſo quod non DEO adſcribit animi virtutem, ſed jactantiæ ſuæ deputat, non eſt ſanctificata hujusmodi probitas, & ideo non recipitur inter primitias.* *Hom. XI. n. 7.*

S. AUGUSTINO cum Pelagianis de hac re negotium fuit, qui gratiam negantes naturæ omnia indulſerunt, eorum virtutes, qui extra CHRISTI caſtra meruerunt, objicientes. Quas ille, quidquid continent boni, divino muneri tribui vult, nec tamen veras extra fidem CHRISTI virtutes agnoſcit,

Cont. Jul. Pelag. L. IV. c. 3. n. 16. 17.

„ Quanto ergo tolerabilius, „ JULIANUM alloquitur, „ illas, quas dicis, in impiis „ eſſe virtutes, divino muneri potius, quam „ eorum tribuere tantummodo voluntati, licet „ ipſi hoc neſciant, donec, ſi ex illo ſunt præ„ deſtinatorum numero, accipiant ſpiritum, „ qui ex DEO eſt, ut ſciant, quæ a DEO „ donata ſunt eis. Sed abſit, ut ſit in aliquo „ vera virtus, niſi ſit juſtus vere, niſi vivat ex „ fide. *Juſtus enim ex fide vivit.* Quis porro „ eorum, qui ſe chriſtianos haberi volunt, niſi „ ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam forte tu ſo„ lus, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit „ impium, juſtum dixerit diabolo mancipatum? „ Sit licet ille FABRICIUS, ſit licet FA„ BIUS, ſit licet SCIPIO, ſit licet REGULUS.„ Hujusmodi nimirum exempla proferuntur etiam philoſophorum, qui ex virtute vixiſſe ſunt viſi, & multa eximia egerunt. Quæ, qualiacunque ſunt, ad veram juſtitiam, juſtificationemque non pertinent, quæ eſt ex CHRISTO. „ Ac per hoc„ inquit S. AUGUSTINUS, „ CHRISTUS gra„ tis mortuus eſt, ſi homines ſine fide CHRI„ STI ad fidem veram, ad virtutem veram, ad „ juſtitiam veram, ad ſapientiam veram, quacunque re alia, quacunque ratione perve„ niunt. Prorſus ſicut de lege veriſſime ait „ apoſtolus, *ſi per legem juſtitia, ergo CHRI„ STUS gratis mortuus eſt:* ita veriſſime di„ citur, ſi per naturam, voluntatemque juſti„ tia, ergo CHRISTUS gratis mortuus eſt. „ Si per doctrinas hominum qualiscunque ju„ ſtitia, ergo CHRISTUS gratis mortuus „ eſt. Per quod enim eſt vera juſtitia, per hoc „ etiam regnum DEI.

Sed ex hoc concludi non debuit, omnes infidelium virtutes, & opera eſſe peccata pro-

prie

prie ſic dicta, niſi quatenus perverſo fine corrumpuntur: nec meritoria eſſe poſſint vitæ æternæ. „Hoc ſummum bonum„ inquit S. AUGUSTINUS, „præſtari hominibus non poteſt, niſi per CHRISTUM, & „ hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, „ cujus vulneribus natura noſtra ſanatur. Ideo „ juſtus ex fide CHRISTI vivit. Ex hac „ enim fide prudenter, fortiter, temperanter „ & juſte, ac per hoc his omnibus veris virtutibus recte, ſapienterque vivit, quia fideliter „ vivit. Si ergo ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, „ quæ in CHRISTO eſt vera, promittit, „ nihil proſunt homini virtutes, nullo modo „ veræ poſſunt eſſe virtutes.„ Agit deinde de lubrica actionum humanarum ſpecie virtutem mentientium. Quomodo plerumque ſecundum diverſas affectiones, & genia hominum contingit, aliusque præ alio ad virtutem ſuapte natura compoſitus videtur: ſed ut recte exigantur, ex fide, & gratia CHRISTI venit, ut nequaquam opera ſine fide, ſicut nec fides ſine operibus perfecta juſtificatio ſit. „Ut enim actio„ inquit S. GREGORIUS NAZ. *Orat. 28.* „ſi a fide deſeratur, laudem non meretur „ (quandoquidem multi gloriæ ſtudio, atque „ etiam a natura ita informati, virtutem colunt) ita fides ſine operibus mortua eſt. Ac „ videte, ne quis eorum, qui omnia omnibus „ ac una de cauſa facile concedunt, ut impia „ dogmata complexentur, malamque rei malæ „ mercedem perſolvunt. Ex operibus ergo fidem, terræque veſtræ fœcunditatem oſtendite, ut perſpicuum fiat, an fruſtra fementem „ fecerimus, an manipulus quidam in vobis reperiatur, ex quo confici ſarcina queat, di-„

Ib. n. 19.

„ gnusque qui in horreum inferatur. „ Occulte MAXIMUM philoſophum perſtringit, cujus opera fidei non reſpondebant virtutibus fœcundæ, quæ totum permutat hominem, ut expertus teſtatur S. CYPRIANUS: *Scis ipſe profecto, & mecum pariter recognoſcis*, ad DONATUM ſcribit, *quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors iſta criminum, vita vitiorum.* Loquitur de effectu mirabilis converſionis ſuæ, dum primum eſſet regeneratus per baptiſmum, ſentiens fœcunditatem virtutum. Idem alia exempla docent, imprimis S. PAULINI, qui tamen, ut in ſcriptis ejus notavit S. AUGUSTINUS, ne iterum in præceps agatur tentationibus, continuo ad DEUM ingemiſcebat. Quæ nimirum ab interioribus, & externis hoſtibus homini ad luctam relinquuntur, ut ſemper agnoſcat, quid gratia operetur. Qui hoſtes ſunt deſtruendi, ut virtutis ædificium conſurgat: *Niſi totum deſtruxiſſem, non potuiſſem meipſum ædificare, atque conſtruere*, ajebat abbas ALONIUS.

Apud Cotel. Mon. Græ. T. I. p. 397.

§. LXXXVII.

Ac bonorum operum.

Omnis generis operum exercitium partim præcipit, partim conſulit, & ſuadet nobis evangelium, quibus ad pietatem exerceamur, & in vita ſpirituali ad noſtram ſalutem proficiamus.

Eſt hæc aſceſis chriſtiana omnibus quidem fidelibus excolenda, ſed pro majori, aut minori perfectionis ſtudio diverſimode a variis hominum generibus, & ſtatibus exculta. S. ISIDO-

DORUS PELUSIOTA ejus nobis tres partes distinguit: orationem, virtutem, & fidem. „ Res itaque „ scribit ad HARPOCRAM sophistam „ divina oratio est, at „ virtus divinior est, diviniſſima vero fides. „ Primum orationem quidem censeo velut ornatum esse: virtutem vero velut corpus: & „ fidem velut animam. Igitur cui hæc tria „ suppetunt, excellens, perfectusque est vir: „ qui vero aliquo deficitur, tum eo quod sit „ maxime præferendum, non est numeris absolutus omnibus, quia aliquo destituitur. „ Siquidem magnopere differunt. Illud enim „ magnum, majus alterum, tertium vero maximum; at necessaria est conjunctio. Oratio enim, etsi magis quam torrens fluat, „ quomodo ornabit eum, qui virtutem veluti corpus non possideat? Si enim non sit, „ qui ornetur, supervacaneum fuerit ornamentum. Quomodo vere auditum quis non „ conturbet sola voce de philosophia ratiocinando? Præstat corpus sine ornatu habere, quam ornatum sine corpore. Virtus „ autem, quomodo non mortua existimetur, nisi fide animetur? Fides rursus qualis appareat virtute destituta, per quam operetur?„ Sumit hic orationem generalius, quæ alias prout non tam sermone constat, quam supplici mentis ad DEUM elevatione, & prima, & præcipua inter pietatis opera habetur, atque infirmitatum nostrarum in vita christiana unicum apud DEUM refugium. *L. I. epist. 162.*

Orationi pleramque in scripturis jejunium conjungitur, sive ad fidei securitatem in tantis errandi periculis, sive ad virtutum, quæ in arduo positæ sunt, in hac naturæ nostræ pravitate, ac tot tentationibus incrementa.

Quo

Epiſt. ad Philip. n. 7. 8. *Quocirca*, ſcribit S. POLYCARPUS, *derelicta plerorumque vanitate, falſisque doctrinis ad traditum nobis ab initio ſermonem revertamur, vigilantes in orationibus, & perſeverantes in jejuniis, precibus rogantes omnium conſpectorem DEUM, ne nos inducat in tentationem; ſicut dixit Dominus: Spiritus quidem promtus eſt: caro autem infirma. Indeſinenter ergo perſeveremus in ſpe noſtra, & pignore juſtitiæ noſtræ, quod eſt* 2. *Cor. VI.* *Chriſtus JESUS.* Hæc arma militiæ noſtræ vocantur in ſcripturis, quibus nos inſtruxit CHRISTUS: *Arma autem hæc noſtra ſunt*, inquit MAXIMUS TAURIN. *Hom. I. apud Mabill. Muſ. It. T. I. part. 2. p. 10.* *quibus nos ſalvator inſtruxit: oratio, miſericordia, atque jejunium. Jejunium enim melius, quam murus tuetur: miſericordia facilius liberat, quam rapina: oratio longius vulnerat, quam ſagitta.*

Agit ibi de præſentanea neceſſitate irruptionis barbarorum: nunquam autem in hac vita neceſſitates deſunt, eſtque pars hæc juſtitiæ noſtræ in hac vita, ut in his jugiter exerceamur. *Quamdiu ergò peregrinantes*, ſunt verba S. AUGUSTINI, *De perfect. juſt. c. 8.* *a Domino per fidem ambulamus, non per ſpeciem, unde dictum eſt: Juſtus ex fide vivit; hæc eſt noſtra in ipſa peregrinatione juſtitia, ut ad illam perfectionem, plenitudinemque juſtitiæ, ubi in ſpecie decoris ejus jam plena, & perfecta charitas erit, nunc ipſius curſus rectitudine, & perfectione tendamus, caſtigando corpus noſtrum, & ſervituti ſubjiciendo, & eleemoſynas in dandis beneficiis, & dimittendis, quæ in nos ſunt commiſſa peccata, hilariter, & ex corde faciendo, & orationibus indeſinenter inſtando, & hæc faciendo in doctri-*

na

na ſana, qua ædificatur fides recta, ſpes firma; charitas pura. Hæc eſt nunc noſtra juſtitia, qua currimus eſurientes, & ſitientes ad perfectionem, plenitudinemque juſtitiæ, ut poſtea ſaturemur: unde Dominus in evangelio cum dixiſſet, Nolite facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis; ne iſtum noſtrum curſum ſine humanæ gloriæ metiremur, non eſt in expoſitione juſtitiæ ipſius executus, niſi tria iſta, jejunium, eleemoſynas, orationes; jejunio ſcilicet univerſam corporis caſtigationem ſignificans, eleemoſynis omnem benevolentiam, & beneficentiam vel dandi, vel ignoſcendi, & oratione inſinuans omnes regulas ſancti deſiderii.

Sic ergo S. AUGUSTINUS conſtituit perfectionem juſtitiæ: dantur autem ad eam varia media, præcepta, & conſilia evangelica pro diverſo gradu perfectionis emetiendæ, quamvis ea in hac vita nunquam obtingat; illi tamen eo propius acceditur, quo magis quis a rebus commutabilibus abſtractus ad unum incommutabilem DEUM affigitur. Huc pertinet illud abbatis ALONII apophthegma: *Niſi homo dixerit in corde ſuo, Ego ſolus, & DEUS ſumus in mundo, requiem non obtinebit.* *Cotel. Mon. gr. T. I. p. 397.*

Huc pertinent item abrenuntiationes, quas omnes chriſtiani in baptiſmo faciunt, monachi autem renovant in profeſſione religioſa, quæ ideo ſecundus baptiſmus dicitur. Eas PAPHNUTIUS juxta patrum doctrinam, & ſcripturarum auctoritatem tres ſtatuit. „Prima eſt, qua corporaliter ſpernimus, exteriusque relinquimus univerſas mundi divitias. Secunda eſt, qua reſpuimus, ac vitamus priſtinos mores, pravos affectus, & „ *Caſſian. collat. III. c. 6.*

„ vitia

„ vitia carnis, ac ſpiritus. Tertia, qua mentem noſtram abſtrahentes a viſibilibus, & „ præſentibus univerſis, contemplamur ſola „ æterna, atque inviſibilia toto appetimus corde. Unde & legimus, Dominum ABRAHÆ præcepiſſe, ut hæc tria ſimul perficiantur: *Exi*, inquit, *de terra tua*, & „ *de cognatione tua*, & *de domo patris tui.* „ Primo dixit *de terra tua*, id eſt, de facultatibus mundi hujus, opibusque terrenis. „ Secundo *de cognatione tua*, id eſt, de converſatione, ac moribus, & peccatis prioribus, quæ nobis a nativitate noſtra cohærendo cognata ſunt, quaſi affinitate, conſanguinitateque aliqua. Tertio *de domo patris tui*, id eſt, de omni memoria ſæculi, „ quæ occurrit menti. „ Quoniam vero in his nemo ad ſummum omnino pervenit in hac vita, pro vario anniſu omnes conniti debent, quæ eſt proſecutio juſtitiæ chriſtianæ. „ Ego „ volo „ dicebat abbas JOANNES, „ ut „ homines parum ex omnibus virtutibus percipiant. Itaque ſingulis diebus mane exurgens, capé principium ad omnem virtutem, „ mandatumque DEI, in maxima patientia, „ cum timore, & æquanimitate, in charitate „ DEI cum omni alacritate animæ, & corporis, cumque humilitate multa, in tolerantia tum afflictionis cordis, tum cuſtodiæ „ in oratione multa, & deprecationibus, cum „ gemitu, puritate linguæ, & cuſtodia oculorum: inhonoratus nec iraſcens, pacificus „ nec reddens malum pro malo; non attendens ad aliorum delicta; non teipſum metiens, ſed ſub omni exiſtens creatura: per „ renunciationem materiæ, rerumque carnalium, in cruce, certamine, paupertate ſpiritus,

Cotel. Mon. gr. T. I. p. 480.

titus, in voluntate, & exercitatione ſpiri- „
tuali, in jejunio, pœnitentia, fletu, in ago- „
ne prælii, in diſcretione, in animæ ſancti- „
monia, in perceptione bona: cum quiete „
opus manuum exercendo: in nocturnis vi- „
giliis, fame, ſiti, frigore, nuditate, labo- „
ribus: atque occludito ſepulchrum tuum „
quaſi jam mortuus. „

§. LXXXVIII.

Jejunii ſaluberrima eſt inſtitutio, ac ἄσκησις non quaſi immundum aliquid ſit in cibis, aut rebus naturæ, ſed ad edomandam carnem, ac ceu victimam DEO immolandam. Inter quæ Jejunium.

Diſcipuli S. JOANNIS Bapt. CHRISTO hanc moverunt quæſtionem: *Quare nos, & Phariſæi jejunamus frequenter: diſcipuli autem tui non jejunant?* Quibus ille reſpondit, non jejunium improbando, ſed ſignificando piam diſpenſationem charitatis, & diſcretionis plenam: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus: & tunc jejunabunt.* Addit autem comparationem panni rudis cum veſtimento veteri, & vini novi cum utre vetere, quorum neutrum cum altero bene conveniat, ut indicet, ſeſe hactenus infirmitati diſcipulorum indulgere. In S. JOANNE tamen, antequam naſceretur, hoc ceu inſigne ab angelo prædicatur: *Erit enim magnus coram Domino: & vinum, & ſiceram non bibet &c.* Et in vidua hoc commendat idem evangeliſta: *Quæ non diſcedebat de templo, jejuniis,* *Matt. IX.* 14. *&c.* *Marc. II.* 18. *&c.* *Luc. V.* 35. *Luc. I.* 15. *Luc. II.* 37.

&

& obſecrationibus ſerviens nocte, ac die. Ne quid de CHRISTI Domini jejunio quadraginta dierum, & noctium dicam.

Semper autem tam in veteri, quam novo teſtamento ſaluberrima fuit jejunii obſervantia; ſed ob pravos errores fuit aliqua exceptione opus haud ſecus, ac in conjugii abſtinentia. Ea habetur in canone apoſtolorum quinquageſimo: *Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quivis omnino de ſacerdotali conſortio, nuptiis, & carnibus, & vino abſtinuerit, non propterea, quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, ſed propter abominationem, oblitus, quod omnia pulchra valde, & quod maſculum, & fœminam creavit hominem, ſed diffamationibus laceſſens creationem DEI, vocat ad calumniam, aut corrigitor, aut deponitor, & ex eccleſia ejicitor. Conſimiliter laicus.* Fuit hac lege opus contra Encratitas, Marcionitas, Manichæos &c. atque Montaniſtæ etiam, & alii, contra eccleſiæ morem, jejunia, ac ἐθελοθρησκείαν inducentes, fuerant coercendi. Abſtinentiam autem ſalubrem ſemper tenuit eccleſia ad exercitationem pietatis. „ Meminimus „ inquit TERTULLIANUS „ gratiam nos debere Domino DEO creatori: nullum fructum operum ejus repudiamus. Plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur. „ Ita multi „ inquit S. AUGUSTINUS, neque veſcuntur carnibus, neque tamen eas immundas ſuperſtitioſe putant. Itaque iidem ipſi, qui ſæpi temperant, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti ſine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo ſe coinquinari arbitantur ... Et ſtulte nonnullos recuſantes fraterne admonent, ne vana ſuper-

Apolog. c. 42.

De mor. eccl. catb. L. I. c. 33.

ſuperſtitione debiliores citius, quam ſanctiores fiant. „ Et contra FAUSTUM Manichæum: „ Chriſtiani non hæretici, ſed catholici edomandi corporis cauſa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa eſſe immunda credant, non ſolum a carnibus, verum a quibusdam etiam terræ fructibus abſtinent; vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam fere omnes, quanto magis quisque vel minus ſeu voluerit, ſeu potuerit. „ S. CYRILLUS eundem caſtum jejunii apud chriſtianos uſum contra JULIANUM apoſtatam defendendum ſuſcepit, non quod aliquid in cibis impuri agnoſcant, ſed ob majoris perfectionis, & abſtinentiæ ſalutaris ſtudium. Contra Priſcillianiſtas concilium Braccarenſe iterum hic ſalutarem cautionem fecit can. 14. *Placuit, ut, quicunque in clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis vel olera cocta cum carnibus tantum guſtare cogantur.*

L. XXX. c. 5.

L. VII. cont. Jul.

T. V. Concil. p. 841.

Quanto autem in pretio ſemper fuerit habitum jejunium, & abſtinentia apud chriſtianos, non eſt opus referre: loquuntur id tot ſtati dies, ac anni tempora: tot ſermones, ac libri integri in illius commendationem. Imprimis S. CHRYSOSTOMI homiliarum integra ſeries, quas Antiochiæ ſingulis fere Quadrageſimæ diebus habuit, ſi quis deſideret, guſtum ſatiabunt, atque utilitates maximas oſtendent; neglectum autem ita damnant, ut facile quis ab eo revocetur. Singularis etiam in hac materia eſt liber lectu digniſſimus S. AMBROSII de ELIA, & jejunio, in quo exempla omnis generis hominum accumulat, atque illius præcepti originem inde a ſtatu in-

nocentiæ pomi vetiti deducit. S. LEONIS P. ſermones plures pro occaſione ſtatorum dierum jejunii Quadrageſimæ, & aliorum temporum ſeptimi, & decimi menſis, excellentiſſimi ſunt in hoc genere. Nec ſatis eſſe putat pro epiſcopali munere adhortari, quin & præcepta dentur. „ Nos oportet „ inquit „ ſacratiſſimam conſuetudinem celebrare, ut per humilitatem jejunii contra omnes hoſtes noſtros divinum mereamur auxilium: res enim eſt præcipui operis, quam & ex auctoritate indicimus, & ex charitate ſuademus. „ Nec moratur, quod inter cæremoniales leges hæc etiam fuerint in veteri teſtamento: „ Cum ergo vos „ inquit, „ dilectiſſimi, ad quædam, quæ etiam in veteri teſtamento inſtituta ſunt, cohortamur, non Judaicæ vos obſervantiæ jugo ſubdimus, nec conſuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellit ſuper illorum jejunia continentia chriſtiana: & ſi quid vobis, atque illis commune eſt in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi nudipedalia ſua, & in triſtitia vultuum oſtendant otioſa jejunia: nos in nullo ad habitus noſtri honeſtatem diſſimiles, nec a juſtis, & neceſſariis operibus abſtinentes, edendi licentiam ſimplici parcitate cohibemus: ut in uſu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur. Quamvis autem unicuique noſtrum liberum ſit voluntariis caſtigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatius, nunc vero diſtrictius repugnantes ſpiritui carnales concupiſcentias edomare: quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium: & tunc eſt efficacior, ſanctiorque devotio, quando in operibus pietatis totius eccleſiæ unus eſt „ ani-

Serm. 84.

Serm. IV. de Jejun. VII. menſ.

animus, unus ſenſus. Publica enim præ- "
ferenda ſunt propriis, & ibi intelligenda eſt "
præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura "
communis.

§. LXXXIX.

Abſtinentiæ germana ſoror eſt eleemoſyna, ac opera quævis juſtitiæ, & miſericordiæ erga proximum egentem, ut & nos miſericordiam conſequamur. Eleemoſynæ.

„ Jejunium hoc „ inquit Paſtor „ cuſtodi- " *Hermæ*
tis mandatis Domini, valde bonum eſt. Sic " *paſt. L.*
igitur ſervabis illud. Primum omnium cave " *III. ſim.*
ab omni pravo, & turpi verbo, & ab omni " *5. n. 3.*
noxia cupiditate, & purifica ſenſum tuum "
ab omni vanitate ſæculi hujus. Si hæc cu- "
ſtodieris, erit hoc jejunium juſtum. Sic "
ergo facies. Peractis, quæ ſupra ſcripta "
ſunt, illo die, quo jejunabis, nihil omni- "
no guſtabis, niſi panem, & aquam; & com- "
putata quantitate cibi, quem cæteris diebus "
comeſturus, ſumtum diei illius, quem fa- "
cturus eras, repones, & dabis viduæ, pu- "
pillo, aut inopi, & ſic conſummabis humi- "
litatem animæ tuæ, ut, qui ex eo acceperit, ſatiet animam ſuam, & pro te adeat Dominum DEUM oratio ejus. „ Ita paſſim SS. PP. unitis veluti viribus, & conjunctis operibus juſtitiæ, expugnandum tribunal divinum, & operibus miſericordiæ divinam miſericordiam flectendam volunt, maxime autem ut miſericordes ipſi miſericordiam ejus commereamur. „ Illud ergo „ inquit ALCUINUS „ jejunium approbat Dominus, " *De div. of-*
„ quod *fic. Tit. de*

quadrageſima.

" quod ad ejus oculos manus eleemoſynarum
" levat: quod cum proximi dilectione agitur,
" quod ex pietate conditur: hoc ergo, quod
" tibi ſubtrahis, alteri largire: & unde tua
" caro affligitur, inde egentis proximi caro
" reparetur. Hinc enim per prophetam Domi-
" nus dicit: *Cum jejunaveritis, & planxe-*
" *ritis, nunquid jejunium jejunaſtis mihi?*
" *Et cum comediſtis, & bibiſtis, nunquid*
" *non vobis comediſtis, & vobismetipſis bibi-*
" *ſtis?* Sibi enim comedit, & bibit, qui ali-
" menta corporis, quæ ſunt communia dona
" conditoris, ſine indigentibus percipit: Et
" ſibi quisque jejunat, ſi ea, quæ ſibi ad tem-
" pus ſubtrahit, non pauperibus tribuit, ſed
" ventri poſtmodum offerenda cuſtodit. Hinc
" per JOELEM dicitur: *Sanctificate jeju-*
" *nium.* Jejunium quippe ſanctificare, eſt ad-
" junctis bonis aliis dignam DEO abſtinen-
" tiam carnis oſtendere. Ceſſet ira, ſopian-
" tur jurgia &c. Sic ſic nobis pœnitentibus,
" & afflictis a DEO dimittitur, quod injuſte
" egimus, ſi pro amore illius & hoc, quod
" nobis juſte competit, relaxamus. "

De opere, & eleemoſ. prope initium.

Ita operibus miſericordiæ divinam nobis conciliamus miſericordiam. " Nec haberet " inquit S. CYPRIANUS, " quid fragilita-
" tis humanæ infirmitas, atque imbecillitas
" faceret, niſi iterum pietas divina ſubveniens,
" juſtitiæ, & miſericordiæ operibus oſtenſis,
" viam quandam tuendæ ſalutis aperiret, ut
" ſordes poſtmodum, quascunque contrahi-
" mus, eleemoſynis abluamus. Loquitur in
" ſcripturis Spiritus ſanctus & dicit: *Eleemo-*
" *ſynis, & fide delicta purgantur.* Non uti-
" que illa delicta, quæ fuerant ante contra-
" cta:

cta: nam illa CHRISTI ſanguine, & ſanctificatione purgantur. Item denuo dicit: „ ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna „ extinguit peccatum. Hic quoque oſtenditur, „ & probatur, quia ſicut lavacro aquæ ſalutaris „ gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis, „ atque operibus juſtis delictorum flamma ſo- „ pitur. Et quia ſemel in baptiſmo remiſſio „ peccatorum datur, aſſidua, & jugis operatio „ baptiſmi inſtar imitata, DEI rurſus indul- „ gentiam largitur. Hoc & in evangelio Domi- „ nus docet: nam cum denotarentur diſcipuli „ ejus, quod ederent, nec prius manus abluiſ- „ ſent, reſpondit, & dixit: *Qui fecit, quod* „ *intus eſt, fecit & quod foris eſt: verum da-* „ *te eleemoſynam, & ecce vobis munda om-* „ *nia:* docens ſcilicet, & oſtendens, non ma- „ nus lavandas eſſe, ſed pectus, & ſordes in- „ trinſecus potius, quam extrinſecus detra- „ hendas; verum qui purgaverit, quod eſt in- „ tus, eum quoque id, quod foris eſt, repur- „ gaſſe, & emendata mente, cute quoque, & „ corpore mundum eſſe cœpiſſe. Porro autem „ monens, & oſtendens, unde mundi, & pur- „ gati eſſe poſſimus, addidit, eleemoſynas „ eſſe faciendas. Miſericors monet miſericor- „ diam fieri. Et quia ſervare quærit, quos „ magno redemit, poſt baptiſmi gratiam ſor- „ didatos docet denuo poſſe purgari. „ Ita S. CYPRIANUS veteribus tam celebratum de opere, & eleemoſynis, ſeu, ut in concilio Epheſino citatur, *de pietatis opere, & eleemoſynis*, orditur opus, quod S. HIERONYMUS grande volumen vocat, non tam mole, quam præſtantia. Ubi imprimis excuſationem omnem divitibus demit. Quod ſimiliter facit S. CLEMENS ALEX. in ope-

T. IV. Conc. p. 288.

re inſcripto: *Quisnam dives ſalutem conſequi poſſit?* Neceſſitatem eleemoſynæ ad ſalutem inter chriſtianos commonſtrans. Excellens in eandem rem eſt ſermo S. GREGORII NAZIANZ. VI. S. CHRYSOSTOMI plures in hac materia ſunt homiliæ, quæ non potuerunt non permovere ad miſericordiam mentes. Aliquando ipſe per plateas tranſiens permotus eſt miſeria pauperum, claudorum, mutilorum, ut ex tempore de eleemoſynis ſermonem haberet. Tantam autem ei virtutem tribuit, ut non dubitet hanc ſuperare gratiam reſuſcitandi mortuos. S. LEO ſermones ſuos de jejunio, hoc argumento de operibus miſericordiæ ubique refertos habet, utpote neceſſario ei conjunctis; præter eos ſermones, quos de collectis, & eleemoſynis ex inſtituto habuit: qui inter primos in nova editione habentur: ubi etiam in ſubnexis operibus S. MAXIMI Taurinenſis ejusdem argumenti ſermo egregius extat, alter itidem conſimilis de hoſpitalitate. Et SIRMONDUS coævi epiſcopi Cemelienſis S. VALERIANI ſermones recens edidit ejusdem argumenti.

Hom. de eleemoſ.

Hom. 15. *in ep. ad Philip.*

Hom. 16. *in ep.* 2. *ad Cor.*

T. I. op. Sel. p. 642. *&c.*

Sed infinitus forem, ſi omnia recenſere vellem, quæ in hanc rem paſtores, ac epiſcopi fideles ſubditos commonuerunt; &, quod multo efficacius fuit, exemplo ſuo inſtruxerunt. Inter quos JOANNIS ALEXANDR. ob id nomen adepti eleemoſynarii, vita, a LEONTIO NEAPOLITANO ſcripta, atque a Bollandiſtis edita, lectu digniſſima eſt. Qui, cum primum ad epiſcopale ſolium evectus eſt, hanc ſibi præcipuam exiſtimavit curam, ut numerum pauperum conſignatum haberet: non minus eos nutriendos ſibi commiſſos ratus, quam fideles verbi divini pabulo; cum bona eccle-

Ad diem 23. *Jan. p.* 495. *&c.*

eccleſiæ ſint patrimonium pauperum, ab illis ex juſtitia exigendum.

Præterquam quod præceptum charitatis omnes reliquos etiam fideles ad hoc conſtringat, tum etiam propria cujusque neceſſitas redimendi eleemoſynis peccata obligationem facit: quam SALVIANUS inſigni opere, quod ad totam eccleſiam ſub nomine TIMOTHEI ſcripſit, operoſe demonſtravit, hoc ipſo poſito fundamento.

§. XC.

Perfectio omnia relinquendo ſequi CHRISTUM.

Qui ulterius ad perfectionem aſpirant, omnia ſua relinquunt, & pauperibus tranſcribunt, conſilium ſecuti ſalvatoris dicentis: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: Et veni, ſequere me.* *Matt. XIX. 21.*

Hæc reſpondit CHRISTUS juveni ex ſe quærenti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Cui primum CHRISTUS obſervantiam mandatorum propoſuit: *Si autem vis ad vitam ingredi; ſerva mandata.* Juveni autem inſiſtenti, quid adhuc ſibi deſit? Id reſponſi dedit; non ut prius neceſſitatem imponens, ſed conſulens, quod ad perfectionem conferat. *Aliud eſt conſilium*, inquit S. CÆSARIUS, *aliud præceptum. Conſilium datur, ut virginitas conſervetur, ut a vino, & carnibus abſtineatur, ut vendantur omnia, & pauperibus erogentur: præceptum vero datur, ut juſtitia cuſtodiatur.* Igitur præceptum ad omnes pertinet, conſilium au-

Ib. v. 16.

Apud S. Aug. ſerm. 273. in append. T. V.

autem ad eos, qui perfectionem conſectantur. Fuerunt olim hæretici, quos notat S. CYRILLUS HIEROSOL. qui uſum divitiarum, ac pecuniarum cum rebus omnibus corporalibus diaboli eſſe putabant, Manichæi nimirum: *Divitiæ*, inquit, *aurum, & argentum diaboli non ſunt, ut exiſtimatur a nonnullis.... Fac ſolum utaris bene; nec amplius vituperandum argentum eſt. Quando vero tu re bona uteris male, tum nolens ipſe adminiſtrationem tuam criminari, impie in conditorem querimoniam confers. Poteſt quis etiam per pecunias juſtitiam adipiſci: Eſurivi, & dediſtis mihi manducare: non dubium quin ex pecuniis. Nudus eram, & cooperuiſtis me: nimirum pecuniarum interventu. Et vis noſſe, quod cœleſtis regni janua fieri poſſint pecuniæ? Vende, inquit, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis. Hæc vero a me ſunt dicta propter hæreticos, qui anathemate damnant, & poſſeſſiones, & pecunias, & corpora.*

Catech. VIII. n. 6.

In oppoſito hodie errore poſt VIGILANTIUM verſantur Proteſtantes, monaſticæ vitæ oſores, quæ relictis omnibus ſequi CHRISTUM in obedientia religioſa jubet, cum illi nullam conſiliorum evangelicorum rationem habeant. Ac nuper rotunde JAC. SPENERUS non ſolum nihil perfectionis in ſimultanea bonorum erogatione agnoſcit, verum etiam ſucceſſivam, & pro cujusvis facultatibus moderatam eleemoſynarum largitionem DEO magis placere adſtruit, nihil tam apertam CHRISTI Domini moratus ſententiam, quam modo retulimus.

In der Evangeliſchen Kirchen-Rettung.

Totam rei ſeriem expendit operoſe S. CLEMENS ALEX. in laudato opere: *Quis di-*

ves

ves ſalutem conſequi poſſit? ut omnibus ſaltem præceptum eleemoſynarum, & moderationem affectus neceſſariam ducat, ne nimirum inordinate inhæreamus, fruamur potius, quam utamur, bonis terrenis, ut phraſi Auguſtiniana utar: ſeu male illis utamur: *Cum igitur*, inquit CLEMENS, *opes ex ſe neque bonum, neque malum habeant, atque omni vacent crimine, haud ipſæ vituperandæ ſunt; ſed quod ſuo arbitratu, & a ſe illis bene, aut male uti poteſt; mens ſcilicet humana, ac judicii facultas, cui liberum ſit, qua ratione uti velit illis ad uſum conceſſis. Nemo igitur divitias, & opes, & non magis animi affectus, ac perturbationes deſtruat, per quas non liceat uti facultatibus in bonum virtutis; quo nimirum bonus quis, ac probus effectus, his quoque divitiis, ac pecuniis probe, exque honeſti ratione uti poſſit. Quod igitur cunctis opibus renuntiare jubemur, & ut, quæ in cenſu ſunt, omnia vendamus, in hunc modum intelligendum eſt, ut de affectibus animi, ac perturbationum dictum accipiatur.* Ita quidem res accipienda eſt, atque accepta eſt deinceps a doctoribus, quando difficultatem illam attigerunt, quæ ex ſententia CHRISTI non parum torquet, dicentis: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Legi inter alios poteſt S. HIERONYMUS epiſtola ad HEDIBIUM, & S. BASILIUS homilia contra divites, quæ eſt ſeptima, adverſus avaritiam; S. CHRYSOSTOMUS homilia ſecunda de ſtatuis: qui verum uſum divitiarum oſtendunt; ipſi autem hi exemplo ſuo optime demonſtrarunt, ſuis relictis CHRISTUM ſecuti omnes tres,

Quis dives ſalvandus ſit. n. 14.

Matt. XIX. 24.

quos idcirco ſtudioſe citavi, ut intelligant adverſarii, quod doctores veteres diſcrimen præceptum inter, & conſilium, verum, & perverſum uſum divitiarum fecerint.

Poteſt tamen contingere, ut conſilium illud renunciandi omnia pro CHRISTO in præceptum abeat, veluti cum pro CHRISTI nomine, cum omnium rerum, etiam vitæ diſpendio, publica coram perſecutoribus fidei profeſſio edenda fuit. Sic nonnunquam martyres de ſuis parentibus, & neceſſariis interrogati, nullos ſe habere ſunt profeſſi, eoquod eos abnegare propter CHRISTUM neceſſitas ſit injuncta: cujusmodi exemplum in actis S. IRENÆI epiſcopi Sirmienſis, & POLLIONIS habetur, IRENÆO ad illam CHRISTI ſententiam provocante, *qui amat patrem, aut matrem &c. plus quam me, non eſt me dignus.* Et S. PET. BALSAMUS judici reſpondit, evangelico præcepto renunciandum omnibus rebus eſſe, quando nomen JESU CHRISTI confitendum eſt.

Act. ſinc. Ruinart. p. 403.

Ib. p. 501.

Alias autem libera eſt iſta renunciatio eorum, qui omnibus relictis ſequuntur CHRISTUM. Ubi iterum gradus perfectionis eſt attendendus, cui res relinquantur; perfectior autem non ſolum, ſed etiam ſecurior eſt ratio, ſi pauperibus diſtribuantur. Quam in rem memorabile eſt conſilium S. SISOI abbatis, quod alii etiam S. PEMENI attribuunt, a quoquam conſulto, cui bona ſua relinquat, quod legitur in vitis PP. ROSWEIDI.

L. V. c. 10. §. 56. p. 601. 602. & append. d. p. 997. 2. §. 7.

§. XCI.

Continentia.

Simili perfectionis ſtudio quando tenentur, caſtitatem ſuam devovent DEO

DEO piæ animæ; quin dubitent donum hoc continentiæ ſe divina benignitate conſecuturos, atque voto ſuo ſeſe obſtrictos teneri.

Non omnes, ait CHRISTUS, *capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat.* Quibus quidem verbis naturalis neceſſitas a voluntaria continentiæ ſuſceptione aperte declaratur. *Matt. XIX. 11. &c.*

Ubi iterum nobis cum Proteſtantibus controverſia eſt, qui de divina gratia diffiſi, non putant omnibus adeſſe donum continentiæ; quod donum DEI omnes agnoſcimus, & a DEO obtinendum nullus dubitat conſilio ſapientis: *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* Hac fiducia tot martyres virgines conſervatæ in actis martyrum leguntur divina protectione inter manifeſta pericula, & violentas inſidias a perſecutoribus illatas: E. g. SS. IRENE, THEODORA, AGNES, &c. Quæ in aperto perdendæ caſtitatis diſcrimine ex eo ſe divina benignitate eripiendas non dubitarunt, ſive eam DEO devoverint antea, ſive non, quod eſt plenæ libertatis, & conſilii, non præcepti, ut dicit apoſtolus: *De virginibus autem præceptum non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino.* „Proinde„ inquit S. AUGUSTINUS, „quia *Sap. VIII. 21.* *Baron. ad an. 304. §. 48. Boll. ad 28. Apr. gr. p. 63. Act. Ruinart. p. 458. De virginit. c. 14.*

„ quia uxorem ducere, vel nubere peccatum
„ non eſt, ſi autem peccatum eſſet, præcepto
„ vetaretur, propterea præceptum Domini de
„ virginibus nullum eſt: ſed quoniam devita-
„ tis remiſſisque peccatis adeunda eſt vita æter-
„ na, in qua eſt quædam egregia gloria non
„ omnibus in æternum victuris, ſed quibus-
„ dam ibi tribuenda, cui conſequendæ parum
„ eſt liberatum eſſe a peccatis, niſi aliquid ipſi
„ liberatori voveatur, quod non ſit criminis,
„ non voviſſe, ſed voviſſe, ac reddidiſſe ſit
„ laudis. *Conſilium*, inquit, *do*, *tanquam*
„ *miſericordiam conſecutus a DEO*, *ut eſſem*
„ *fidelis*. „

Semper vero eccleſia iis ſe oppoſuit, qui neceſſitatem cuiquam hic injungere tentabant, cujusmodi inſignis laudatur ab EUSEBIO ad PINYTUM Gnoſiorum epiſcopum DIONYSII ALEXAND. epiſtola, ne grave ſervandæ caſtitatis onus neceſſario fratribus imponat. Qui tamen ſponte illud ſuſceperunt, aut ſtatum ſunt amplexi, cui votum illud fuit connexum, ab illis fuit repetitum, & violatum fevera pœnitentia crimen punitum, veluti ex S. CYPRIANO conſtat, canonibus S. BASILII, INNOCENTII I epiſtola ad RUFFUM. Animadverſum etiam divina vindicta: quale exemplum in vita PACHOMII refertur de virgine caſtitatem, quam eſſet profeſſa, non ſervante, dæmone obſeſſa, nec liberata, priusquam ſancte pollicita eſſet, nihil in poſterum ab ea voto adverſum perpetratum iri. S. BASILIUS, & S. AMBROSIUS ad ejusmodi virgines lapſas graves dederunt epiſtolas. Et S. CHRYSOSTOMUS, ac itidem S. BASILIUS ad lapſos monachos ſcripſerunt, ut ad propoſitum revocarent. Ex qui-

L. IV. c. 23.

Epiſt. 4. Can. 2. 18. 19.

Boll. T. III. Maji. p. 303.

S. Baſil. ep. 45. & 46.

quibus etiam conſtat, profeſſionem ejusmodi ſolemniter fuiſſe factam, nec licuiſſe poſt ſuſcepta vota reſilire, magnoque in pretio fuiſſe hanc profeſſionem. Quod tot libri in laudem illius, & commendationem conſcripti conteſtantur, & tanta ad illam promovendam ſuſcepta ſtudia ab illis ipſis, quos modo laudavi, ſanctis patribus (ne quid de antiquioribus dicam ORIGENE, TERTULLIANO: ex quibus etiam nuper COMBEFISIUS inſigne S. METHODII convivium virginum dedit, S. AMBROSIUS autem LIBERII papæ ſermonem in eodem argumento *libro III.* de virginitate inſeruit) SS. etiam ATHANASIO, HILARIO, HIERONYMO, AUGUSTINO, PAULINO, SULPITIO SEVERO. Ut nihil contra JOVINIANI, & VIGILANTII adverſa molimina, ac ſatanæ tentationes proficere potuerint, atque obfuſcare gloriam hanc novi teſtamenti, qua virginitas præ nuptiis in pretio habetur, non illæ damnantur. „ Oportet enim „ inquit S. ISIDORUS, „ non damnare quod bonum eſt, ſed ſuadere quod melius eſt. Ante adventum " quippe CHRISTI conjugia placuere DEO, " poſt adventum ejus virginitas. Prima enim " ſententia creſcere, & generare præcepit: " ſecunda ſententia continentiam ſuaſit. Nonne enim ſic locuta eſt vox illius, *Creſcite*, " *& multiplicamini?* Quia jam alia vox ſupervenit, dicens: *Væ prægnantibus, & nutrientibus.* Et illud tempus item collectum " eſt, reſtat, ut, qui uxores habent, tanquam " non habentes ſint; &, niſi fallor, unius e- " jusdemque DEI utraque pronuntiatio eſt. " Tunc quidem DEUS in primordio ſemen- "

Auctuar. p. 66.

L. II. de div. offic. " c. 17.

„ tem

„ tem generis emiſit indultis conjugiorum „ voluptatibus, donec mundus repleretur: „ nunc vero in extremitatibus temporum com- „ preſſit, quod emiſerat, & revocavit, quod „ indulſerat. Unde & SALOMON præ- „ videns in Spiritu ait: *Tempus amplexandi,* „ *tempus longe fieri a complexibus.* Quia præ- „ cepti veteris eſt, ut terra procreationibus „ impleretur, novi vero, ut continentia, at- „ que virginitate cœlum adimpleatur. „

Hæc igitur eſt cauſa, hoc meritum continentiæ voluntariæ, ſicut & cæterorum operum bonorum, ut impedimentis vitæ ſpiritualis e medio ſublatis expedite ſervire DEO faciat, puros nos peccatorum ſordibus expiatis coram DEO ſiſtat. „ Propterea „ inquit S. FULGENTIUS, „humiles ſervi CHRI- „ STI, qui cupiunt Domino ſuo ſine impedi- „ mento, & absque animi noxia occupatione „ ſervire, conjugia omnino non appetunt, & „ a carnibus, ac vino abſtinent, in quantum „ corporis valetudo permittit. Non quia pec- „ catum eſt aut conjugem habere, aut vinum „ carnesque percipere. Nam & beatus apo- „ ſtolus dicit: *Quia omnis creatura DEI* „ *bona eſt &c.* Conjugium quoque in primis „ hominibus DEUS & inſtituit, & benedi- „ xit. Propter quod apoſtolus ait: *Hono-* „ *rabile connubium in omnibus, & thorus* „ *immaculatus.* Igitur ſervi DEI in eo, quod „ a carnibus, & vino abſtinent, non tanquam „ res immundas refugiunt, ſed mundioris vi- „ tæ inſtituta ſectantur: & in eo, quod con- „ jugia non habent, non nuptiarum bonum „ crimen eſſe exiſtimant, ſed continentiam ju- „ gem bonis nuptiis meliorem eſſe non du- „ bitant: iſto quam maxime tempore, quan- „ do

De fid. ad Petr. n. 43.

do dicitur de continentia; *Qui poteſt capere capiat:* de nuptiis vero: *Qui ſe non continet, nubat.* In uno enim hortatione virtus erigitur, in altero infirmitas remedio ſublevatur. „

§. XCII.

Quoniam vero regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, quisque non ſolum occurrentes tribulationes patienter ſufferre, ſed etiam ſpontaneas mortificationes ſuſcipere debet dicente Domino: *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Crux Christi. *Luc. XIV. 27.*

His reſpondent, quæ CHRISTUS apud MATTHÆUM dicit: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* His nihil frequentius occurrit in evangeliis, ipſumque CHRISTI exemplum propoſitum omnibus eſt: qui animos apoſtolorum, hæc prædicendo, præmunivit: idque ipſi apoſtoli fecerunt, ut de illis in actibus legitur: *Confirmantes animas diſcipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI.* Epiſtolæ PAULI, ſecunda præſertim ad Corinthios plena eſt hac doctrina; multo vero magis vita apoſtolorum non ſolum, ſed omnium *Matt. XVI. 24.* *Act. XIV. 22.*

nium, qui pie vivere volunt in CHRISTO, juxta eundem apoſtolum perſecutionem patientur.

Neque ſolum, quæ aliunde veluti invitis acerbe accidunt, patienter ſunt perferenda; ſed crux ipſa eſt tollenda, ac ſuſcipienda mortificatio, juxta allatam CHRISTI ſententiam ſæpius repetitam: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Quibus reſpondent illa apoſtoli, atque mentem CHRISTI explicant: *Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus, ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Matt. X. 39.

Rom. VIII. 12.

Hæc ergo eſt mortificatio omnibus neceſſaria, quæ quo major fuerit, eo amplior erit corona, eſtque meritum noſtrum, ſi ob amorem CHRISTI ſuſcipitur. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate CHRISTI? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis) ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Fuerant tunc tempora, quibus maxime ab aliis mala, & afflictiones obvenerunt, quæ poſtquam ceſſarunt, ſponte ſua crucem ſuam homines ſuſcipiunt pro variæ perfectionis propoſito ſcopo. Nullus autem exemtus eſt, ut in hac miſeriarum valle ſive ſponte, ſive invitus mala ferat; tantum id a nobis pendet, quomodo incommodum noſtrum per gratiam DEI convertamus ad ſalutem animarum, CHRISTUM

Rom. VIII. 35.

ſecu-

ſecuti ejus crucem ſufferentes, ſpretis mundanis deliciis, & vita carnali præ CHRISTI mortificatione. „ Ea autem eſt voluntas CHRISTI „ ait S. ATHANASIUS, „ ut is, qui ipſi conglutinatus eſt, nihil ſecum omnino ſæculi ferat, nihil terreſtria curet: ſed ſolum ut crucem ejus, qui pro ſe crucifixus eſt, bajulare velit, curamque, ac ſollicitudinem gerat, die ac nocte, ut perpetuis hymnis, & glorificationibus eum celebret, illuminatum habeat mentis oculum, ſciat illius voluntatem, & ei obſequatur, cor ſimplex poſſideat, & mentem puram. Miſericors ſit &c. malum pro malo non reddens, multas contumelias ſuſtinens, quemadmodum ipſe, a Judæis contumeliis affectus, eas ſuſtinuit; verbera, & cruciatus ferat: nam & ipſe quoque hæc paſſus eſt &c. „ *De virginit. n. 3.*

Nihil magis erigere animum poteſt in malis quibuscunque, quam hoc CHRISTI exemplum, quem dilectum Filium ſuum ea pati voluit cœleſtis Pater, quæ nullus alius: ut quo major cui malorum portio contingat, eo majus beneficium exiſtimandum ſit, & quisque debeat ſponte diſciplinam amplecti. *Fili mi*, apoſtolus ex ſapiente nos alloquitur, *noli negligere diſciplinam: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem, quem recipit.* Nihil præſtantius in hanc rem eſt, quam D. CHRYSOSTOMI *libri III.* de providentia ad STAGIRIUM a dæmone vexatum. Qui dum ſpreta generis nobilitate, etiam invito parente, eſt vitam monaſticam amplexus; paulatim autem in exercitiis pietatis tepeſcens, a dæmone correptus, miſere vexatus eſt. *Hebr. XII. 5.*

Quem deſolatum erecturus ſanctus doctor hos ad eum libros perſcripſit. In quibus conſtituto
L. I. n. 2. principio, DEO eſſe curam de omnibus, & de his maxime, qui ſibi fide juncti ſunt: id ſuſcipit demonſtrandum, quomodo mala, quibus obnoxium eſt humanum genus, in utilitatem ejus permittantur a DEO: exordio ducto
Ib. n. 3. ab ADAMO, & deinceps eccleſia CHRISTI, quomodo inter perſecutiones adolevit. „ Poterat „ ait „ certe ſine perſecutionibus, „ & preſſuris, laboribusque, & ſudoribus prædicatio perfici; ſed tamen id noluit CHRI„ STUS, prædicantibus parcens. Quocirca „ dicebat illis: *In mundo preſſuram habebitis.* „ Cupientibusque cœleſte regnum ingredi, an„ guſtam viam arripiendam jubet, quaſi non „ aliter intrare liceat: ideo preſſuræ, & ten„ tationes, & quæcunque nobis triſtia contin„ gunt, non minus DEI providentiam indi„ cant, quam læta, & jucunda.„ Vocatur hæc crux ſpiritualis, de qua legendus eſt etiam
T. I. op. Ratisb. 1734. p. 438. &c. JAC. GRETSERUS, ut conſtet, cujusmodi, & quam varia ſit, a quibus, quomodo, & quo fructu ferenda. Tum quæ idem tomo quarto de cruce diſciplinarum, in ſpecie voluntariis per flagra caſtigationibus, copioſe diſputat contra Proteſtantes, qui bonorum omnium operum, ac meritorum contemtores, hoc genus diſciplinæ, quo perpeſſionem CHRISTI, & martyrum dolores imitamur, carpunt, quod maximos abuſus tulerit, & ſe-
Vid. Critique de de l'Hiſtoire des Flagellans. rius inventum ſit a PETRO DAMIANI demum.

Qua de re quidquid ſit, fuit ſemper monaſtici inſtituti, diſciplinæ, & mortificationis voluntariæ, quibuscunque demum modis, ſtudium præcipuum: quibus hanc regulam præſcri-

ſcripſit S. MACARIUS: Ita debere monachum jejuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum; ita motus animi refrenare, & injuriarum obliviſci, triſtitiasque reſpuere, dolores quoque, ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum. Opuſcula S. COLUMBANI, quæ extant in bibliotheca maxima PP. Lugdunenſi, pleraque in hoc argumento verſantur. *Caſſ. inſtit. L. V. c.* 41. *T. XII.*

§. XCIII.

Crucis chriſtianorum ad imitationem ſalvatoris ſui culmen eſt ipſum martyrium, ſeu cruciatuum, & mortis pro CHRISTI nomine perpeſſio, quibus hæc gratia, & felicitas obtingit.

Ac mors pro CHRISTO.

Majorem charitatem, inquit CHRISTUS, *nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Quod CHRISTUS pro nobis fecit inimicis, infinitus autem martyrum chorus pro CHRISTO, perfectiſſimæ charitatis argumento. Hinc ſanctos quosque ſcimus tantopere erga martyrium flagraſſe; & quisque debet ita eſſe animatus, ut millies potius mori ſuſtineat, quam a DEI amore deſciſcat. *Certus ſum enim*, inquit apoſtolus, *quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare a charitate DEI, quæ eſt in CHRISTO JESU Domino noſtro.* Quæ fuit felix ſecuritas, & magna dignatio, ut probe agnoverunt apoſtoli, ibantque gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine JESU contumeliam pati. Quare intrepidi pericula omnia adibant, nihil minus *Jo. XV.* 13. *Rom. VIII.* 38.

quam mortem reveriti, CHRISTI, & apoſtolorum exemplo tot martyres.

Non tamen æqui conſultum, ſi qui temerarie occaſioni ſeſe ingeſſerunt, fuitque fuga nonnunquam ſalubriter electa. Utriusque rei exemplum nobis unum ſuppetit in VALERIANO epiſcopo, & FELICE presbytero Nolanis: quorum acta heroico carmine ſunt a S. PAULINO conſcripta, epiſcopo decrepito fugiente non timore mortis, ſed infirmitate corporis, ſuſtinendis tormentis imparis. In quibus tamen non infrequenter, non imminuta gloria, dolores divinitus aut leniti ſunt, aut penitus ſublati, aut curata vulnera. Acta SS. TARAQUI, PROBI, & ANDRONICI omnia hæc confirmant. S. MAXIMUS inter tormenta proconſuli confitetur, ſibi nec fuſtes, nec ungulas, nec ignem ſentiendi dolorem dare. De THEODORO jam attuli, quæ RUFINUS ex ejus ore refert *lib. X. c.* 36. Et ex parte etiam THEODORETUS *lib. III. c.* 7. ſe initio tantum dolorem ſenſiſſe.

Act. ſinc. p. 25.

Bolland. 8. Maji. p. 762. §. 16.

Recurrebant autem ad DEUM, unde aut patientiam, aut præſentaneam opem obtinebant inter acerbiſſimos dolores. Sic DEUM rogante S. ACACIO, carnifices immoti ſteterunt. Inter media autem tormenta non ceſſabant DEUM laudare. Quod maxime in S. CASSIANO mirabile, cui cum unus poſt alterum articulus, ac membrum abſcinderetur, ſingulis vicibus novam ingeminabat orationem. Accidit etiam, ut DEUS pro menſura gratiæ, & fortitudinis, & pro votis daret tormenta, & mortem. Quale nobis exemplum acta S. PERPETUÆ præbent, ubi ſingulis, quale petebant tormenti genus, advenit. Contra-

Ib. p. 765. §. 19.

Boll. ad 12. Jan. p. 723. §. 6.

trarium autem, ac ſingulare ex S. CHRYSOSTOMO diſcimus de duobus chriſtianis ſimul captis, quorum alter ad ſingula tormenta paratus, alter ad omnia trepidabat, cupiebatque celeriter enſe martyrium conſummare; dum contra accidit, ut illi caput uno ictu abſcinderetur, hic inter varia tormenta fortis, & invictus maneret divina gratia: quam ſemper profitebantur, ut jam ſupra exemplis docui, & palam virtutem CHRISTI in ſuis dilaceratis membris oſtentabant. „Videte „ ajebat S. THEODOTUS „univerſi, quam „ admirabilis CHRISTI ſit virtus, & quo- „ modo iis, qui ſe ejus cauſa tormentis expo- „ nunt, largiatur impaſſibilitatem. „ *Hom. 6. in epiſt. ad Tit.* *Act. ſinc. p. 348.*

Hinc etiam prius ſe ad martyrium exercitiis pietatis præparabant, ut de S. APPIANO EUSEBIUS refert: aut certe ita parati prius per aſceticam, monaſticamque vitam digni martyrio ſunt habiti. Cujusmodi exempla præſertim inter poſteriora perſecutionum tempora, imprimis ex Perſia, ſuppetunt. *De Palæſt. mart. c. 4.*

Hæretici etiam nonnunquam fortes ſe inter tormenta, ſed rarius, præbebant. BUSIRIDI Encratitæ, cum prius in tormentis ſub JULIANO invictus eſſet, DEUS poſtea gratiam ſub THEODOSIO indulſit, ut ad unitatem eccleſiæ rediret. Non conſummaſſe martyrium, etiam dum voluntas aderat, quod aut perſecutio ceſſaret, aut tyranni martyrium inviderent, quod non infrequenter accidit, eo eſt loco habitum, quod quis indignus haberetur a DEO ad mortem ſui cauſa ſubeundam; maxima autem gratia, ſi quis dignus eſſet judicatus. *Soz. L. V. c. 11.* *Vid. Orig. de exhort. martyrii.*

AVITUS illud CHRISTI: *Centuplum accipietis &c.* de ſolo martyrio intelligit: *Apud Bal. Miſcell.*

Cujus, inquit, *coronæ nullum penitus meritum humani operis exæquatur.* S. CYPRIANUS econtra, etiam ubi deeſt occaſio mortis, inter martyres numerat, qui omnia propter CHRISTUM reliquerint: „Nec ſolos„ inquit, „ animadverſos, & interfectos divinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiam, ſi ipſa „ paſſio fidelibus deſit, fides tamen integra, „ atque invicta perſtiterit, & contemtis, ac relictis ſuis omnibus CHRISTUM ſe ſequi „ chriſtianus oſtenderit, ipſe quoque a CHRISTO inter martyres honoratur, pollicente „ ipſo, & dicente: *Nemo eſt, qui relinquat „ domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum „ DEI, & non recipiat centies tantum in iſto „ tempore, in ſæculo autem futuro vitam æternam.*

De exhort. mart. n. 12.

§. XCIV.

Qua excepta non datur in hac vita juſtitiæ perfectio.

Excepto martyrio non obtinetur in hac vita perfecta juſtitia, inertia noſtra curſu ad perfectionem tam impedito. Placet tamen conatus, & continuus ad majores perfectiones progreſſus eſt faciendus.

Matt. V. 48.

Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, eſt præceptum CHRISTI, ut adeo ad perfectionem ſumma contentio eſſe debeat, ad majores ſemper in ea progreſſus faciendos, atque ad reſtaurandam imaginem DEI in nobis: qua ratione perfecti eſſemus ſecundum imaginem, & ſimilitudinem ipſius, qua creavit DEUS hominem rectum juxta naturam ſuam cum reliquis omnibus creaturis

turis. *Viditque DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* At poſtea: *Videns autem, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet.* Gen. I. 31. Gen. VI. 5.

Accidit hoc eo tempore, quo jam deſtinaverat reparare damnum ex primi hominis peccato factum, auctum autem in immenſum fuerat malitia hominum, ut conſilium caperet DEUS delendi hominem, quem creaverat, quod votis non reſponderet, gloriamque operis ſui (qui eam maxime promovere debuerat, ac ſolus cognoſcere inter reliqua animantia capax eſt, ratione præditus) corrumperet. Sed cum liberarum creaturarum molimina deſtinationem, conſiliaque divinæ ſapientiæ fruſtrari non poſſint, clementiſſimus DEUS iterum renovare tunc per NOE pactum dignatus eſt, & præſtituto tempore Filium ſuum miſit in terram, qui exemplo, & doctrina ſua ad perfectionem conſequendam, reſtaurandamque divinam imaginem, viam, & rationem oſtenderet per legem gratiæ, & evangelium.

Noviſſime inter Lutheranos excitata eſt quæſtio, ac fervet, quouſque hæc perfectio in hac vita provehatur. LUTHERUS aſſeruerat, poſſe fidelem hominem confidenter dicere, hacque uti propoſitione, *Ego ſum CHRISTUS*, tametſi ſolam fidem juſtificantem admitteret. *Fides*, inquit ille, *pure eſt docenda, quod ſcilicet per eam ſic conglutineris CHRISTO, ut ex te, & ipſo fiat quaſi una perſona, quæ non poſſit ſegregari, ſed perpetuo adhæreſcat ei, ut cum fiducia dicere poſſis: Ego ſum CHRISTUS: hoc eſt, CHRISTI juſtitia, victoria, vita &c.* T. IV. oper. Jenen. lat. p. 57.

eſt mea. D. SPENERUS hanc LUTHERI doctrinam ſuam fecit, & ad ſtudium pietatis applicavit. Eſt hæc inter celebriores Pietiſticas controverſias, ſuntque, qui putent, in hoc centrum Pietiſmi ſiſtere, in exiſtimatione de ſanctitate vitæ, qua in hac vita ad perfectionem poſſit pertingi. Ita D. ALBERTI ſciſcit in præfatione vindiciarum JOELIS II. 28. quas contra Fanaticos edidit, qui pariter, ac pſeudo-myſtici a prima ſua origine uſque ad præſens tempus ſummam perfectionem, ac deificationem admittunt. Multi Lutheranorum magiſtrum ſuum ſecuti eum Anabaptiſtis, hic eo proceſſerunt, ut ſicut ex anima, & corpore per unionem phyſicam fit unum ſuppoſitum humanum; ita ex CHRISTO chriſtianus per unionem hyperphyſicam unum quoddam myſticum; imo una quaſi perſona, & unus vir. Quæ ſunt P. MEISNERI in oratione de chriſtiano verba. Huc trahit illa propoſitio LUTHERI: *Ego ſum CHRISTUS*, quamvis non omnes, qui eam adoptarunt, ita delirarint, inter quos SPENERUS, qui perfectionem chriſtianam ſecundum gradus ſanctificationis, non tamen abſolutam in hac vita admittit. Nuperrime D. BREITHAUPT tractationem theologicam *de perfectione partium* edidit, a qua diſtinguit *perfectionem graduum*, quam in hac vita obtineri non poſſe largitur quidem, ſed tamen perfectionem partium, ut quis nullam partem divinæ legis per peccatum transgrediatur, ſed totam impleat.

De geſt. Pelag. c. 30.

Quæ fuit olim cum Pelagianis controverſia, diuque anceps hæſit S. AUGUSTINUS, an detur talis perfectio in hac vita, hanc inter quæſtiones referens, quæ pacifice

inter

inter catholicos examinari debeant. Sed poſtea ipſe ſuam mentem expoſuit in præſtantiſſimo opere de perfectione juſtitiæ. Quæ doctrina ceu vera, & genuina clavis habetur ad recludenda S. AUGUSTINI opera, quæ Pelagianis oppoſuit. Non autem tam de poſſibilitate agitur, an quis ita omnem juſtitiam implere poſſit, ut in nullo deficiat, quam de ipſo actu. Quæſtionem hanc jam HERMAS angelo movit: *Neſcio Domine, an poſſint mandata hæc ab homine cuſtodiri. Cui ille: Hæc mandata facile cuſtodies, & non erunt dura; ſed ſi tamen in cor tuum poſueris, non poſſe ab homine cuſtodiri, non cuſtodies ea.* Ille autem paulo poſt: *Homo, inquam, cupit quidem mandata DEI cuſtodire; & nemo eſt, qui non petat a Domino, ut poſſit mandata ejus ſervare: ſed diabolus durus eſt, & potentia ſua dominatur in DEI ſervos. Et dixit: Non poteſt, inquit, dominari in DEI ſervos, qui ex totis præcordiis in Dominum credunt. Poteſt autem diabolus luctari, ſed vincere non poteſt. Si enim reſiſtitis illi, fugiet a vobis confuſus.* *Hermæ paſtor L. II. mand. 12. n. 3. n. 5.*

Qui contra Pelagianos egerunt, imprimis S. AUGUSTINUS, hoſtem hic inteſtinum, naturæ noſtræ corruptionem, obſiſtentem perfectioni juſtitiæ opponunt; cui junctus dæmon & mundus difficultatem augent: contra quos colluctandum nobis jugiter eſt, dum in hoc mortali corpore degimus, ut tamen, ſi velimus, victoriam reportare valeamus; ſed penitus ad internecionem delere nunquam poſſumus, atque ad luctam hanc relinquuntur: *Athletæ CHRISTI*, inquit CASSIANUS, *in corpore commoranti nunquam deficit colluctationum palma: ſed quanto magis triumpho-* *Inſtitut. L. V. c. 19.*

phorum ſucceſſibus creverit, tanto ei etiam collu&tationum robuſtior ordo ſuccedit. Subjugata etenim carne, atque devi&ta, quantæ adverſariorum cohortes, quanta hoſtium agmina adverſum vi&torem militem CHRISTI triumphis ejus inſtigata conſurgunt? Scilicet ne pacis otio miles CHRISTI lenteſcens incipiat obliviſci collu&tationum ſuarum glorioſa certamina, ac ſecuritatis inertia diſſolutus, præmiorum ſtipendiis, ac triumphorum meritis defraudetur. Itaque ſi ad hos triumphorum gradus cupimus creſcente virtute conſcendere, eodem nos quoque ordine oportet præliorum inire certamina. Totum illud opus CASSIANI in id eſt ſingulariter, ut hanc viam perfectionis, quam dicit eſſe veram conſummationem virtutum, commonſtret, a quibus ſit diſcenda. Eo etiam pertinet Jo. CLIMACI ſcala; nec vult quemquam difficultatem aſcenſus cauſari. *Via enim*, inquit, *& janua cunctis aperta eſt. Auditio quidem earum virtutum, quas geſſere ſpirituales patres, mentem, atque animam ad æmulationem excitat: porrò doctrinæ auditus ad imitationem hujusmodi æmulos perducere ſolet.* Eo minus autem excuſationis eſſe ibidem dicit complendi evangelii præcepta, quaſi impoſſibilia ſint ſervatu, quod fuerint etiam, qui ulterius progreſſum fecerint. Nimirum qui etiam conſilia evangelica ſuſceperunt. Eſt hoc ſtudium aſceticum, inſtitutum monaſticum, & myſtica chriſtiana viæ purgativæ, illuminativæ, & unitivæ; ſed continuus progreſſus ad perfectionem, non ipſa perfectio juſtitiæ eſt.

Grad. 26. de diſcretione.

CA-

CAPUT II.

De ſpe, & oratione.

§. XCV.

Quid ſit ſpes.

SPes eſt virtus ſupernaturalis theologica, a fide diſtincta, qua certa in CHRISTO fiducia omnia a DEO exſpectamus, quæ ad noſtram ſalutem, ac beatitudinem æternam comparandam ſpectant.

Omnes novatores, hæreticique noſtri temporis ſpem ex albo virtutum theologicarum expunctam volunt, pro nihilo, imo etiam pro peccato, & vitio reputant, quidquid intuitu ſpei tantum fit: hinc concilium Trid. anathema dicit: *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.* Et ALEXANDER VII. ſequentem damnavit propoſitionem: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis, operatur.* Quæ doctrina ex JANSENII, & Proteſtantium eſt ſchola, qui ſpem cum fide præterea confundunt, quam ſolam juſtificantem, ut intelleximus, faciunt, fiduciam nimirum, & apprehenſionem meritorum CHRISTI per fidem. *Seſſ. VI. c. 31.*

Catholica autem doctrina, diſtinguendo a fide ſpem, in CHRISTO omnem reponit, *Credentes*, ſunt verba concilii Trid. *vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt; atque* *Seſſ. VI. c. 6.*

atque illud imprimis, a DEO juſtificari impium per gratiam ejus per redemtionem, quæ eſt in Chriſto JESU; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam DEI miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes DEUM ſibi propter CHRISTUM propitium fore. Ita ergo in juſtificatione peccatoris ſuæ ſunt peculiares ſpei partes, a fide diſtinctæ. Varia diſcrimina inter alios PASCHASIUS RATBERTUS primis capitibus operis inſignis de fide, ſpe, & charitate notat. Mirum autem eſt, tam quod adverſarii hæc confundant, quam quod inde aliquid detrahi meritis CHRISTI videri queat: quando quod per fidem intelligimus, per ſpem in certam fiduciam erigimur participes nos futuros promiſſionum divinarum, atque totum id, quod ad ſalutem noſtram, vitamque æternam proficit, a DEO nobis per CHRISTUM præſtari. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* „ Pro „ quibus igitur „ inquit S. AMBROSIUS, „ quod ſuper omnia eſt, dedit, poteſt fieri, „ ut non in illo univerſa donaverit? Nihil enim excepit, qui omnium conceſſit auctorem. Nihil eſt igitur, quod negari poſſe „ nobis vereamur, nihil eſt, in quo de munificentiæ divinæ diffidere perſeverantia debeamus, cujus fuit tam diuturna, & jugis „ ubertas, ut primo prædeſtinaret, deinde vocaret: & quos vocaret, hos & juſtificaret: „ & quos juſtificaret, hos & glorificaret. Poterit deſerere, quos tantis beneficiis ſuis uſque ad præmia proſecutus eſt? Inter tot be-

Rom. VIII. 32.

De Jacob & beata vita. L. I. c. 6.

neſi-

neficia DEI num metuendæ ſunt aliquæ ac- "
cuſatoris inſidiæ? Hæc igitur ſpes opera- "
tur in juſtificatione noſtra, qua a malis libe- "
rati ad vitam æternam perducimur. „

§. XCVI.

Ideo oratione continua nos ad DEUM convertimus: *adeuntes cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et oratio. *Hebr. IV.* 16.

Huc nos evangelium ducit, ac apoſtolus vocat ad boni omnis auctorem DEUM per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus. Hinc non unum orationis genus præſcribit idem apoſtolus, quæ eſt primaria religionis pars, ac officium non pro nobis tantum, ſed pro omnibus omnino hominibus: *Primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας.* Quæ communiter veteres, & recentiores ſic ſolent accipere, ut obſecrationes ſint pro peccatis, & quæ ob peccata in nos mala proveniunt; orationes autem pro bonis, quæ ſperamus, quo etiam pertinent poſtulationes, dum pro aliis potiſſimum fiunt: aut ſingularia nobis etiam, & aliis petimus beneficia, gratiarum actiones autem, cum pro DEI beneficiis gratias, laudesque referimus. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore noſtro DEO, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. *Tim.* II. 1. *Ib. v.* 3. 4. 5. 6.

Unus

Unus enim DEUS, unus & mediator DEI, & hominum homo Chriſtus JESUS, qui dedit redemtionem ſemetipſum pro omnibus.

Nec eſt oratio mera contemplatio, ut pſeudo-myſtici volunt, a qua etiam juxta MOLINOSUM CHRISTUS in carne excluſus ſit, in quo omnis noſtra ſalus fundata eſt, & per quem eccleſia omnes orationes ad DEUM mittit. Pſeudo-myſtici autem in ſuo ſeceſſu nihil omnino agendum, nec optandum, vel petendum volunt in oratione: qui deſideria omnia activa pro ſigno imperfectionis, & animæ nondum plane evacuatæ, ac inintereſſatæ habent: orationem autem paſſivam eſſe volunt, qua anima in pura ſui abnegatione, & renunciatione DEO relinquatur, omnes etiam ſenſus, & facultates animæ ſint ligatæ, orante ſe paſſive penitus habente, ſolo DEO in eo orante, operante, & preces efficiente. Quali orationi etiam in infantibus volunt eſſe locum. Quod eodem plane modo admitti poteſt, quo talis paſſivus animæ ſtatus oratio dici valet. Ubi homo nihil operatur facultatibus omnibus ſuſpenſis, & ligatis, quam illi orationem paſſivam optimam, ſtatumque taliter orantis perfectiſſimum eſſe volunt.

In hoc potiſſimum error conſiſtit, quod non actus tantum, ſed ſtatum hominis, ac habitum pro perfectione habent, quo nihil agitur, aut petitur in oratione, ne quidem vita æterna, qui eſt apex quietiſmi, & deſtructio ſpei chriſtianæ. Nec ullis aliis pietatis exercitiis aliquid tribuunt, totamque perfectionem in iſta evanida contemplatione conſtituunt: quam eouſque adamavit, & extendit MOLINOSUS, ut nihil penitus cogitare voluerit taliter orantem, ne quidem de DEO, aut SS. Trinitate, vel

etiam

etiam eſſentia divina, multo minus de rebus creatis: *Nam*, inquit, *omnes iſtæ ſpecies, ideæ, atque imagines, licet deiformes videantur, non tamen ſunt* DEUS *ipſe, qui nec ſpecies, nec imago, nec idea, vel forma aliqua eſt.* *Cap. 3. ducis ſpirit.*

Qui eſt longe deterior error quam Palamitarum recentium Græcorum, aut veterum Meſſalianorum, ſeu Euchyſtarum, qui nihil non orationi tribuebant, & contemplationi, ab operibus exterioribus penitus abſtinentes, etiam a labore manuum: qui quoad ipſam orationem, aut contemplationem contrario errore detenti, DEUM ſibi corporalem fingebant plerique ſimul Anthropomorphitæ, frequentes inter veteres monachos etiam non Meſſalianos: veluti conſtat ex libro, quem S. CYRILLUS ALEXAND. contra eos ſcripſit. Sed Meſſaliani deterrimi fuerunt, aliis operibus bonis omnibus, præterquam orationi, valedicentes, illo apoſtoli abuſi, *oportet ſemper orare, & nunquam deficere.*

Quam orationem ipſam continuam SS. PP. intellexerunt eſſe bona opera. *Utrum autem*, inquit S. BASILIUS, *& oporteat indeſinenter orare, & utrum hoc mandatum confici poſſit, tum vos expoſcere parati eſtis, tum ego pro virili hujus ſententiæ patrocinium ſuſcipiam, atque defenſionem. Precatio eſt boni petitio, a piis* DEO *exhibita. Petitionem autem non omnino in verbis circumſcribimus. Neque enim* DEUM *arbitramur monitorum voce prolatorum indigere: imo eum noſſe, ne petentibus quidem nobis, quæ conducibilia ſint. Quid igitur eſt, quod dicimus? Nimirum precationem in ſyllabis conſtitui non oportere; ſed vim precum in propoſito animi, & in iis virtu-* *Hom. in Mart. Julitt. n. 3.*

virtutis operibus, quæ ad omnem vitam ſeſe extendant collocandam eſſe. Oratio autem ad id eſt, ut DEUS vires gratiæ largiatur ad talia opera, quibus ſalutem noſtram conſequamur.

S. AUGUSTINO invictum olim fuit contra Pelagianos, ac ſemi-Pelagianos hoc argumentum, qui aut totum opus ſalutis, aut initium illius a nobis, non a divina gratia, repetebant. Sanctus doctor autem oſtendit, omnia a DEO eſſe per humilem orationem impetranda. Legit eum in finem monachis Adrumetinis, contrarium ſaltem quoad initium fidei ſentientibus, S. CYPRIANI librum de oratione Dominica. *Et oſtendimus*, inquit, *quemadmodum docuerit, omnia, quæ ad mores noſtros pertinent, quibus recte vivimus, a Patre noſtro, qui in cœlis eſt, eſſe poſcenda, ne de libero præſumentes arbitrio a divina gratia excidamus.*

S. Aug. ep. 225.

Hoc eſt quod apoſtolus dicit, ubi obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones primum omnium faciendas monet, *ut*, inquit, *quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate.* Atque S. HILARIUS illud Pſalmi 118. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, juſtificationes tuas requiram*, huc interpretatur: „ Clamat igitur propheta ex toto corde. Et quia ex „ corde clamat, ut audiatur, orat: & auditus hæc poſtulat, ut juſtificationes DEI „ exquirat. „ Paulo poſt autem, cur ita oret propheta, indicat: „ Propheta vero cum poſt „ tot præcedentes antea preces, ut ſalvus eſſet, oraſſet, ſalutis ipſius ſtipendium docet „ dicens: *Et cuſtodiam mandata tua.* Hæc „ fidei noſtræ militia eſt, cuſtodire mandata, „ &

1. Tim. II. 2.

In Pſ. 118. lit. XIX. n. 2.

Ib. n. 3. 4.

& veluti ſecreto fideliſſimo hunc theſaurum depoſiti, & commendati nobis præcepti reſervare. Qui vero clamavit, & teſtimonia DEI, id eſt, ſub teſtibus cœlo, ac terra, & angelis ſcripta cuſtoditurum ſe profeſſus eſt, addidit adhuc & meritum obtinendæ ſalutis dicens: *Præveni &c.* Prophetæ clamor eſt ſperantis in DEI verba, non aliquando, ſed ſemper. Finis enim nullus eſt ſpei noſtræ: ſed in cœleſtes res ſemper extenditur, & in æterna DEI promiſſa procedit. Nullum tempus vacuum habet, nullum otioſum.„ Hæc igitur juxta apoſtolum eſt oratio ſine intermiſſione: quam in eandem ſententiam S. AUGUSTINUS *epiſt.* 131. interpretatur. *Vid. S. EPHREM de orando DEUM. S. CHRYSOST. hom. ſuper ANNAM viduam.*

§. XCVII.

Ea autem petimus, quæ vere nobis ſalutaria ſunt, DEUM orantes, omnis boni largitorem munificum, ſi vere eum rogamus cum plena fiducia, aſſiduitate, mentis puritate, & humilitate.

Ejusque efficacia, & conditiones.

Quærite primum regnum DEI, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis, ait CHRISTUS, dum diſcipulos ſuos orare docuit, quid rogare ab eo debeant, quæ ad æternam ſalutem ſpectant; in quibus ſingularem providentiam gerit erga genus humanum, cum reliqua, quæ ad præſentem vitam pertinent, communi providentiæ ſint ſubjecta, *Matt. VI. 33. 34.*

quam erga res omnes etiam minimas DEUS
c. 25. &c. gerit. *Ideo dico vobis, inquit, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt quam eſca: & corpus plus quam veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Pulchre S. GREGORIUS M. hoc eſſe petere in nomine JESU
L. II. hom. 27. n. 7. exponit. „Penſate, quæſo„ inquit „petitiones veſtras; videte, ſi in nomine JESU „petitis, id eſt, ſi gaudia ſalutis æternæ poſtulatis. In domo enim JESU JESUM „non quæritis, ſi in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius „in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius poſtulat veſtem, alius dari ſibi „deprecatur alimentum. Et quidem cum hæc „deſunt, ab omnipotenti DEO petenda ſunt. „Sed meminiſſe continuo debemus, quod ex „mandato ejusdem noſtri redemtoris accepimus. *Quærite primum regnum DEI & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Etiam huc pertinent, quæ quidem ad ſalutem noſtram nobis eſſe videntur, ſed aliter in judicio, ac conſilio DEI omniſcii ſe res habet, unde ſæpe non obtinemus, quod petimus, licet CHRISTUS tam certos nos reddiderit, omne, quod petimus in nomine ejus, nos conſecuturos: quod idem ſanctus doctor exem-
Ib. n. 6. plo S. PAULI illuſtrat: „Si„ inquit „omne „quod petimus in nomine Filii, dat nobis Pater: quid ergo eſt, quod PAULUS ter Dominum rogavit, & exaudiri non meruit, ſed „dictum eſt illi: *Sufficit tibi gratia mea: nam „virtus in infirmitate perficitur?* Numquid

„ille

ille tam egregius prædicator in Filii nomine „
non petiit? Quare ergo verum eſt, quia quid- „
quid petierimus Patrem in nomine Filii, dat „
nobis Pater, ſi auferri a ſe angelum ſatanæ „
petiit apoſtolus in nomine Filii, & tamen, „
quod petiit, non accepit? Sed quia nomen „
Filii JESUS eſt, JESUS autem ſalvator, „
vel etiam ſalutaris dicitur: ille ergo in no- „
mine ſalvatoris petit, qui illud petit, quod „
ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id, quod „
non expedit, petitur, non in nomine JESU „
petitur *Pater*. Unde & eisdem apoſtolis ad- „
huc infirmantibus Dominus dicit: *Uſque* „
modo non petiſtis quidquam in nomine meo. „
Ac ſi aperte diceretur: Non petiſtis in no- „
mine ſalvatoris, quia neſcitis quærere ſalu- „
tem. Hinc eſt, quod & PAULUS non ex- „
auditur: quia ſi liberaretur a tentatione, ei „
non proderat ad ſalutem.„ Hoc S. CLE- *L. VII.*
MENS proprium Gnoſtici, ſeu perfecti chri- *Stromat.*
ſtiani dicit, petere tantum orando vera animæ
bona.

Nec dubitare ſinunt tot promiſſiones factæ
de exaudiendis precibus noſtris, ſi vera bona,
nobisque ſalutaria petamus, vereque, ac recte
petimus, ut debemus. *Petitis, & non acci-* *Jac. IV. 3.*
pitis, eoquod male petatis.

Pariter ſi fiducia etiam in bonis maxime ſa-
lutaribus deſit, oratio inanis redditur. *Si quis* *Jac. I. 5.*
veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a DEO, &c.
qui dat omnibus affluenter, & non impropе-
rat, & dabitur ei: poſtulet autem in fide, ni-
hil hæſitans; qui enim hæſitat, ſimilis eſt flu-
ctui maris, qui a vento movetur, & circum-
fertur: non ergo exiſtimet homo ille, quod ac-
cipiat aliquid a Domino.

Maxime hic peccant, qui, ſi non ſtatim exaudiuntur, ſpem abjiciunt, atque ab oratione ceſſant: *Quoniam oportet ſemper orare, & nunquam deficere*, juxta CHRISTI Domini effatum: quod ipſe in parabola explicat, de perſeverantia, ac veluti importunitate in DEO exorando. Quo multi etiam illud apoſtoli interpretantur: *Sine intermiſſione orate.* Eſtque hæc cauſa plerumque, quod non exaudiamur, atque a S. CYPRIANO prima orationis conditio ponitur, quas proſequitur parte tertia libri de oratione dominica.

Luc. XVIII.

1. Theſſal. V. 17.

Reliquæ autem conditiones ad ſtatum illius pertinent, qui orat, & ipſius orationis. Defectus hos paucis verbis complexus eſt S. HILARIUS: „ Deſpiciuntur orationes leves „ diffidentes, inutiles, ſæculi curis anxiæ, & „ rerum corporalium deſideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ „ igitur deſpicabiles ſunt orationes, DEI dignatione non dignæ, de quibus per ISAIAM „ prophetam ait: *Et cum extenderitis manus „ veſtras ad me, avertam oculos meos a vobis.* Et cauſam deſpiciendæ orationis continuo ſubjecit dicens: *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Ubi ergo operatio iniquitatis exſtabit, illic deſpicitur oratio deprecantis. „ Nimirum DEUS peccatores non audit.

In Pſal. LIV. n. 4.

Jo. IX. 13.

Sed cavenda hic eſt Phariſaica juſtitia, ac ſuperbia Pelagiana: „ Ille „ ait S. AUGUSTINUS „ ad DEUM digne elevat manus, „ ille orationem bona conſcientia effundit, qui „ poteſt dicere: *Tu noſti Domine, quam ſanctæ, & innocentes, & mundæ ſunt ab omni moleſtia, & iniquitate, & rapina, quas ad te extendo, manus, quemadmodum*

De geſt. Pelag. c. 6.

„ *dum*

dum juſta, & munda labia, & ab omni „ mendacio libera, quibus offero tibi depre- „ cationem, ut mihi miſerearis. „ Hypocriſin hanc pariter damnat ac S. HIERONYMUS. Qualis tamen etiam reperitur in libro FASTIDIOSI epiſcopi Britanni *de vita chriſtiana* ad verbum fere ex Pelagiana expreſſa. In praxi autem non infrequenter hujusmodi ſe cogitationes inſinuant, & orationis effectus fruſtratur. Ut nihil magis in oratione caveri debeat, quam Pelagianiſmus iſte, & Phariſaiſmus, quem diabolus ſuperbiæ parens præprimis ſolet oggerere. *Dial. 3. cont. Pelag.*

Nullibi magis, quam in oratione, infeſtat diabolus, qui eas ferre nequit invidus, eſſe, ſecundum promiſſiones CHRISTI, tam efficaces, & infallibiles, ſi rite inſtituantur. Sed vel hinc ingenti conatu, ac niſu mentis, ut ſuis numeris abſoluta ſit oratio, opus eſt: quam ideo merito abbas AGATHO inter cæteras virtutes majoris laboris eſſe judicavit. *Ignoſcite mihi*, inquit, *exiſtimo nullum laborem æquari precibus ad DEUM. Quotiescunque enim homo voluerit orare, inimici ſeu dæmones nituntur eum avertere. Sciunt quippe non aliter impediri ſe, niſi per orationem ad DEUM. Certe quidquid aliud boni operis homo aggreſſus fuerit, in eo perſeverans, requiem obtinet; at oratio ad ultimum uſque ſpiritum eget certamine.* *Cotel. Mon. gr. T. I. p. 375.*

§. XCVIII.

Ipſe nos CHRISTUS docuit orare, brevi oratione, quæ vocatur *dominica*, quidquid ſalubriter poſſimus rogare, ſeptem petitionibus complexa. Juxta CHRISTI doctrinam.

Orationem dominicam non ſolum ut regulam, & exemplum veteres habuerunt, ad quam preces noſtræ conformandæ ſint, verum etiam ut peculiarem formulam, qua uti nos CHRISTUS vellet. *Ab ipſo*, inquit TERTULLIANUS, *ordinata eſt religio orationis, & de ſpiritu ipſius jam tunc, quum ex ore divino ferretur, animata ſuo privilegio adſcendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit. Quoniam tamen Dominus proſpector humanarum neceſſitatum, ſeorſum poſt traditam orandi diſciplinam, petite, inquit, & accipietis, & ſunt, quæ petantur pro circumſtantia cujusque præmiſſa legitima, & ordinaria oratione quaſi fundamento accidentium jus eſt deſideriorum, jus eſt ſuperſtruendi exerinſecus petitiones.* *De orat. c. 9.*

Igitur ad orationem dominicam vult exigendas & conformandas omnes noſtras orationes, quam etiam initio ſtatim ceu evangelii quoddam compendium nobis proponit pariter ac S. CYPRIANUS, ita orſus inſigne de oratione dominica opus: „ Evangelica præcepta, „ fratres dilectiſſimi, nihil ſunt aliud, quam „ magiſteria divina, fundamenta ædificandæ „ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: „ quæ dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cœleſtia regna perducunt... „ Qui inter cætera ſalutaria ſua monita, & „ præcepta divina, quibus populo ſuo conſuluit ad ſalutem, etiam orandi ipſe formam „ dedit, ipſe, quid precaremur, monuit, & „ inſtruxit. Qui fecit vivere, docuit & orare. „ Et paulo poſt: „ Quæ vero magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui eſt „ veritas, de ejus ore prolata eſt? ut aliter „ orare, *Id. c. 10.* *Id. c. 1.*

orare, quam docuit, non ignorantia ſola ſit, „ ſed & culpa. „ Et S. AUGUSTINUS, „Et ſi per omnia precationum ſanctarum ver- „ ba diſcurras, quantum exiſtimo, nihil in- „ venies, quod in iſta dominica non conti- „ neatur, & concludatur oratione. Unde li- „ berum eſt, aliis atque aliis verbis, eadem „ tamen in orando dicere, ſed non debet eſſe „ liberum alia dicere. „ *Epiſt.* 121. *n.* 22.

Contra Pelagianos paſſim adſtruit neceſſitatem quotidianæ orationis dominicæ pro omnibus omnino: ut oſtenderet, & omnibus gratia, & remiſſione peccatorum quotidie opus eſſe. „ Cui enim „ inquit „ hæc in „ oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe „ hic ſine peccato vivere pronuntiandus eſt. „ *Ep.* 89. *ad Hilar.* Et alibi: „ Quam orationem quisquis cui- „ libet etiam homini ſancto, & DEI volun- „ tatem ſcienti, & facienti, præter unum ſan- „ ctum ſanctorum, dicit in hac vita neceſſa- „ riam non fuiſſe, multum errat, nec poteſt „ illi ipſi placere, quem laudat. „ *De peccat. merit. L. III. c.* 13. S. CHRYSOSTOMUS paſſim hoc repetit, orationem dominicam CHRISTI mandato diſerto communem eſſe apud chriſtianos formulam. Fuitque perpetuo in uſu in omnibus ſacris ab eccleſia conſecrata, in ſacramentorum celebratione præſertim euchariſtiæ: quod itidem S. HIERONYMUS ex CHRISTI præſcripto repetit: *Docuit*, inquit, *apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui: Pater noſter &c.* *L. III. cont. Pelag. n.* 3. Nec in publica ſolum liturgia, ac conventibus, ſed etiam privatis precibus hunc uſum inde etiam repetit S. CHRYSOSTOMUS, quod plurali nomine ubique uſus ſit CHRISTUS, *præcipiens unicuique ſive ſolus oret, ſive cum aliis, pro fratribus offerre orationem.* *In Pſal. CXII.*

nem. Quare etiam ab antiquis ſicut *dominica*, ita *quõtidiana* oratio paſſim vocatur. *Quid enim*, inquit S. HILARIUS relatus in conc. Tol. *tam vult DEUS, quam ut quotidie CHRISTUS habitet in nobis, qui eſt panis vitæ, & panis de cælo? Et quia quotidiana oratio eſt, quotidie quoque, ut detur, oratur.*

Conc. Tolet. IV. c. 9.

§. XCIX.

In oratione dominica.

Ita a CHRISTO edocti fiducia filiali in Patrem cœleſtem ſperamus, & petimus potiſſimum, quæ nobis in CHRISTO promiſſiones ſunt factæ.

Rom. VIII. 26.

S. AUGUSTINUS, illud apoſtoli verſans: *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, non vult hæc intelligi de novorum verborum, ac petitionum ſuggeſtione, præterquam quæ in oratione dominica contineantur: qua fides, ſpes, & charitas perducant orantem, hoc eſt, credentem, ſperantem, deſiderantem, & quæ petat a Domino, in dominica oratione conſiderantem. Quæ certe omnia complecti dominicam orationem per ſingula eunti patebit, quidquid ad ſpem, perfectionemque chriſtianiſmi pertinet.

Epiſt. CXXI. c. 13. ad Prob.

Imo etiam alibi veſtigia petitionum orationis dominicæ in Cabbala Judæorum nuper quidam ſibi inveniſſe ſunt viſi inter Lutheranos, multaque ultro, citroque ſunt ſcripta edita. Nec fundamento caret, in precibus Judaicis haberi ſatis convenientia cum petitionibus orationis dominicæ. Vult quidem TERTULLIANUS, ante nunquam ſe veluti Patrem

De orat. c. 2.

DEUM

DEUM manifeſtaſſe, nec MOYSI quidem; ſed ipſis MOYSIS verbis, imo DEI per MOYSEN refutari poteſt: *Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui creavit &c.* *Deut. XXXII. 6.*

Licet ſingularis ſit paternitatis titulus redemtionis, quem ſolent hic SS. PP. proferre. *Homo novus*, inquit S. CYPRIANUS explicationem orationis dominicæ auſpicatus, *renatus, & DEO ſuo per ejus gratiam reſtitutus, Patrem primo loco dicit, quia Filius eſſe jam cœpit.* Quod ibi multis ſcripturæ ſententiis probat. S. GREGORIUS NISS. inde arguit, renatum, & a vitiis purgatum eſſe debere, qui DEUM Patrem orando vocat. S. CHRYSOSTOMUS majorem nobis miſeris, & peccatoribus confidentiam ingenerat. S. FORTUNATUS, epiſcopus Pictavienſis, hunc titulum peculiarem eſſe vult fidelibus veram fidem profitentibus, non hæreticis. Omnes autem hic communem omnibus denominationem notant, unde *noſtrum* dicimus Patrem, ſed aliter, quam eſt Pater unigeniti: *Quia ille*, inquit laudato in loco S. FORTUNATUS, *de ipſius ſubſtantia natus eſt: nos autem dignatus eſt creare de terra: attamen per gratiam unigeniti nos effici meruimus adoptivi.* Nimirum quatenus nos ceu filios, hæredes adoptavit regni cœleſtis, unde additur: *qui es in cœlis* quibus nos contemta terra ad cœleſtem Patrem anhelare S. CHRYSOSTOMUS vult. ORIGENES in libro de oratione hæc explicans, hic ſuſpicionem erroris dedit, ſic Patris nomen proprium uni perſonæ addicens, ut etiam JESUM CHRISTUM inde excludendum voluerit, ad quem orationem dirigamus. Singularis eſt autem TERTULLIANI hoc eodem in argumento, loco

Hom. 2. de orat. dom.

Hom. in verba: Anguſta eſt porta. L. X.

jam citato, loquendi ratio, quomodo totam SS. Trinitatem Patris nomine hic comprehensam vult, atque *ecclesiæ* nomine indigitat: *Nam & ecclesia*, alibi ait, *proprie, & principaliter ipse est spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.*

De pudic. c. 21.

Sequitur deinde petitio: *Sanctificetur nomen tuum*, ut ab omnibus antiquis pro singulari petitione fuit habita, donec nuper OLEARIUS, hæc verba laudibus potius extollentis DEUM, quam aliquid expetentis in observationibus sacris ad evangelium MATTHÆI, esse, contendere cœpit. Recte autem intelligitur sanctificatio, & gloria, quam DEO debemus, ab eo autem in nobis effici, & conservari debet: *Non*, inquit in hanc petionem S. CYPRIANUS, *quod optemus DEO, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterum a quo DEUS sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, ideo petimus, & rogamus, ut, qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, debita nostra sanctificatione assidua repurgemus.*

Hom. 3. in orat. dom.

S. GREGORIUS Nyss. hanc sanctificationem præservationem a futuris peccatis intelligit, ad quod eadem divina gratia nobis imploranda est. S. CYRILLUS Hier. uno verbo utrumque comprehendit: *Quia in nobis*, inquit, *fit sanctum, quum sanctificamur ipsi, & sanctificatione digna facimus.*

Catech. XXIII. n. 12.

Consprirat S. CHRYSOSTOMUS, sanctificationem perinde ac glorificationem hic accipiens.

piens. Quid autem petamus a DEO, ORIGENES expreſſit, nimirum ſanctam DEI gratiam.

Sequens petitio: *Adveniat regnum tuum*, non ſolum de cœleſti, ſed etiam præſenti regno cœlorum, quod eſt eccleſia, atque de liberatione a jugo dæmonis, & peccati ſumitur, unde ad regnum illud apti efficimur. *Qui enim*, inquit S. CYRILLUS HIEROS. *audierit PAULUM dicentem: Non igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore, & ſe ipſum opere, cogitatione, ac ſermone purum præſtiterit, is DEO dicturus eſt: Veniat regnum tuum.* Similiter S. GREGORIUS NISS. paulo ante citatus explicat, ac pluribus rem ediſſerit. *Ib. n. 13.*

Sequitur tertia petitio: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra:* „ Non ut DEUS „ faciat, quod vult „ explicat hanc petitionem S. CYPRIANUS, „ ſed ut nos facere „ poſſimus, quod DEUS vult. Nam DEO „ quis obſiſtit, quo minus, quod velit, fa- „ ciat? ſed quia nobis a diabolo obſiſtitur, „ quo minus per omnia noſter animus, atque „ actus DEO obſequatur. Oramus, & peti- „ mus, ut fiat in nobis voluntas DEI, quæ „ ut fiat in nobis, opus eſt DEI voluntate, „ id eſt, ope ejus, & protectione, quia ne- „ mo ſuis viribus fortis eſt, ſed DEI indul- „ gentia, & miſericordia tutus. „ Qua ſententia S. AUGUSTINUS uſus eſt contra Pelagianos. Ipſe autem hanc petitionem contra eosdem frequenter urget, ab hominis voluntate ipſa bonum repetentes. Similiter S. FORTUNATUS in explicatione orationis dominicæ eosdem ferit Pelagianos: *Quodſi bona voluntas ex homine eſt ſine DEI inſpiratione, dicat ergo chriſtianus in oratione,* *De orat. dom.* *L. IV. cont. 2. ep. Pelag. c. 9.* *Lib. X. n. 1.*

tione, fiat voluntas mea, quoniam bona eſt. ſed abſit, ut hoc aliquis confiteri præſumat; imo magis deprecetur, ut fiat voluntas DEI in homine, non voluntas hominis, quæ bonum velle non habet, niſi Dominus inſpiret. Eodem modo interpretatur S. GREG. NISSÆNUS; SS. CYRILLUS HIER. autem, & CHRYSOSTOMUS, ad id reflectentes, quod dicitur, *Sicut in cœlo, & in terra:* dicunt peti: quemadmodum in angelis in cœlo, ſic a nobis voluntas DEI fiat in terra.

Hom. 4. in orat. dom. ll. cc.

A multis eſt obſervatum, ſicut priores hæ tres petitiones ad honorem DEI, ita reliquas ad noſtram utilitatem pertinere, quemadmodum decalogi præcepta in duas tabulas erant diviſa.

In quarta tamen petitione explicanda non omnes conveniunt, de pane quotidiano, vel ſuperſubſtantiali ἐπιϰσίω. Quem etiam de pane ad conſervandam vitam explicans S. ISIDORUS PELUS. nihil tamen terrenum a nobis peti vult, niſi quæ ad conſervationem animæ pertineant, quo etiam panis quotidianus pertineat. Alii autem multi de cibo cœleſti euchariſtiæ ſumunt, ſeu CHRISTO pane ſuperſubſtantiali, qua de re multum hodie etiam inter Proteſtantes fuit diſputatum. Inter quos Jo. ALBERTI nuper novam commentus eſt interpretationem, panem peculii noſtri, ſeu peculiarem, quo ſenſu ϰσία apud Græcos *bona noſtra* dicuntur.

L. III. ep. 281.

Vid. Tertull. de orat. c. 6.

In petitione ſequenti plerique notant conditionem, ac veluti pactum cum DEO, ut nobis condonet peccata, quemadmodum & nos proximis debita dimittimus. Petitio hæc contra Pelagianos magno uſui fuit, ſicut & ultimæ duæ, quibus præſervari divina gra-

gratia a peccatis, ac omnibus malis præſentis, & futuræ vitæ liberari petimus.

Proteſtantes ſubjungunt *δοξολογίαν*: *Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſæcula, amen:* Græcis etiam uſitata, præſertim in liturgiis: unde creditur in textum illata, quamvis in veteribus exemplaribus non compareat, etiam Græcis: primumque in conſtitutionibus apoſtolicis obſervetur.

Brevem autem orationis totius dominicæ explicationem ex S. AUGUSTINO hanc habe: „ Cum ergo dicimus, *ſanctificetur nomen tuum*, nos ipſos admonemus deſiderare, „ ut nomen ejus, quod ſemper ſanctum eſt, „ etiam apud homines ſanctum habeatur, hoc „ eſt, non contemnatur, quod non DEO, „ ſed hominibus prodeſt. Et in eo, quod dicimus, *adveniat regnum tuum*, quod, ſeu „ velimus, ſeu nolimus, utique veniet, deſiderium noſtrum ad illud regnum excitamus, „ ut nobis veniat, atque nos in eo regnare „ mereamur. Cum dicimus, *fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra;* nobis in illo „ precamur ipſam obedientiam, ut ſic a nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in „ cœleſtibus ab angelis ejus. Cum dicimus, „ *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* per id, quod dicitur hodie, ſignificatur hoc tempore, ubi vel illam ſufficientiam petimus, a parte quæ excellit, id eſt, „ nomine panis totam ſignificantes; vel ſacramentum fidelium, quod in hoc tempore neceſſarium eſt, non tamen ad hujus temporis, ſed ad illam æternam felicitatem aſſequendam. Cum dicimus, *dimitte nobis debita noſtra &c.* nos admonemus, & quid „ petamus, & quid faciamus, ut accipere me- „ rea- *Epiſt. 130. ad Probam. c. 11.*

„ reamur. Cum dicimus, *ne nos inferas in* „ *tentationem;* nos admonemus hoc petere, „ ne deſerti ejus adjutorio alicui tentationi „ vel conſentiamus decepti, vel cedamus affli- „ cti. Cum dicimus, *libera nos a malo*, nos „ admonemus cogitare nondum nos eſſe in „ eo bono, ubi nullum patiemur malum. „

§. C.

Fiducia in DEUM collocata ſine præſumtione.

Cum ergo a DEO omnia ſperemus, cavendum, ne de noſtris viribus, aut operibus gloriemur; aut etiam de DEI gratia præſumentes, ea deſtituamur.

Nullum majus eſt charitatis opus, quam martyrium, nihilominus plurima funeſta exempla docent, qui præſumtuoſos ſe præbuerunt, defeciſſe. Talem nobis referunt litteræ eccleſiæ Smyrnenſis (de martyrio S. POLYCARPI) QUINTUM. *Qui nuper*, ita verba habent Smyrnienſium, *ex Phrygia advenerat, cum videret beſtias, timore perculſus eſt. Hic porro erat, qui ſeipſum, & alios quosdam impulerat, ut ultro accederent. Huic proconſul multis obſecrationibus perſuaſit jurare, & ſacrificare. Propter hoc igitur, fratres, non probamus eos, qui ſponte ſeſe offerunt. Quandoquidem non ita docet evangelium.* In actis SS. Lampſaci &c. MM. apud BOLLANDUM ſimile exemplum in NICOMACHO refertur, qui alte ſe chriſtianum jactans, dum jam animam ageret in tormentis negare cœpit, ſe chriſtianum eſſe, ac paratum ſe ad ſacrificandum ſignificavit.

PP. AA. Vol. II. p. 169. n 4.

Ad diem 15 Maji. p. 453.

S.

S. CYPRIANUS, præſertim libro de lapſis hujusmodi, funeſta exempla commemorat, habenturque recentiora ſuperioris ætatis. Accidit etiam, ut præſumtuoſi confeſſores, & gloria ſua tumidi, varia deinceps in vitia laberentur. „Nec quisquam„ inquit S. CYPRIANUS „miretur, dilectiſſimi fratres, etiam de confeſſoribus quosdam ad iſta procedere, inde quoque aliquos tam nefanda, „ tam gravia peccare. Neque enim confeſſio immunem facit ab inſidiis diaboli: aut „ contra tentationes, & pericula, & incurſus, „ atque impetus ſæculares adhuc in ſæculo „ poſitum perpetua ſecuritate defendit. Cæterum nunquam in confeſſoribus fraudes, & „ ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, „ quæ nunc in quibusdam videntes, ingemiſcimus, & dolemus. Quisquis ille confeſſor eſt, SALOMONE major, aut melior, aut DEO carior non eſt, qui tamen, „ quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecutus, obtinuit. Poſtquam dereliquit „ viam Domini, perdidit & gratiam Domini. „ Paſſim autem in epiſtolis, quas de confeſſoribus, aut ad confeſſores ſcripſit, eos ad ſolam in DEUM fiduciam remittit, inter alias legi merentur, quæ ad SERGIUM, & alios confeſſores ſcribit. Exempla ea autem tam funeſta aliis documento fuerunt, ut ſibi diffiderent, nec ſe temere exponerent. Cujusmodi apud EUSEBIUM leguntur inter alia ex DIONYSII ALEX. epiſtolis, qui perſecutionem fugientes aut deprehenſi glorioſi fuerunt, aut aliter etiam declinando confecti gloriam martyrii non amiſerunt.

De unit. eccl. circa fin.

Ep. 6.

Lib. VI. hiſt. c. 42.

Inter

Inter ea exempla nihilominus plurima ſunt eorum, qui intrepidi in DEUM confiſi ſeſe periculis immiſerunt, & morti. Fueruntque, qui etiam exoptarunt dira tormenta, & longum martyrium, præſertim coram perſecutoribus, ut gratiæ CHRISTI invictam virtutem demonſtrarent, cujusmodi S. CONON ipſi DOMITIANO admirationi fuit. Eccleſia tamen difficulter ejusmodi, qui ſeipſos tradiderunt, ceu martyres coluit, etiamſi conſumaſſent martyrium, in conciliis conſtitutis eâm in rem canonibus: qualis habetur ſexageſimus Eliberitanus. Et MENSURIUS epiſcopus Carthaginenſis detrectavit talibus honorem martyrum impendi: ut mirum non ſit, eos majorem celebritatem conſecutos, qui contra egiſſent, veluti de S. ANASTASIA habetur, cujus in ipſa natali CHRISTI eccleſia, & in quotidiano miſſæ canone commemorationem celebrat.

Boll. ad 29. Maji. p. 6. §. 3.

T. I. Conc. p. 977.

Suidas Lex. lit. X. p. 1157.

Sed hic de arcanis DEI conſiliis, & operationibus palam pronunciare non licet, variant enim exempla, dum alii ſeipſos exponentes ſuccubuerunt, alii victores evaſerunt, alii, quam ſtudioſe etiam martyrium quæſierunt, nihil funeſti tulerunt. Id certo haberi debet, gratiam obtigiſſe, aut non, prout quisquam in ſuis, vel gratiæ viribus omne firmamentum poſuit; nec tamen de gratia ipſa præſumſit. Quale exemplum nobis S. ANTONIUS anach. præbet, qui, quam etiam arderet erga martyrium, & alios inflammaret, ſeipſum tamen tradere non voluit. PACHOMIUS breviter immaturum monachi cujusdam erga martyrium zelum caſtigavit, cavendum dicens, ne loco martyris apoſtata evadat. Alia exempla in aliis periculis, & perſe-

Boll. ad 14. Maji. ap. p. 54.

perſecutionibus plurima ſuppetunt; legique merentur, quæ S. ATHANASIUS hoc in argumento pro ſeipſo in apologia de fuga ſua ſcribit.

Et iſto etiam in genere tentationum circa fidem varii, ac diſpares habentur caſus: dum alii, tamdiu intrepidi, tandem ſuccubuerunt. Veluti LIBERIUS P. & magnus OSIUS. S. NILUS in confirmationem hujus rei quemdam APOLLINAREM proponit, qui diu vitam ſanctam, ac innocentem ducens, multis pro eccleſia præclare geſtis, tandem in apertam hæreſin incidit, ac hæreſiarcha eſt factus. Simile eſt HILARII diaconi, ſchiſmatis Luciferian incentoris, ne quid de LUCIFERO CALARITANO ejus auctore dicam. *Epiſt.* 257.

Communis vitæ ejusmodi fata diſparia adhuc multo ſunt frequentiora, & obvia: dum alios videmus ex maximis peccatoribus ſanctiſſimos divina gratia factos. Qualis MOYSES ille ex prædonum duce dux anachoretarum. APOLLO item in Sceti, de quibus in vitis PP. & *COTEL. apophtegm. T. I.* legitur. Alii contra e tali ſanctitatis ſtatu delapſi perierunt; alii iterum gratiam meruerunt.

De perſeverantia autem ſua ſanctiſſimi etiam viri nunquam non timidi fuerunt uſque ad extremum ſpiritum, fiduciam quidem in DEUM habentes, ſibi ipſis autem diffidentes. S. CHRYSOSTOMUS nobis hic exemplum JUDÆ traditoris proponit in homilia de proditore JUDA. S. NILUS nobis in exemplum proponit homines hujusmodi e ſummo faſtigio delapſos, paſſimque id faciunt doctores, idque exemplis omnium ætatum, ne quis in ſecuritatem, aut præſumtionem incidat. Ipſemet exemplum ſuum DAVID in pſalmis proponit; *Ego autem* *Epiſt.* 33.

tem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum: avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus: Docens, inquit EUSEBIUS, *quod, cum prius dixiſſet: Non movebor in æternum; poſtea avertente DEO faciem ſuam propter vocem magnificam, conturbatus fuerit. Deinde ex his accepta utilitate non ſibi amplius, ſed DEO adſcribit dicens: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.*

Apud Anaſtaſ. T. IX. p. 974. ubi plura videſis.

§. CI.

Sed ſalutari timore DEI.

Sic, dum in hac vita ſumus, ſpem inter, & metum degimus, maximeque ſalutaris eſt timor Domini, quem cum pſalmiſta a DEO petamus: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.*

Duplicem timorem ſalutarem diſtinguit HERMÆ paſtor ſalutarem ad declinandum a malo, & faciendum bonum: *Si enim malum*, inquit, *operari volueris timens Dominum, ne id quidem facies. Si autem bonum operari volueris; timor utique Domini validus, & ingens, & glorioſus eſt. Time igitur DEUM, & vives. Et quicunque eum metuerint, cuſtodientes mandata ejus, eorum vita eſt apud Dominum.* Timor hic ortum ſuum habere debet ex diffidentia de ſeipſo ob gratiæ neceſſitatem. „ DEI eſt, inquam, DEI omne quod poſ„ ſumus „ ſunt verba S. CYPRIANI „ in„ de vivimus, inde pollemus, inde ſumto, „ & concepto vigore, hic adhuc poſiti, futu„ rorum indicia prænoſcimus. Sit tantum ti-

Lib. II. mand. 7.

„ mor

mor innocentiæ cuſtos, ut, quod in men- „
tes noſtras indulgentiæ cœleſtis allapſu „
clementer Dominus influxit, in animi oble- „
ctantis hoſpitio juſta operatione teneatur, ne „
accepta ſecuritas indiligentiam pariat, & „
vetus denuo hoſtis obrepat. „ Hic ſalutaris ti-
mor a DEO eſt, de quo explicat S. HILA-
RIUS illud pſalmi: *Benedicat nos DEUS* *Pſ. LXVI.*
noſter, benedicat nos DEUS, & metuant 8.
eum omnes fines terræ. „ Metuant ergo, „
commentatur in hunc locum ſanctus doctor,
„ omnes fines terræ DEUM, ſed DEUM „
noſtrum, ſed DEUM benedicentem. Non „
eſt minimum officium fidei metus. Nam in- „
ter præcipua ſpiritualium gratiarum dona nu- „
meratur, cum dicitur per ISAIAM: *Et* „
replevit eum ſpiritus timoris DEI. Et per „
SALOMONEM: *Initium ſapientiæ ti-* „
mor Domini eſt. Beatus cui provenerit ti- „
mere non ex humanæ naturæ trepidatione, „
ſed ex cognitione rationis. Qui enim ex infir- „
mitate in rebus trepidis metuit, hic in ſe- „
cundis rebus rurſum ex naturæ vitio inſole- „
ſcit. At qui ex ſcientia timet, ſemper timet, „
neque minus ſecunda, quam adverſa formi- „
dat. Sumit igitur originem ſapientia ex ti- „
more, res utiles, atque probabiles exe- „
quendo, quæ proprie, peculiaresque ſapien- „
tiæ ſunt. „ In pſalmum 127. ſtatim ab exor- „
dio timorem Domini, qualis in ſcripturis de-
ſcribitur, pluribus declarat. *Non*, inter alia *S. Hil. in*
dicit, *ex trepidatione noſtra, quia hæc timoris* *Pſ.* 127.
auctor eſt in cæteris, neque ex terrore ejus, *n.* 2.
qui terribilis ſit, beatos eſſe, qui timeant;
ſed ex eo, quod in viis DEI incedant. Timor
enim, ut diximus, non in metu, ſed in obe-
dientia eſt: & timoris teſtimonium eſt obſequela.

Cæterum ſi quis timeat, neque pareat, erit quidem timens ex trepidatione naturæ, ſed non erit beatus ex timoris officiis. Metum hunc paulo ante dixerat dilectionem perfectam conſummare. Dilectionem etiam vocat metum, cujus nimirum *proprium officium eſt, parere monitis, ſtatutis obtemperare, pollicitis confidere.* Amor hic eſt juſtitiæ: unde paulatim excutitur timor ab iis, qui ad perfectiora tendunt, ut tamen timor ipſe bonus ſit, & ſalutaris. *Nam*, inquit S. GREGORIUS NISS. *nonnullis fit etiam ſalus per timorem, quando intuentes ad minas ſupplicii gehennæ ſeparamur a malo. Sunt etiam aliqui, qui propter ſpem mercedis repoſitam iis, qui pie vixerint, ſe recte, & ex virtute gerunt, non charitate bonum poſſidentes, ſed exſpectatione remunerationis. Sed qui animo currit ad perfectionem, expellit timorem &c.* Hunc vocat perfectiſſimum, & beatum modum ſalutis, eum, inquam, qui fit per charitatem.

Hom. I. in cant.

Eſt charitas, quam ante omnia proſequi debent chriſtiani, atque ad amandum DEUM, & hinc ad abſtinendum a malo, & faciendum bonum tenentur, ut poſtea videbimus. Non autem timor idcirco eſt damnandus, ſi voluntatem peccandi excludit, ſecus ac recentiores hæretici volunt, eſtque damnatus eorum error partim in concilio Tridentino, partim decretis pontificiis. Ubi etiam ſtatuitur *donum DEI, & Spiritus ſancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis*, quæ ſunt concilii verba, *ſed tantum moventis.*

Seſſ. XIV. c. 4.

Duplex autem eſt, *ſervilis* ob timorem pœnæ, & *filialis* ob metum offenſæ, & peccati in DEUM, in quod homo agnoſcit ex infirmita-

mitate, ac pravitate ſua ſe incurſurum, niſi a DEO auxilium accipiat. Quare ſibi timens & in DEUM ſpem concipiens, ad DEUM recurrit, ac in eo omnem fiduciam ſuam collocat. Cave autem, ne fiduciam, & ſpem, diffidentiam, & timorem hic confundas.

§. CII.

Tanta eſt nobis ſpes in CHRISTO, ut nullus de miſericordia ejus deſperare debeat in hac vita, ſed ad gratiam redire converſus quilibet peccator poſſit. Neutiquam deſperando.

Deſperatio eorum eſt, qui ipſi ſpem ſalutis abjiciunt in hac vita, quando locus eſt miſericordiæ, & gratiæ, niſi reſpuatur, ac deſperetur, quod ſummum eſt malum; nec poteſt eſſe ſalutaris deſperatio, quod non ita pridem inter Lutheranos publice defendendum ſuſcepit D. JOCHIUS programmate edito de ſalutari deſperatione: quod inter gregales ipſos ingentes diſputationes excitavit.

Calvini autem ſumma blaſphemia eſt in CHRISTUM, eum in cruce deſperationis verba edidiſſe, eoquod debuerit omnes damnatorum pœnas experiri, inter quas una eſt deſperare; quo adhibetur error unus ad alterum pejorem defendendum, in CHRISTO autem actus admittitur prorſus ab eo alienus, & in ſummo vitio poſitus; ut non magis in eum cadat, quam aliæ pravæ diſpoſitiones animi, odium DEI, in malo obſtinatio, impœnitentia &c. Quæ ſunt propria damnatorum, & ſi quando in mortalibus reperiuntur, in-

choatio ſunt damnationis, veniamque excludunt, dum pœnitentiæ locum ipſi non tribuunt peccatores; non vero quod clauſus ſit ulli in hac vita pœnitenti.

Fuit hic error Novatianorum in deſperationem agens. *NOVATUS enim*, inquit EUSEBIUS, *ſuperbia contra lapſos inflatus, quaſi nulla illis reliqua ſit ſalutis ſpes, etiam ſi cuncta ad ſinceram converſionem, & puram confeſſionem pertinentia perficiant, propriæ hæreſis, eorum videlicet, qui mente inflati ſeipſos puros eſſe profitentur, auctorem ſe, ac ducem conſtituerat.* In impietatem, blaſphemiam, & deſperationem ſic fuiſſe, qui agerentur, diſcimus ex DIONYSII ALEXANDR. verbis apud eundem EUSEBIUM: *NOVATIANO ſiquidem merito ſuccenſemus, qui eccleſiam diſcidit, & quosdam ex fratribus ad impietatem, & blaſphemias traxit, deque DEO profaniſſimam doctrinam ſubintroduxit, ac benigniſſimo Domino noſtro JESU Chriſto immiſericordiæ calumniam ſtruxit, ac Spiritum ſanctum ex illis, etiam ſi ſpes eſt aliqua, quod vel in ipſis maneat, vel rediturus ſit, prorſus profligavit.* Animadverte, quid damnabile fuerit in NOVATIANO, nimirum pœnitenti etiam veniam claudere, ac CHRISTI miſericordiam, quamque inde conſecuti ſumus, ſpiritus ſancti gratiam reſtringere, ac virtutem clavium eccleſiæ negare.

Lib. VI. c. 43.

L. VII. c. 8.

Nemo autem miſericordiam immerenti impertiendam credat, ſed in converſione ſincera eſt ſperanda. Memorabile exemplum in S. CYPRIANO martyre Antiocheno habetur, qui ob priora delicta deſperabundus excitatur a S. JUSTINA, non ut pœnitentiæ lacry-

mas

mas abſtergat, ſed ſpem concipiat inde, quod pœnitentiam tribuerit DEUS; cauſam fore, ut de venia deſperet, ſi in infidelitate manſiſſet. Hoc conſtans tenet eccleſiæ praxis, quæ ad pœnitentiam omnes recipit, nec vult deſperandum de ſalute cujusdam, niſi ipſi ſpem abjiciant, a pœnitentia averſi. „ Evidenter „ inquit S. FULGENTIUS, „ agnoſcimus " inaniter hominem pœnitere, ſi, dum, pœni- " tentia geritur, indulgentia deſperatur, & " fruſtra indulgentiam ſperari ſine peccatorum " pœnitentia; ac per hoc nec ſub ſpe remiſſio- " nis debet aliquis peccare ſecurus, nec pec- " catorum ſuorum conſiderans multitudinem, " remanere catena deſperationis obſtrictus. " Hortatur enim nos ſcriptura ſacra, ut pec- " care jam deſinamus, nec deſperemus nobis " remittenda, quæ fecimus: dicit quippe: " *Fili, peccaſti, ne adjicias iterum, ſed & de* " *præteritis deprecare, ut iterum dimittantur.* " Utrumque ſacra ſcriptura præmonuit, & " oſtendit, quod nec in peccato debeamus re- " manere, nec de remiſſione cujuslibet iniqui- " tatis ambigere. Cur enim jubetur, ne adji- " ciamus peccata peccatis, ſi eſt in peccato " manendum? aut cur jubetur, ut de præte- " ritis, deprecemur, ut nobis dimittantur, ſi " ſunt aliqua, quæ deprecantibus dimitti nulla- " tenus poſſunt? „ *Conſeſſ. S. Cypr. p. 59.* *Ep. 7. de recta pœnit. c. 6.*

Recte igitur deſperationem nihil aliud eſſe definit PASCHASIUS RATBERTUS, quam ipſi ſibi ſpem bonorum auferre. *Nam*, inquit, *deſperare, a ſpe fugere eſt, & quisquis a ſpe fugit, ab ea utique & apoſtata recedit, ad quam ad ſpem feſtinus ire debuerit. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia* *L. II. de ſpe. c. 6.* *Ezech. XVIII. 21.*

nia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vitam vivet, & non morietur. Videns conditionem, quam omnes implere debuerunt, qui a deſperata vita ad ſpem veniæ perveneruunt, qui ſolent in exemplum adduci; nullus autem qui in deſperatione manſerit, nec ad miſericordiam recurrerit. *Idcirco*, inquit laudatus PASCHASIUS, *blaſphemare in Spiritu S. ſola deſperatio, & impœnitudo cordis eſt, ac per hoc nulla remiſſio peccatorum, ubi deſperatio, & impœnitentia cordis manet.*

S. CHRYSOSTOMUS totus eſt in hoc argumento in exhortationibus ad THEODORUM lapſum, in homiliis etiam de pœnitentia, & contra Judæos, ne quisquam a ſpe veniæ etiam Judæi excluſi eſſe videantur, hortaturque fideles, ut in illis convertendis ſtudioſe laborent. S. AUGUSTINUS in S. JOANNEM in hoc etiam prolixus eſt, neminem deſperare debere. Cujus tamen doctrina de gratia, & prædeſtinatione nonnullis deſperationis laqueus fuit; ſed ſua culpa: ſi converſi amplius non fuerunt a deſperatione, quo utique in ſtatu ſi perſeveratur, venia non ſupereſt.

Tract. 31.

Sed vel ideo tamen nemo deſperare debet, ſed converti ad divinam miſericordiam, certus, ſi fecerit, veniæ. *Nemo ergo diffidat*, inquit S. AMBROSIUS, *nemo veterum conſcius delictorum præmia divina deſperet. Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum.*

In cap. I. Lucæ. v. 64.

§. CIII.

Ac ſpem fruſtrando obduratione, excæcationeq; mentis.

Homines ergo, qui ſpe excidunt, ac ſalute, ſunt in cauſa, ſi animum obdurent, ac excæcati in interitum ruant.

In

In judicium ego, inquit CHRISTUS, *in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & , qui vident , cæci fiant.* Quæ audientes Phariſæi , ſeque tangi exiſtimantes , ajunt , *Numquid & nos cæci ſumus?* Quibus JESUS , *ſi* , inquit , *cæci eſſetis , non haberetis peccatum , nunc vero dicitis : Quia videmus , peccatum veſtrum manet.* DEUS ergo , qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum , cauſa cæcitatis non eſt , nec immittit tenebras : *Lux in tenebris lucet , ſed tenebræ eam non comprehenderunt ;* homines divinæ luci , dum irradiat, oculos claudunt. *Jo.IX.39.* *Jo. I. 16.*

Tales erant Judæi , diemque ſalutis præterire ſinebant , quibus ultimo CHRISTUS illuxit , hinc eos monet : *Ambulate dum lucem habetis , ut non vos tenebræ comprehendant.* Quod poſtea accidit , atque lux evangelii , gratia redemtionis , eos præteriit. Quod ſignificare voluit CHRISTUS , poſtquam paulo ante allata verba locutus eſſet , referente evangeliſta : *Hæc locutus eſt JESUS: & abiit , & abſcondit ſe ab eis.* Et pergit : *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis , non credebant in eum : ut ſermo ISAIÆ impleretur , quem dixit : Domine , quis credidit &c. Propterea non poterant credere , quia iterum dixit ISAIAS : Excæcavit oculos eorum : & induravit cor eorum : ut non videant oculis , & non intelligant corde , & convertantur , & ſanem eos.* Nimirum lucem auferendo , non immittendo tenebras , aut cor obdurando , juſto judicio id egit DEUS ſecundum leges juſtitiæ ſuæ , quam negare non poteſt , haud magis , ac ſeipſum. Sic CHRISTO acciderat in patria ſua : *Non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi* *Jo. XII. 35.* *v. 36.* *Marc. VI. 5.*

niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit: Et mirabatur propter incredulitatem eorum. Salva nimirum juſtitia in incredulitatis pœnam. Ita ſuperiorem ISAIÆ locum referens D. PAULUS explicat: *Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt.*

Act. XXVIII.

De gentibus ſimiliter in epiſtola ad Romanos: *Tradidit illos DEUS in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate &c.* Et poſtea: *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.*

Rom. I. 28.

Simile eſt PHARAONIS exemplum, & aliorum, quorum indurata fuerunt corda: quod licet permiſerit DEUS, & ad conſilia ſua ſit bene uſus, hominum tamen fuit culpa, & peccatum: *Quod*, verba ſunt CLEMENTIS, *multa eorum corda indurata fuerint, poſtquam per famulum DEI MOYSEN tot, tantaque portenta facta fuerant in terra Ægypti.* S. IRENÆUS, Marcionitarum hanc contra vetus teſtamentum, ejusque auctorem DEUM objectionem ſolvens: *Si igitur*, inquit, *& nunc, quotquot ſcit non credituros DEUS, quum ſit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt; quid mirum, ſi & tunc nunquam creditурum PHARAONEM cum his, qui cum eo erant, tradidit eos ſuæ infidelitati.* Paulo ante eodem loco uſus eſt ſolis exemplo ad rem explicandam: *Unus quidem*, inquit, *& idem DEUS, his quidem, qui non credunt, ſed nullificant eum, infert cæcitatem; quemadmodum ſol, qui eſt creatura ejus, his, qui*

Exod. IV. VII. 3. 13. 22.

Ep. I. ad Corinth. n. 51.

L. IV. 29.

pro-

propter aliquam infirmitatem oculorum non poſſunt contemplari lumen ejus: his autem, qui credunt ei, & ſequuntur eum, pleniorem, & majorem illuminationem mentis præſtat. S. HILARIUS idem exemplum generatim applicat, illud Apoc. citans: *Ecce ſto ad oſtium pulſans: Vult ergo*, inquit, *ſemper introire; ſed a nobis, ne introeat, excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ noſtræ aditum, quæ ſi cœperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo ſolis, qui clauſis feneſtræ valvis introire prohibetur, patentibus vero totus immittitur. Ipſe quidem ſemper, ut illuminet; promtus eſt; ſed lumen ſibi domus ipſa obſeratis aditibus excludit.* Hoc de PHARAONE egregie illuſtrat eodem ſolis exemplo, ceram emollientis, & lutum indurantis, THEODORETUS in quæſtionibus in Exodum. *Quemadmodum*, inquit, *ſol iſte una, & eadem virtute contraria operatur, ſic & longanimitate DEI nonnulli capiunt utilitatem, alii vero damnum; & illi emolliuntur, iſti vero indurantur.* S. AUGUSTINUS de excæcatione eodem utitur exemplo, ſed ut ſimul oſtendat luminis privationem accedere ſolere in pœnam peccati contra PELAGIUM hoc negantem: „ Nec cogitat „ inquit „prævaricatorem legis, quam digne lux deſerat veritatis; qua deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non ſurgat, ut ideo tantum audiat vocem legis &c. Utique iſta obſcuratio vindicta, & pœna jam fuit; & tamen per hanc pœnam, id eſt per cordis cæcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ in plura, & gravia peccata collapſi ſunt. „ S.

Apoc. III. 20.

In Pſ. 118. lit. XII. n. 5.

Quæſt. 12.

De nat. & grat. c. 22.

CÆ-

Vid. L. I. ad Simpl. Serm. 12. ap. S. Aug. T. V. p. 46.

CÆSARIUS eodem exemplo ad idem exprimendum utitur: „ Sicut enim quotiens nimio frigore aqua conſtringitur, ſolis calore ” ſuperveniente reſolvitur, & diſcedente eodem ſole iterum obduratur: ita nimirum ” peccatorum frigore refrigeſcit charitas multorum, & velut glacies obdurantur: &, ” cum eis iterum calor divinæ miſericordiæ ” ſupervenerit, reſolvúntur; ille utique calor, ” de quo ſcriptum eſt, non eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus. Quod etiam erga PHARAONEM impletum eſſe cognoſcimus, ” a quo quotiens flagella remota ſunt, contra ” DEUM ſe obduratus erexit: quotiens vero afflictus eſt, humiliter ſupplicavit. „ S. EUCHERIUS de excæcatione Judæorum, & induratione PHARAONIS eodem modo loquitur in illud JOANNIS a nobis paulo ante allatum: *Propterea non poterant credere &c.* „ Non poterant credere, ita dici-

Jo. XII. 39.

Bibl. PP. p. 843. &c.

” citur „ inquit „ ſicut & nos ſæpe aliqua dicimus non poſſe, quia nolumus. Et de ” PHARAONE ſcribitur: *In hoc ipſum ” excitavi te, ut oſtendam in te virtutem ” meum.* Neque enim dixit, in hoc te feci, ” ut talis eſſes; ſed in hoc te elegi, & ſuſcitavi, cum jam te talem ipſe feciſſes. Ergo ” & hic excæcati eorum oculi, & induratum ” eſſe cor dicitur, quia jam ſe ipſi hac cæcitate dignos effecerant. Excæcat autem, & ” indurat Dominus peccatorem deſerendo, & ” non adjuvando. „ „ Oculus enim „ inquit

Ap. Sirm. op. var. T. I. p. 139.

EUSEBIUS „ ſine lumine tenebroſus eſt, ” & cogitatus ſine efficientia ſuperna vult videre, ſicut oculus in nocte & deſiderat, & ” illicitur; laborat autem, quia non valet: ” cum autem advenerit lumen, efficitur oculus.

lus. Ita & cogitatus ſine operatione Spiritus ſancti palpat, contingit, promovet, creſcit, putat quia iſte lapis forte DEUS eſt, & hoc lignum. „ S. PETR. BALSAMON apud BOLLANDUM illud pſalmi huc applicat: *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, ſimiles illis fiant &c.* id eſt, cæci, obdurati. *Ad 3. Jan. p. 129. n. 2.*

§. CIV.

Hominem benignitas DEI ad pœnitentiam adducit; *Secundum autem duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizat ſibi iram in die iræ, & revelationem juſti judicii DEI.* Corde impœnitenti. *Rom. II. 4. 5.*

Hoc CHRISTUS in Judæis fici arbore ſignificavit, in qua nihil invenit, niſi folia tantum, & ait illi: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: Et arefacta eſt continuo ficulnea.* Idem ſignificantius expreſſit parabola de arbore fici, fructum non ferente, exciſa, cum fruſtra fructus diu exſpectaretur. Quod per prophetam prænuntiavit: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? Exſpectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas.* Abuſi ſunt autem, & abutuntur quotidie homines DEI benignitate, & longanimitate in ſuam propriam perniciem, de die in diem differentes pœnitentiam, quæ ſemper difficilior redditur, & in impœnitentiam degenerat. S. HILARIUS ad illud pſalmi CXVIII. *In toto corde exquiſivi te, ne repellas me a mandatis tuis*, quæſtionem inſtituit, an bonitati DEI competat, quem-

Matt. XXI. 19. &c. Luc. XIII. Iſ. V. 4.

quam

Lit. II. n. 3. quam a mandatis ſuis repellere? *Qui ergo*, inquit, *ſecundum prophetam mavult peccatorum pœnitentiam, quam mortem, numquid exiſtimandus eſt a mandatis ſuis quemquam repellere?* Solutionem autem petit ex ipſis prophetæ verbis: *In toto corde exquiſivi te*; aliis econtra ſcripturæ locis allatis, quibus, qui opus DEI neglexerint, maledicti dicuntur &c. tandem ſic concludit: *Neminem igitur, niſi obnitentem repellit, neminem niſi negligentem rejicit. Hanc enim propheta prætulit cauſam, cur ſe non repelli a mandatis DEI precaretur, quia non ex parte, atque per deſidiam DEUM, ſed toto corde quæſiſſet: per quod intelligimus, eum a mandatis repelli, qui per multam incuriam fuerit indignus admitti: & extra inhibentis invidiam eſt, quod de culpa proficiſcitur non merentis.* *n. 5.*

Suapte natura id uſuvenit, ut pravis habitibus innutriti, ac vitiis, difficilius inde emergant, atque pœnitentiæ locum nanciſcantur, dum peccata accumulata culpam augent, ac gratia ſpreta tardius, ac difficilius recurrit. „ Grave enim eſt „ inquit S. GREGORIUS NAZ. „ facilioris medicinæ loco difficiliorem, „ ac moleſtiorem adhibere, ac projecta miſe„ ricordiæ gratia, ſuppliciis ſeipſum obno„ xium reddere, atque admiſſa peccata cor„ rectione vitæ compenſare. Quantam enim „ lacrymarum vim impendemus, ut ea cum „ baptiſmi fonte exæquari poſſit? Quis autem „ nobis præſtabit, fore, ut vitæ finis curatio„ nem exſpectet, ac non potius adhuc ære a„ lieno preſſos, atque ignis illius ardore opus „ habentes, tribunal illud ſuſcipiat? Tu qui„ dem fortaſſe, bone & humane agricola, Do- „ mi- *Orat. 40.*

minum ſupplex rogabis, ut ficulneæ adhuc „
parcat, nec eam ſterilitatis accuſatam adhuc „
ſuccidat, verum tibi permittat, ut ſtercora „
undique in eam injicias, hoc eſt, lacrymas, „
gemitus, preces, chameunias, vigilias, ani- „
mæ & corporis macerationem, ac denique „
correctionem eam, quæ ex peccati confeſſio- „
ne, contemtiorique vitæ genere exiſtit: at „
incertum eſt, an Dominus illi parcat, utpote „
etiam locum occupanti, cum interim alius „
miſericordia egeat, atque ob longanimitatem, „
quæ ipſi exhibetur, deterior fiat.„ S. AU-
GUSTINUS citatum a nobis PAULI lo- *Rom. II. 4.*
cum verſat & urget contra JULIANUM *L. V. c. 4.*
Pelagianum inde negantem gratiæ neceſſitatem,
colligentemque DEUM non deſerere, ut ſe-
quentia peccata ſint pœna priorum. Et S.
GREGORIUS in illud EZECHIELIS, *Ezech. III.*
„*ſi converſus juſtus a juſtitia ſua fecerit ini-* „ 20.
quitatem, ponam offendiculum coram eo. „ *L. I. hom.*
Non enim „ inquit „ dicimus, quia ſi iniqui- „ *XI. in E-*
tatem fecerit, offendit: & verum eſt omni- „ *zech. n.*
no, quod dicimus. Cur adhuc ei DEUS „ 23. & 24.
offendiculum ponit, quem jam impegiſſe, & „
cecidiſſe per iniquitatem, quam perpetrave- „
rit, conſpicit? Sed diſtricta ſunt omnipoten- „
tis DEI judicia: & qui peccatorem diu ex- „
ſpectat, ut redeat, non redeunti, atque „
contemnenti ponit adhuc ubi gravius impin- „
gat. Peccatum quippe, quod per pœniten- „
tiam citius non deletur, aut peccatum eſt & „
cauſa peccati, aut peccatum & pœna pec- „
cati. Omne enim, quod prius committitur, „
peccatum eſt. Sed ſi citius pœnitendo non „
tergitur, juſto judicio omnipotens DEUS „
obligatam peccatis mentem etiam in culpam „
alteram permittit cadere; ut, quæ flendo „

„ &

" & corrigendo noluit emendare quod fece-
" rit, peccatum incipiat peccato cumulare. „

Quam ſevera fuerit in tales impœnitentes eccleſiæ diſciplina, ſuo loco exempla dabimus, quibus in infirmitate demum pœnitentiam aut communionem petentibus ea negata eſt, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ. Tantum hic verba adſcribam, quibus S. BASILIUS epiſtolam ſuam tertiam canonicam claudit: „ Quodſi qui difficile avel-
" lantur a propriis moribus, carnisque volu-
" ptatibus ſervire malint quam Domino, &
" vitam ſecundum evangelium inſtituere no-
" lint, nulla eſt nobis cum illis communis ra-
" tio. Nos enim in populo inobſequenti &
" contradicenti edocti ſumus audire: *Servans*
" *ſerva animam meam.* Ne igitur committa-
" mus, ut cum talibus pereamus: ſed grave
" judicium formidantes, & terribilem retri-
" butionis Domini diem ob oculos habentes,
" ne velimus unacum alienis peccatis peri-
" re.... Sed tamen obteſtari eos & noctu &
" interdiu, & publice, & privatim debemus;
" nos autem ſimul abripi eorum improbitati-
" bus, ne feramus; maxime quidem optan-
" tes eos lucrifacere, & a maligni laqueo eri-
" pere, ſed ſi hoc non poſſumus, ſtudeamus
" ſaltem animas noſtras ab æterna condem-
" natione ſervare. „

Conc. Carth. c. 22. T. I. Conc. p. 1429. Epiſt. CCXVII. ad Amphiloch.

§. CV.

Conſummato in Spiritum S. peccato.

Sic conſummatur peccatum in Spiritum S. quando homo laxatis habenis peccata accumulat, gratiæ dona reſpuendo ſibi relictus in præſumtio-

tione, desperatione, impœnitentia indurescit, obbrutescitque.

Magna est opinionum varietas apud antiquos de peccato in Spiritum S. Ne quid enim de Novatiano errore dicam, qui apostasiam, ac relapsum post receptam baptismi gratiam illud constituit, idemque, teste S. ATHANASIO, tenuerunt ORIGENES & THEOGNOSTUS, *illam esse in Spiritum S. blasphemiam, cum ii, quibus in baptismate donum Spiritus S. tribuitur, ad peccata recidunt, ideoque illos remissionem non consecuturos.* THEOGNOSTUS præterea quosdam terminos constituit, qui autem tertium contemserit in initiatione & participatione Spiritus, eum non ulterius veniam consecuturum. Primum autem & secundum terminum constituit doctrinam de Patre & Filio. *Epist. 4. ad Serap.*

Alii fuerunt, qui in hoc ipso peccatum illud constituerunt, dum quis CHRISTUM Deum negat: nimirum, qui acrius Arianos infestarunt, SS. ATHANASIUS & HILARIUS: quemadmodum postea contra Pneumatomachos alii hoc peccatum constituerunt singulariter in abnegatione divinitatis Spiritus S. uti S. EPIPHANIUS, S. AMBROSIUS & PHILASTRIUS: qui tamen posteriores generatim hæreticos peccati in Spiritum S. reos esse statuunt: sicuti antiqui nonnulli apostasiam a CHRISTO ejusque abnegationem tempore persecutionis, veluti S. CYPRIANUS. *S. Ath. in illud: Quicunque dixerit. S. Hil. pictaviensis in Matt. Epist. X.*

S. OPTATUS MILEVIT. pro peccato seu blasphemia in Spiritum S. habet, si, qui jam sacro baptismatis fonte ablutus est, rebaptizetur, quo Donatistæ scelere se reos agebant. *L. V. cont. Parm. n. 3.*

Non pauci pro hoc peccato habebant, quando opera Spiritus S. poteſtati diaboli tribuantur. Inter quos etiam S. ATHANASIUS referri poteſt, S. BASILIUS, S. CHRYSOSTOMUS, auctor quæſtionum in vetus & novum teſt. qui ſub S. AUGUSTINI nomine habetur, creditur autem eſſe HILARII diaconi Romani &c.

Moral. reg. 35. Hom. 42. in c. XII. Matth. Quæſt. 102.

Quodſi autem pro irremiſſibili habeant, ut præter S. CHRYSOSTOMUM plerique innuere videntur, non poſſunt non certum quoddam genus in malo obduratorum, & impœnitentium ſtatuere: ut facit S. AUGUSTINUS, qui de hac re multis in locis agit, hancce quæſtionem pro difficillima habet, quam vix examinare auſus ſit. In eo autem ſibi convenit, quod perſeverantiam quandam, ac obſtinationem in opponendo ſe divinæ gratiæ mediis ſine reminiſcentia, ac reconciliatione illud eſſe ſtatuit. Nunc autem expreſſis verbis finalem impœnitentiam illud eſſe ſtatuit veluti citato mox ſermone pariter ac auctor libri de fide ad PETRUM ejus diſcipulus: & auctor de vera & falſa pœnitentia: Nunc hoc peccatum facit contemtum clavium, & poteſtatis reconciliandi peccatores in eccleſia, ſi quis in hac obſtinatione mentis diem claudat extremum; alias deſperationem indulgentiæ DEI, obſtinationem, ac duritiam cordis, in qua uſque in finem, non quærendo in unitate eccleſiæ remiſſionem peccatorum, perſeveratur. Unde theologi potiſſimum vulgares ſpecies peccati in Spiritum ſanctum deſumſerunt, *finalem impœnitentiam*, *deſperationem*, *obſtinationem in malo*, *veritatis apertæ malitioſam impugnationem*, *præſumtionem*, & *fraternæ charitatis invidiam.* Sed in eo ab ejus mente receſſe-

Serm. 71. de verb. dom. c. 5.

Enchirid. c. 83.

Epiſt. ad Bonif. Comment. ad Rom.

receſſerunt, quod ſingularia hæc ſtatuerint peccata, non ſtatum peccatoris in peccato perdurantis, quod ipſe conſtanter facit ubicunque hoc argumentum tractat. Unum tantum adducam locum, ubi rem ex fonte repetit. „ Quum dixiſſent „ inquit „ Judæi, quod in „ BEELZEBUB ejiceret dæmonia, miſericorditer eos voluit admonere, ne verbum dicerent, & blaſphemarent, in Spiritum ſanctum: „ hoc eſt, ne gratiæ DEI, pacique reſiſterent, quam per Spiritum ſanctum donare „ Dominus venerat. Non quia hoc jam fecerant, quod ſibi neque in hoc ſæculo, „ neque in futuro dimitteretur, ſed ne deſperando de venia, aut quaſi de ſua juſtitia, „ præſumendo, & pœnitentiam non agendo, „ aut perſeverando in peccatis, hoc facerent: „ hoc modo enim dicerent verbum, hoc eſt, „ blaſphemiam in Spiritum ſanctum, in quo „ Dominus ſigna illa propter largiendam gratiam, pacemque faciebat: ſi perſeverantia „ peccatorum ipſi gratiæ, pacique reſiſterent. „ Verbum enim dicere, non ita videtur hic „ poſitum, ut tantummodo illud intelligatur, „ quod per linguam fabricamus, ſed quod corde conceptum etiam opere exprimimus.... „ Sic etiam, qui hoc verbum, quod ſine venia vult intelligi Dominus, in Spiritum S. „ dicit, hoc eſt, quod deſperans de gratia & „ pace, quam donat, in peccatis ſuis perſeverandum ſibi eſſe dicit, nec dicere intelligendus eſt, ſi non facit. Ut quomodo illi factis Dominum negant; ſic iſti in factis „ dicant, ſe in mala vita ſua, & perditis moribus perſeveraturos, ut etiam ita faciant, „ hoc eſt, perſeverent. Quod ſi faciunt, quis „ jam miretur, aut quis non intelligat, & „ *Expoſ. ep. ad Rom.*

» Dominum JESUM CHRISTUM per illam comminationem ad pœnitentiam vocasse Judæos, ut eis in se credentibus gratiam pacemque donaret; & hic gratiæ pacique resistentibus, & hoc modo verbum, atque blasphemiam in Spiritum sanctum dicentibus, hoc est, in peccatis suis desperata, atque impia mentis obstinatione perseverantibus, & adversus DEUM sine humilitate confessionis, atque pœnitentiæ superbientibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro veniam posse concedere. » Qui autem doctrinæ doctoris de gratia gnarus est facile intelliget, quei homines in hunc statum deveniant a DEO aversi, in quo usque ad mortem perseverantia necessario quidem sequitur, sed desertio & pœna præire potest in hac vita, hominibus gratia indignos se reddentibus, atque mentem obdurantibus, in quibus consummatum est peccatum in Spiritum sanctum.

Tr. I. de anath. vinc. T. IV. conc. p. 1230. *Notandum*, inquit GELASIUS P. *quod quolibet genere blasphemantibus in Spiritum sanctum, si resipiscant & corrigant & hic eis & in futuro sæculo remittatur; nec inde possit Domini mutare sententia, quæ circa tales utique permanentes permanere dicta est, non circa non tales effectos.*

§. CVI.

Irremissibili. Ancora spei firmiter est jacienda in DEO, ne ex ulla parte vacillans, aut exorbitans nos secunda post naufragium tabula, portuque felicitatis excludat damno irreparabili, peccato irremissibili in Spiritum S.

Num,

Non, inquit BARNABAS, *adhærebis, nec ſimilis eris hujusmodi hominibus, qui in perpetuum impii ſunt, & ad mortem ſunt adjudicati.* Epiſt. cath. n. 10.

HERMÆ paſtor, qui ſe angelum pœnitentiæ profitetur, unam admittit pœnitentiam, quomodo univerſim antiqua eccleſia unicam publicam eccleſiæ reconciliationem. *Si autem*, addit paſtor, *ſubinde peccet, & pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti; difficile enim vivit DEO.* L. II. mand. IV. n. 3.

Et poſtea: *Quorum aſpexit dolum & nequitias, & animadvertit ad ſe fallaciter reverſuros, negavit iis ad pœnitentiam regreſſum, ne rurſus legem ejus nefandis maledicerent verbis.* L. III. ſimil. 8. n. 6.

S. CLEMENS Romanus: *Quamdiu ſumus in hoc mundo, de malis, quæ in carne geſſimus, ex toto corde reſipiſcamus, ut a Domino ſalvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ.* Ep. II. n. 8.

S. CYPRIANUS, & nonnulli veteres dicunt, *non poſſe remitti in eccleſia ei, qui in DEUM deliquerit.* L. III. 3. teſtim.

S. AUGUSTINUS hic diſtinguit inter peccare in DEUM, & DEO. Peccare autem Domino hi illi videntur non immerito dici, qui *piam pœnitentiam peccati ſui nunc agunt.* L. V. quæſt. in Heptat.

Ergo e contrario alteri erunt, qui pœnitentiam talem non agunt. Idem S. CYPRIANUS *ep.* 10. *Omnia peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemiæ. Qui autem blaſphemaverit Spiritum ſanctum, non habebit remiſſam, ſed reus eſt æterni peccati.*

ORIGENES: „ Qui conſcii ſibi ſunt multorum laborum, pro virtute timere debent, ne forte labore ipſorum, ſi facti ſint Jeruſalem peccato aliquo admiſſo, accipiat NABUCHODONOSOR rex Babylonis. Hom. 18. in Jerem.

In Matt. XII. 31. „ nis. S. HILARIUS „ Phariſæorum ſen-
„ tentiam, & eorum, qui ita cum his ſentiunt,
„ perverſitatem ſeveriſſima definitione con-
„ demnat, peccatorum omnium veniam pro-
„ mittens, & blaſphemiæ in ſpiritus indulgen-
De commun. eſſent. perſ. T. II. p. 26. „ tiam abnegans. S. ATHANASIUS:
„ Sunt alii, qui in Spiritum S. impingunt, qui
„ ſcilicet in CHRISTI deitatem blaſphe-
„ mias dicunt, ajuntque: *In Beelzebub prin-*
„ *cipe dæmoniorum ejicit dæmonia.* De iſtis
„ intelligendum eſt, quod ait: *Non remitte-*
„ *tur neque in præſenti ſæculo, neque in fu-*
„ *turo.* Quia & hoc obſervandum eſt, non
„ dixiſſe CHRISTUM: blaſphemanti &
„ pœnitentiam agenti remiſſionem dandam
„ non eſſe; ſed blaſphemanti, id eſt, in blaſ-
„ phemia perſeveranti. Quandoquidem nul-
„ lum eſt peccatum irremiſſibile apud DEUM
„ illis, qui vere ex animo, &, ut par eſt,
„ pœnitentiam agunt. S. CYRILLUS
Cat. XVI. n. 6. HIEROSOL. „ Hujusmodi igitur homines
„ oderis, & fuge blaſphemantes Spiritum S.
„ quibus non eſt remiſſio. Quænam tibi cum
„ ſpe omni carentibus ſocietas &c. S. AM-
Synod. ap. Cotel. Mon. gr. T. II. p. 104. PHILOCHIUS: „ Ii, qui irremiſſibile
„ peccatum per blaſphemiam in ſpiritum ad-
„ mittunt, fruſtra repudiant communionem
„ cum Arianis, quia ſcilicet cum illis condem-
„ nabuntur. S. AMBROSIUS: „ Si quis
De Spir. S. L. I. c. 3. „ vero ſancti Spiritus dignitatem, majeſtatem
„ & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet,
„ non in Spiritu DEI ejici dæmonia, ſed in
„ Beelzebub: non poteſt ibi exoratio veniæ
„ eſſe, ubi ſacrilegii eſt plenitudo. S. E-
De vit. ſpirit. n. 93. PHREM: „ Eſt peccatum ad mortem: Pa-
„ rat autem ſibi mortem, qui perſeverat in pec-
„ cato, nec ſe a vita impia ad optimam viven-

„ di

di rationem confert. „ S. HIERONYMUS: „ Nihil ita repugnat DEO, quam cor impœnitens. Solum crimen eſt, quod veniam conſequi non poteſt. Si enim ei ignoſcitur poſt peccatum, qui peccare deſiſtit, & ille flectit judicem, qui rogat, impœnitens autem omnis ad iracundiam provocat judicantem, ſolum deſperationis crimen eſt, quod mederi nequeat. „ Nec abludit S. CHRYSOSTOMUS, licet alias caput eorum ſit, qui difficultatem tantum remittendi in peccato in Spiritum S. ſtatuunt. „ Univerſorum „ inquit, „ hominum alii & hic & ibi ſupplicia dabunt, alii in præſenti ſolummodo vita, alii in futura tantum: alii nec in præſenti, nec in futura: hic quidem & illic, ut illi ipſi, de quibus nunc agitur. Nam & hic ipſos ultus eſt, quoniam intolerabilia paſſi ſunt, urbe ipſorum vi a Romanis expugnata: ibi autem acerbiſſima eos exſpectant tormenta, ut Gomorrhæ, ac Sodomorum cives, aliosque complures. ISIDORUS PELUS. Contumelia adverſus Spiritum S. conjecta idcirco venia caret, quoniam ipſa opera in oculis & conſpectu poſita eos, qui contumeliam inferunt, malignitatis & ingratitudinis convincunt. „

Ep. 93. ad Sabin.

Homil. XLII. in Matt. 12.

L. I. ep. 59.

S. AUGUSTINO nemo aſſertius peccatum hoc facit irremiſſibile. In retractationibus autem iis, quæ ſermone de verbis Domini dixit, hæc addenda voluit: „ Addendum fuit, ſi in hac ſcelerata mentis perverſitate finierit hanc vitam: Quoniam de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt utique deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur. Et alibi: „ Unum ergo ſuffugium eſt, ne ſit irremiſſibilis blaſphe-

L. I. Retract. c. 19.

L. I. c. 22.

" phemia, ut cor pœnitens caveatur, nec ali-
" ter pœnitentia prodeſſe credatur, niſi ut te-
" neatur eccleſia, ubi remiſſio peccatorum da-
" tur, & ſocietas ſpiritus in vinculo pacis cu-
" ſtoditur. "

Auctor de vera & falſa pœnitentia ſub no-
c. 4. mine AUGUSTINI: " Qui igitur pec-
" cat, & gratiam ſuam recuperare non amat,
" & nunquam curat ab eo diligi, qui totus eſt
" amor & charitas, nec ad eum tendit, unde
" ſumſit arrham, in Spiritum ſanctum peccat,
" & nunquam poſt mortem, ſicut nec vivens,
" conſequetur veniam: ſicque nullus peccat in
" Spiritum ſanctum, qui fugit ad ipſum. "

BACHIARIUS Afer, qui circa ætatem
Ep. de reip. lapſis. Bibl. PP. T. VI. p. 1180. S. AUGUSTINI vixit: " Ego dico hoc
" ipſum, deſperare de Domino, in Spiritum
" ſanctum eſſe peccare, quia Dominus eſt Spi-
" ritus, & ideo non remittetur ei, quia non
" crediderit, Dominum reddere ſibi poſſe quod
" perdidit. " S. EUCHERIUS in illa ver-
T. VI. Bibl. PP. p. 853. ba: *Qui autem blaſphemaverit in S. Spiri-
tum &c.* " Blaſphemat enim, qui divinis pro-
" miſſis, Spirituique ſancto minime credens,
" in quo eſt remiſſio peccatorum, reconcilia-
" ri DEO in hac vita per ſatisfactionis ope-
" ra detrectat. "

De anath. vinc. T. IV. conc. p. 1229. GELASIUS P. *Dixit Dominus, quod in Spiritum ſanctum peccantibus, nec hic eſſet, nec in futuro ſæculo remittendum. Quantos autem cognoſcimus in Spiritum ſanctum delinquentes, ſicut hæreticos diverſos, Arianos, Eunomianos, Macedonianos ad fidem catholicam revertentes, & hic remiſſionem ſuæ percepiſſe blaſphemiæ, & in futurum ſpem ſumſiſſe indulgentiæ conſequendæ? Nec ideo non vera eſt Domini ſententia, aut putabitur eſſe ullate-*

latenus reſoluta, cum circa tales, ſi hoc eſſe permaneant, nunquam omnino ſolvenda perſiſtat, effectis autem non talibus non irrogata. Sicut etiam eſt conſequenter & illud B. JOANNIS apoſtoli: Eſt peccatum ad mortem: non dico, ut oretur pro eo. Et eſt peccatum non ad mortem: dico, ut oretur pro eo: eſt peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: eſt peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus.

S. LEO in illud: *Qui dixerit contra Spiritum S. &c. Permanens itaque*, inquit, *in hac impietate, ſine venia eſt, quia excluſit eum a ſe, per quem poterat confiteri; nec unquam perveniet ad indulgentiæ remedium, qui patrocinaturum ſibi non habet advocatum. Ab ipſo enim eſt invocatio Patris, ab ipſo ſunt lacrymæ pœnitentium, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium.* Serm. 73.

S. FULGENTIUS: „Sicut enim miſericordia ſuſcipit, abſolvitque converſos, ita juſtitia repellet, punietque obduratos. Ii ſunt, qui peccantes in Spiritum ſanctum, neque in hoc ſæculo, neque in futuro remiſſionem accipient peccatorum.“ Concilium VII. œcumen. *Eſt peccatum ad mortem, quando peccantes aliqui manent incorrigibiles. Hoc autem eſt deterius, quando & erecta cervice adverſus pietatem & veritatem inſurgunt mammonam DEI obedientiæ præferentes, & ejus canonicas inſtitutiones non ferentes. In his ergo non eſt Dominus DEUS, niſi forte humiliati a ſuo delicto reſipuerint.* Hæc indiſcriminatim veluti per lancem ſaturam attuſimus, ex quibus quidem patet, quod alias nemo catholicorum dubitat irremiſſibile nullum eſſe peccatum per pœnitentiæ recon- *De fide ad Petrum. c. 3.* *Can. 5.*

ciliationem, ac Spiritus S. aſpirationem. Sed quouſque is ſpiret, & pœnitentiæ locus concedatur, quæ eſt donum DEI, ſicuti & fides, ad inſcrutabilia DEI judicia, juſta tamen, pertinet: dum homines ſpem ſalutis abjiciunt, divino lumini mentem claudunt, tempusque vocationis ſuæ præterlabi ſinunt.

§. CVII.

In hac & altera vita.

Funeſta exempla docent, menſura impleta ſalutem eſſe deſperatam, miſerosque in hac & altera vita pœnam luere, projectæ ſpei, & irremiſſibilis peccati reos homines.

Excæcati Judæi manifeſtum omnium oculis obverſantur, ac præbent exemplum, quorum occaſione illud a CHRISTO prolatum eſt: *Matt. XII. 31. &c.* *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ante enim & poſtea Judæos inceſſit CHRISTUS, opera Spiritus ſancti dæmoni tribuentes, ac Spiritui ſancto reſiſtentes, *v. 34.* ſicut & patres eorum. Unde vocantur progenies viperarum a CHRISTO, ſicut & a JO. BAPTISTA, qui eis ultimus pœnitentiæ præco advenerat, & venturam iram de- *Matt. III. 7.* nunciavit: *Progenies viperarum*, inquit, *quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Tunc *v. 10.* adhuc tempus erat mox elapſurum. *Jam enim*

nim ſecuris ad radices arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Eadem non ſenel CHRISTUS eis denunciavit in parabolis & palam, qui proxime erant impleturi menſuram patrum ſuorum, ad quos tot prophetæ miſſi fuerunt. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine ABEL juſti, uſque ad ſanguinem ZACHARIÆ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Quod poſtea factum eſt, & ad hodiernum diem experiuntur Judæi, hic & in altera vita pœnas dantes, a regno DEI eccleſia & cœlo excluſi, extorres, ut itidem eis CHRISTUS prædixit: *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Et PAULUS, & BARNABAS: *Vobis oportebat primum loqui verbum DEI: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Id CHRISTUS non fecerat, Judæis ſalutem denuncians, ad quod

Matt. XXIII. 32. &c.

Act. XIII. 46.

quod venit; ſed ad conſummationem peccati hoc eis ceſſit: *Filius itaque DEI*, inquit BARNABAS, *ideo venit in carne, ut ſummam imponeret peccatis eorum, qui ad mortem perſecuti ſunt prophetas illius. Igitur ob hoc paſſus eſt.*

Ep. Cath. c. 5.

Accidit autem, quod Judæi ipſi voluerant, ut veniat ſanguis ejus ſuper ſe & filios ſuos, uſque in præſentem diem: cum hactenus excæcati vagentur, & vix unus ex eis ſincere convertatur. Exemplum præbet vel una hiſtoria comitis Judæi ab EUSEBIO & EPIPHANIO relatum, imprimis quantum conſtiterit, donec ſincere is crederet, dum eum CHRISTUS tot modis alliceret, ipſemet ei apparens. Habentur in ea hiſtoria miræ res, quod Judæi etiam perſuaſi de CHRISTO vero MESSIA, tamen non credant. Idque JOSEPHO, dum graviſſimo morbo decumberet, doctor Judæus ipſe in aurem dixerat, ut in CHRISTUM fiduciam poneret; dicitque S. EPIPHANIUS, id ſolemne eſſe Judæis, & ipſe hic JOSEPHUS quadam occaſione id audierat a Judæorum præcipuo doctore.

Vid. S. Iſid. cont. Judæos.

Epiph. hær. 30. c. 9.

Et vix credi queat, poſt tantum tempus eos hactenus non eſſe perſuaſos, licet ſine effectu id eis ſit, ſicut JUDÆ proditori contigit, qui pœnitentia ductus non reſipuit: *Peccavi*, inquit, *tradens ſanguinem juſtum.* Quæ confeſſio ipſi non ad ſalutem, ſed ad conſummationem peccati fuit. *Sicut*, inquit S. LEO, *& propheta prædixerat, oratio ejus facta eſt in peccatum, quoniam conſummato ſcelere, tam perverſa impii converſio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret.* Et S. AMBROSIUS: *Incaſſa eſt pœnitentia proditoris, quia peccavit*

Serm. 5. de paſſ. Dom.

L. X. in Luc.

vit in Spiritum S. nimirum desperans. *Projecit enim*, inquit S. AUGUSTINUS, *pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemtus erat.* Legenda sunt, quæ S. CHRYSOSTOMUS hic expendit homilia prima de pœnitentia, de vera & falsa pœnitentia. *In Ps. 68. n. 11.*

LACTANTIUS alia ejusmodi exempla affert in libro de mortibus persecutorum, præsertim GALERII & MAXIMINI imperatorum, qui gravissimis morbis correpti agnoverunt ob diras in christianos persecutiones hanc sibi pœnam etiam adhuc in hac vita infligi, edicta hinc in eorum favorem edebant. GALERIUS etiam petierat, ut christiani pro sanitate sua, & imperii prosperitate DEUM orarent, sed DEUM nihil movit ista sera non sincera pœnitentia: sicut nec MAXIMINI; cui etiam oculi in extremo morbo exciderunt, quos christianis frequenter effodi fecerat, ut nemo de vindicta & pœna in hac etiamnum vita dubitare posset, quæ integrum etiam imperium invasit dira peste, fame, & oculorum morbo, quem carbonem vocabant, quo infinitus numerus hominum visum amisit, ut EUSEBIUS refert. *L. IX. c. 7.*

S. GREGORIUS NAZIANZ. complura exempla ejusmodi refert sub tempore conspicua JULIANI persecutione. Imprimis exemplo est ipsa JULIANI mors subita, qui etiam invidia donorum Spiritus S. in Spiritum sanctum peccaverat, christianis mortem seu gloriam martyrii invidens, ad apostasiam tantum omnibus artibus adducere conatus, quod discimus ex eodem S. GREGORIO; sed cito pœnas dedit morte violenta; *Orat. 4. Orat. 3. Orat. 10.*

dum

dum contra JOVIANUM, & VALENTINIANUM hujus etiam perſecutionis participes centuplum in hac vita, imperium nimirum, manſit, ut veteres hiſtorici obſervarunt. Qui etiam alia hujusmodi exempla vindictæ referunt, inter alios PHILOSTORGUS. Etiam BOLLANDUS tale exemplum profert, & S. CHRYSOSTOMUS in libro de S. BABYLA. Eſt autem imprimis memorabile JULIANI, qui avunculus fuit apoſtatæ, qui in morbo agnovit vindictam, & uxorem etiam compellans his verbis: *Vade miſera ad eccleſiam*, pro ſe orari voluit, ſed fruſtra.

Theodoret. L. IV. c. 1. Socr. L. III. c. 22. Hiſt. c. 12. Ad 11. Maji. p. 616. Orat. 3.

Simile exemplum in LEOVIGILDO Ariano, & in catholicos, propriumque filium HERMENEGILDUM ſæviente, ac demum pœnitente quidem, ſed non ad ſalutem, refert GREGORIUS M. ſed antiquius eſt VALENTIS imperatoris, qui agnitæ etiam veritati catholicæ, ſtupendis miraculis proditæ, reſtitit, pœnam a Gottis, quos ſeduxerat, expertus, vivus combuſtus, quod ei ISAAC anachoreta fore prædixerat, niſi cito rem catholicam reſtitueret.

Lib. IV. dial. c. 31.

Theodoret. L. IV. c. 31.

Sed ipſe auctor hujus hæreſis ARIUS exemplum præbet. Dum enim imperatoris auctoritate in eccleſiæ communionem ſolemni triumpho eſſet inducendus, S. ALEXANDER epiſcopus a DEO mortem illius exoravit ſubitam & debitam pœnam, orans αἶρον Ἄρειον tolle ARIUM, teſte S. ATHANASIO. Frequens hoc eſt hæreticorum exemplum, in Spiritum S. peccatum conſummantium. *Eos quoque*, inquit S. AMBROSIUS, *adſerit diabolico uti ſpiritu, qui ſepararent eccleſiam Domini; ut omnium temporum*

Ep. ad Serapionem. L. II. de pœnit. c. 4.

porum hæreticos, & ſchiſmaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat. Tale apertum exemplum in S. PORPHYRII geſtis apud BOLLANDUM refertur de muliere Manichæa, hæreſin illam diſſeminante, ſubito obmuteſcente. S. LEO agnovit, dari ejusmodi a DEO derelictorum, & obduratorum hæreticorum ſtatum. S. AUGUSTINUS autem de quibusdam Donatiſtis refert agnitæ veritati repugnantibus, & palam profitentibus, ſe in errore velle perſiſtere. Legenda ſunt, quæ de hac re in pſalmi 54. verba hæc ſcribit: *Deſcendunt in infernum viventes*, quæ pœnam in hac & altera vita innuunt, & deſperatum ſtatum.

Ad 26. Febr. p. 659. §. 90. *Ep.* 89. *ad Pulcheriam. Epiſt.* 204. *& alibi.*

ORIGENES tales ſibi etiam cognitos eſſe dicit: *Novi autem quosdam, qui non ſolum in hoc ſæculo, verum etiam in futuro a proprio peccato detineantur, veluti iſtos, de quibus Filius inquit DEI: Qui blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem, neque in præſenti ſæculo, neque in futuro.* Sed ordinarie nos latent, hinc de omnibus bene ſperamus, & pro omnibus oramus. Nec facile quisquam illam S. GENNADII de perverſo clerico orationem uſurpet, *aut corrige eum, aut abjice*, ut refert THEODORUS, additque: Ille vero tanquam reprobus confeſtim eſt mortuus.

In Joannem.

CA-

CAPUT III.

De charitate.

§. CVIII.

Charitas præcipua virtutum theologicarum.

Charitas præcipua inter theologicas ad juſtificationem, & ſanctificationem noſtram eſt virtus infuſa, qua DEUM ſuper omnia diligimus, nos ipſos & proximum propter ipſum.

Marc. XII. 32. 33. *Unus eſt DEUS, & non eſt alius præter eum, & ut diligatur ex toto corde, & toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificiis.* Hæc ſcriba apud MARCUM, CHRISTO teſtimonium reddente, quod ſapienter reſpondiſſet, ac dicente illi: *Non es longe a regno DEI.*

v. 34.

Novatores autem charitatem ad regnum DEI nihil nobis proficere volunt, ſtatuentes ſolam fidem juſtificare, cum CHRISTUS ad mulierem dixerit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, antequam diceret: *Fides tua te ſalvam fecit;* quæ nos recte conjungimus ad juſtificationem noſtram fidem, quæ per charitatem operatur. *Caritas*, inquit S. LEO, *robur fidei, fides fortitudo eſt caritatis. Et tunc verum nomen, ac verus eſt fructus ambarum, cum inſolubilis utriusque manet connexio. Ubi enim non ſimul fuerint, ſimul deſunt, quia invicem ſibi & adjumen-*

Luc. VII. 47.

Serm. 44.

jumentum, & lumen ſunt, donec & deſiderium credulitatis impleat remuneratio viſionis, & incommutabiliter videatur, & ametur, quod nunc & ſine fide diligitur, & ſine dilectione non creditur.

Hæc autem eſt lex gratiæ, charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis. Charitatis quidem lex etiam antiquis data eſt; ſed nonniſi per evangelium perficitur, quo DEO reconciliamur, & per amorem conjungimur. „ DEUS enim non omnium DEUS eſt „ ut dicit S. BASILIUS, *In Pſ. 29.* „ ſed eorum, qui ei ſunt charitate conjuncti. „ Qui autem „ ait S. GREG. NISS. „ parvo aliquo vitæ ſuæ ſpacio eſt remotus a DEI „ dilectione, plane exit ab eo, cujus a charitate ſejunctus eſt. Eum autem, qui extra „ DEUM eſt, extra lucem eſſe neceſſe eſt, „ quoniam DEUS eſt lux. „ *Homil. VIII. in Eccleſiaſten.*

S. AUGUSTINUS hoc frequenter tractat contra Pelagianos, imprimis autem libro de ſpiritu & littera ex hoc diſcrimen veteris, ac novæ legis deducit, *ſi autem*, inter alia loquitur, *fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi DEI ſecundum interiorem hominem, quæ delectatio non litteræ, ſed ſpiritus donum eſt.* Atque in hoc potiſſimum cum Pelagianis diſputatio verſabatur: *Homo Pelagiane*, inquit, *charitas vult bonum, & charitas ex DEO eſt, non per legis litteram, ſed per Spiritum gratiæ.* Volebant illi, nos juſtificari ſolummodo remiſſione peccatorum. Quod minime ille ferendum exiſtimavit: *Non*, inquit, *per ſolam peccatorum dimiſſionem juſtificatio iſta confertur, niſi auctoribus vobis. Juſtificat quippe impium DEUS non ſolum dimittendo quæ* c. 15. *L. I. op. imperf. cont. Jul. c. 94. lb. L. II. c. 165.*

mala fecit, ſed etiam donando charitatem, ut declinet a malo, & faciat bonum per Spiritum S. Amor autem DEI, alibi ait, *quo pervenitur ad DEUM, non eſt niſi a DEO Patre per JESUM Chriſtum cum Spiritu S. Per hunc amorem creatoris, bene quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus eſt, ut bonum beatificum ſit.* Hoc autem amore noſter proprius, & proximi amor eſt ordinandus. *Ut idem homo*, idem ait, *ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus eſſet. Non enim, qui ſe diligit, aliud eſſe vult quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere DEO. Jam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cum mandatur de proximo diligendo ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi ut ei, quantum poteſt, commendet diligendum DEUM? Hic eſt DEI cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum DEO debita ſervitus.* Hæc eſt felicitas omnium intellectualium creaturarum, hominum & angelorum, & finis omnium creaturarum, quatenus ab intellectualibus dependent; *DEUS quippe*, inquit S. FULGENTIUS, *cognoſcendi, ac diligendi ſe facultatem, voluntatemque donavit; ut eam unusquisque & habere poſſet, & perdere. Si quis tamen ſponte eam perderet, ſuo eam deinceps arbitrio reſumere non valeret.*

L. IV. cont. Jul. c. 3.

L. X. de civ. DEI. c. 3.

De fide ad Petrum c. 3. n. 30.

§. CIX.

Quæ perfecta foras mittit timorem.

Perfecta eſt via charitatis, quæ foras expellit timorem, quando inenarrabili dulcedine dilectionis curritur via mandatorum DEI.

Actio-

Actiones morales ex amore procedunt, quo in bonum ferimur, & ob hunc finem agimus. Amor autem vel eſt proprius, vel DEI. Ille ex corruptione noſtra congenita in malum, hic in bonum ad debitum finem vergit, & omnia ordinat, ac ſubordinat ſummo bono DEO, quæcunque nobis cara ſunt, ac eſſe poſſunt in hoc mundo. *Qui*, ait CHRISTUS, *amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* *Matt. X.* 37. &c.

Hæc eſt abnegatio ſui, anima chriſtianiſmi, qua omnia propter DEUM poſthabentur, & DEUS ſuper omnia diligitur, &, quidquid diligitur, propter DEUM diligitur. Hinc mox additur: *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.* *Ib. v.* 40. Sic præceptum charitatis impletur DEI, & proximi, in quo lex pendet, & prophetæ, ac officia omnia erga DEUM, proximum, & nos ipſos: eſtque hæc via evangelicæ perfectionis. *Via igitur*, inquit BARNABAS, *lucis hæc eſt: Si quis, cupiens incedere ad præfinitum locum, ſuis operibus properet. Cognitio itaque nobis data, in hac vita ambulandi, ejusmodi eſt: Diliges creatorem tuum. Gloria afficies eum, qui redemit te a morte. Eris corde ſimplex, & ſpiritu dives. Non adhærebis ad eos, qui incedunt in via mortis. Odio habebis omne id perpetrare, quod DEO non placet.* *Ep. cath. n.* 19. Currit deinde per ſingula chriſtiana officia hoc fundamento poſito. Quo etiam omnis noſtra cognitio, ac diſciplina tendere debet,

ac fides ſeu lex, ac doctrina evangelica, regula actionum noſtrarum ad diligendum DEUM.

Cont. hær. L. II. c. 28.

„ Habentes itaque „ inquit S. IRENÆUS, „ regulam ipſam veritatem, & in aperto poſi„ tum de DEO teſtimonium, non debemus „ per quæſtionum declinantes in alias atque a„ lias abſolutiones ejicere firmam, & veram de „ DEO ſcientiam; magis autem abſolutionem „ quæſtionum in hunc characterem dirigentes, „ exerceri quidem convenit per inquiſitionem „ myſterii, & diſpoſitionis exiſtentis DEI; „ augeri autem in charitate ejus, qui tanta „ propter nos fecit, & facit. „

Hoc igitur motivo ducti, quia DEUS noſtri amore tanta erga nos fecit & facit, nihil reſidui facere debemus, quo noſtrum etiam erga eum demonſtremus amorem, & alia omnia, nosque ipſos ipſius amori conſecremus.

L. VI. de eo quod ait: Non veni pacem mittere in terram. apud Sirmond. T. I. p. 160.

Si enim ille, inquit EUSEBIUS, *qui vere eſt ſponſus Dominus, & DEUS DEI non nati unigenitus Filius, qui in figura DEI conſtitutus propter charitatem ſponſæ formam ſervi accepit: ſi Dominus in figura ſervi propter dilectionem ſponſæ; qui natura ſervi ſunt quid putas quam figuram debent aſſumere?* Hæc ibi egregie deducit, & ex illis, quæ DEUS per CHRISTUM nobis beneficia contulit, atque amoris argumenta dedit, in tantis quæ pro nobis fecit & paſſus eſt uſque ad mortem, quid nos ob amorem illius agere debeamus, concludit.

Ib. p. 161.

Quid autem, inquit, *& ei poſſumus retribuere? Moriemur pro ipſo, ſed ipſe primus pro nobis mortuus eſt. Et nos quidem ſi moriamur, naturaliter ſuſcipimus mortem: ille autem contra naturam patiens fuit ad mortem. Et nos quidem, ſi fuerimus mortui, lucrabimur noſmetipſos:*

ille

ille autem mortuus eſt non ad utilitatem propriam, ſed ut nos lucrifaciat. Et nos morimur ad ſpem vitæ: ille autem vita eſt vivens. Et nos in martyrio patimur, ut non cum mundo condemnemur, fugientes per mortem gehennam, & in hæreditate accipientes regna cœlorum. Nos ad mercedem, ille propter charitatem. Siquis autem conſilio aſſentit meo, ſit quidem merces ab ipſo, non ſit autem nobis curſus ad mercedem: non enim quia promittit, ideo debet & diligi, ſed quia talis habetur, & talis eſt filius: non quippe diligatur ob ea quæ donat, ſed propter naturam ſui, & ante donationes.

Hæc eſt chriſtiana perfectio, quam S. ANTONIUS de ſe profitetur: *Ego non amplius DEUM timeo, ſed diligo illum. Caritas enim foras mittit timorem.* Et ad abbatem *Ammun Nitriotam*, qui ita eum allocutus eſt: *Ego plus te laboravi; cur ergo nomen tuum magnificatum eſt inter homines ſuper me?* Reſpondit idem ANTONIUS: *Quoniam DEUM plus quam tu diligo.* Quod certe ipſa *Nitriotæ* verba ſignificant, ad mercedem unice intenta, in hac etiamnum vita. Videntur nonnunquam antiqui SS. PP. excludere omne aliud agendi motivum, quam ex charitate; ſed intelligendi ſunt de perfectis chriſtiani actionibus, neceſſitateque charitatis, de qua apoſtolus 1. Cor. XIII. 1. *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Inter reliqua ergo officia non ſolum præſtantiſſimum eſt charitatis, ſed etiam illa veluti animandæ ſunt actiones noſtræ, ac obſervantia præceptorum. *Quia*, inquit S. AMBROSIUS

Cotel. T. I. mon. gr. p. 351. n. 32.

Ib. p. 392. n. 1.

Vid. S. Baſil. præf. ad reg. maj.

S. Chryſoſt. hom. 3. paneg. in S. Paulum.

in illud pſalmi CXVIII. *Cuſtodivi mandata tua, & dilexi &c. Cuſtodire interdum neceſſitatis eſt, vel timoris, diligere charitatis: ideo cum hic dixiſſet: Cuſtodivi, adjecit: dilexi; ut cuſtodia amantis fuerit, non timentis, qui nimium diligit, nimium cuſtodit.*

Non autem malus eſt timor, ſed melior charitas, ac timor etiam filialis ex charitate eſt. „ At vero de timore Domini ita ſcriptum eſt „ inquit S. HILARIUS, „ *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Diſcen- „ dus ergo DEI timor eſt, quia docetur. Non „ enim in terrore, ſed in ratione doctrinæ eſt: „ neque ex trepidatione naturæ, ſed præcepto- „ rum obſervantia, & operibus vitæ innocen- „ tis, & cognitione veritatis ineundus eſt. Nam „ ſi idcirco DEUS timendus eſt, quia plura „ fulminibus arſerint, tonitru proſtrata ſint, „ terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu „ recepta ſint; nullum fidei meritum in timore „ eſt, qui ex tremore accidentium commove- „ tur. Nobis autem timor DEI omnis in amo- „ re eſt: metum ejus dilectio perfecta conſum- „ mat. „ Et in illud pſalmi 118. „ *Quomodo dilexi legem &c.* Promtum utique „ in- „ quit „ fuerat, dixiſſe, quomodo feci legem „ tuam? Sed quia majus meritum eſt, aman- „ tem aliquid potius agere, quam timentem; „ idcirco ait, *ut dilexi legem tuam.* Differt „ enim longe obſequium amoris a timoris of- „ ficio: nec habet gratiam voluntatis neceſſi- „ tatis operatio. Non omnia enim ad perfe- „ cti obſequii conſummationem ſibi illa ſuffi- „ ciunt, quæ quamvis opus ſuum impleant, „ tamen quia coacta ſunt, merito plenæ gra- „ tiæ indigent. Vult igitur propheta opus „ ſuum dilectionis potius, quam terroris eſſe; „ &

In Pſ. 127. n. 2.

Lit. XIII. n. 2. Caſſiani collatio undeci- ma.

& ex charitate obſequium ſuum, non ex „ metu, ſuſcipi. „ Sic igitur non ut ſervi, metu pœnæ, nec ut mercenarii intuitu præmii, ſed amore DEI, quo ei uniamur, formandæ ſunt actiones noſtræ, ut ſint perfectæ. Quam in rem legi meretur DIADOCHI tractatus de perfectione ſpitituali. Ubi tamen gradus agnoſcit, & juxta S. HILARIUM ipſum timorem eorum, qui perfecti necdum ſunt charitate, charitati tamen mediocri ſaltem conjunctum vult. *T. V. Bibl. PP. p. 886.*

Perfecta vero charitas eorum eſt, qui jam purgati ſunt, in quibus non eſt amplius timor. S. AUGUSTINUS diminutionem timoris habet pro augmento charitatis, extinctionem etiam integram hujus ipſius timoris eſſe vult perfectionem. Solet autem is amorem contra Pelagianos agendo in ſenſu omnino lato ſumere pro omni gratiæ infuſione, quomodo ad noſtram juſtificationem dirigitur, quæ fit, ut diximus, charitate DEI diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum; atque amorem juſtitiæ requirit, propriamque evangelio facit, tanquam ſpiritum contra litteram legis, quæ occidit. Timorem autem pædagogum vult eſſe. *Non ipſe*, inquit, *in te remaneat, ſed te ad charitatem quaſi ad magiſtram perducat.* Legenda ſunt, quæ idem ſanctus pater ſingulari opere de fide, ſpe, & charitate, item PASCHASIUS RATBERTUS in hanc rem diſſeruit, opere ejusdem argumenti. *Serm. 350. n. 7.*

§. CX.

Charitas DEI menſuram non habet, ad ſummum tendit, omnem ſibi ſubjicit amorem proximi amici, & inimi- Et menſuram non habet.

mici, ac ſuiipſius; non tamen tollit eum felicitatis ſenſum, qui amor ipſe eſt.

Id oſtendit præceptum, quo DEUM ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus amare jubemur. Non quod impoſſibilia nobis injungantur, eo ipſo, quod, quantum poſſumus, ex totis viribus &c. amare jubemur; ſed ut obligatio pateat totum ſe amori DEI conſecrandi ſine modo, & menſura. „ DEUM „ diligere „ inquit ORIGENES, „ nullus „ modus, nulla menſura eſt, niſi hæc ſola, ut „ ei totum exhibeas, quantum habes; in CHRISTO enim JESU diligendus eſt DEUS ex „ toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. In hoc ergo nulla menſura eſt. „ Nec hoc impoſſibile, quin nec grave quidem eſſe putat S. AUGUSTINUS. „ Converſus ergo „ inquit „ quisque, ſicut ibi præcipitur, „ ad Dominum DEUM ſuum ex toto corde „ ſuo, & ex tota anima ſua, mandatum DEI „ non habebit grave. Quomodo eſt enim grave, cum ſit dilectionis mandatum? aut enim quisque non diligit, & ideo grave eſt; „ aut diligit, & grave eſſe non poteſt. Diligit autem, ſi, quod illic admonetur Iſrael, „ converſus fuerit ad Dominum DEUM ſuum „ ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua. „ Et paulo poſt gradus charitatis ad noſtram juſtificationem recenſet: „ Charitas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas perfecta, „ perfecta juſtitia eſt, ſed charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. „

Hom. 3. in Cant.

De nat. & grat. c. 69.

c. 70.

Hoc poſtea ex inſtituto docuit in libro de perfectione juſtitiæ, quam hanc eſſe definit,

&

& exſpectare jubet in altera demum vita: quandoquidem in hac infirmitate naturæ eam tenere non datur. „Tunc ergo „ inquit „erit „ plena juſtitia, quando plena ſanitas: tunc „ plena ſanitas, quando plena charitas: tunc „ autem plena charitas, quando videbimus „ eum ſicuti eſt. „ Et deinceps de tribus theologicis virtutibus loquens, ex quibus charitas tantum in altera vita locum habitura eſt, deſtructis aliis: „ Quia „ inquit „ fidei, & „ ſpei jam res ipſa, non quæ credatur, & „ ſperetur, ſed quæ videatur, teneaturque, „ ſuccedet; charitas autem, quæ in his tribus „ major eſt, non auferetur; ſed augebitur, & „ implebitur contemplata quod credebat, & „ quod ſperabat indepta. In qua plenitudine „ charitatis præceptum illud implebitur: „ *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo,* „ *& ex tota anima tua, & ex tota mente* „ *tua.* Nam cum eſt adhuc aliquid carnalis „ concupiſcentiæ, quod vel continendo „ frenetur, non omni modo ex tota anima „ diligitur DEUS. „ Hinc idem S. AUG. contra Pelagianos oſtendit, in hac vita perfecte juſtos non eſſe, nec perfectam juſtitiam obtineri, quia nec perfecta charitas etiam in juſtis & ſanctiſſimis habetur. „ Verum „ inquit „ quia ſæpe in leviſſimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & juſti fuerunt, & ſine peccato non fuerunt. Poſtremo ſi in ABEL juſto caritas DEI, qua una „ vere juſtus eſt, quicunque juſtus eſt, adhuc „ erat, qua poſſet & deberet augeri, quidquid „ minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus „ ſit, donec ad illam ejus fortitudinem ve„ niatur, ubi tota hominis abſorbeatur infir„ mias. „ S. LEO hoc argumentum ſermone

De perfec. Juſt. c. 3.

c. 8.

De nat. & grat. c. 38.

quinto de jejunio ſeptimi menſis egregie illuſtrat, ex conflictu carnis, mundi, & amore
Serm. 88. DEI ſibi adverſantibus. „ In qua diſcordia, inquit „ non facile obtinetur tam perfecta „ victoria, ut etiam, quæ ſunt abrumpenda, „ non illigent, &, quæ ſunt interficienda, „ non vulnerent. „ Et paulo poſt: „ Duo, „ namque amores ſunt, ex quibus omnes „ prodeunt voluntates ita diverſæ qualitati„ bus, ſicut dividuntur auctoribus. Ratio„ nalis enim animus, qui ſine dilectione eſſe „ non poteſt: aut DEI amator eſt, aut mun„ di. In dilectione DEI nulla nimia: in di„ lectione autem mundi cuncta ſunt noxia. „ Et ideo æternis bonis inſeparabiliter inhæ„ rendum, temporalibus vero tranſeunter uten„ dum eſt. „

Omnis autem alius amor huic eſt ſubjiciendus: idcirco CHRISTUS, qui amore proximum proſequi præcipit ut nos ipſos, alias vult, ut patrem, & matrem, uxores & filios odio habeamus, quando nimirum agitur de ſubordinatione amoris hujusmodi amori DEI. Sicuti faciunt, qui amore CHRISTI omnia relinquunt, etiam ſanguinem profundunt, quod dum factum eſt, recte obſervat
L. III. de fide. c. 8. PASCHASIUS RATBERTUS, DEUM amaſſe martyres plus quam ſe, & dum pro CHRISTO a chariſſimis pignoribus id fit, libenter id ferunt perfecti chriſtiani. Sic quandoque matres filios ſuos, quos tenerrime amant, ad martyrium ferri pro CHRISTO gaudebant etiam, & juvabant: cujusmodi exemplum in qua*Sinc. act. P. Ruinart. p. 528.* draginta martyrum uno habetur, cujus mater derelictum currui imponebat, ad conſummandum martyrium. Ita perfecta eſt proximi charitas, ſi in DEO perficitur, atque amore DEI.

Quo-

Quomodo etiam inimicos diligere jubemur: *ut ſitis*, inquit CHRISTUS, dum hoc præceptum dedit, *filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos &c.* Quo etiam CHRISTUM imitamur, qui pro crucifigentibus ſe oravit. Et deinceps ejus perfecti diſcipuli ſunt imitati, S. STEPHANUS, & alii: ex quibus etiam habemus, qui quærentes ſe ad martyrium lauto prius convivio exceperunt. Contra autem funeſtum SAPRICII eſt exemplum, qui remittere non voluit veniam ſupliciter petenti S. NICEPHORO, a martyrii corona excluſus idcirco. Nec conſilium tantum hoc eſt, ſed præceptum; ſtatuit CHRISTUS dilectionis in hoc perfectionem: unde in allato paulo ante MATHÆI loco, ubi hoc præceptum datur, tandem additur, & concluditur: *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater cœleſtis perfectus eſt*, nimirum ut ante dixerat, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos:* ſeu, ut S. LUCAS dicit: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* S. HILARIUS opportune illud PETRI huc applicat quærentis, an peccanti in ſe fratri ſepties remitteret, CHRISTO reſpondente: *Non uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*, qui indefinitus eſt numerus. *Omnimodo*, inquit, *ad ſimilitudinem nos humilitatis, ac bonitatis ſuæ inſtruit, & molliendis, ac frangendis turbidorum motuum noſtrorum aculeis, placabilitatis ſuæ confirmat exemplo: quippe peccatorum omnium veniam per fidem tribuens.*

Matt. V. 45.

Ib. p. 241.

Luc. VI. 36.

In Matt. c. 18. *n.* 10.

Perfectio autem charitatis eſt, ut etiam inimicum diligamus ſicut nos ipſos. Ultra hic proceſſiſſe olim Scetiotæ monachi perhi-

bebantur, quod intelligimus ex interrogante quodam fratre abbatem MATOEN: quomodo Scetiotæ plus facerent, quam ſcriptura præcipiat, diligendo inimicos ſuos plus quam ſe. Cui abbbas: *Ego ſane*, inquit, *eum, qui me diligit, non diligo ſicut meipſum.* Et certe, licet amor proximi hunc gradum, & menſuram habeat, non facile tamen quisquam eam emetitur, amore proprio tantopere prædominante, in hac naturæ corruptione.

Cotel. mon. g. T. I. p. 558. n. 5.

Quoad amorem autem hunc conjunctum cum amore DEI, ubi ulterius procedendo amori DEI ſubjiciendus alius amor omnis, major eſt difficultas, & ingens hodie diſputatio, quouſque id faciendum: cum PAULUS anathema fieri petierit pro fratribus, quod varii varie interpretantur: ipſe S. CHRYSOSTOMUS nunc de morte, aut pœnis etiam inferni, nunc de excluſione ab eccleſia interpretatur. Mihi autem videtur, de eo gradu amoris eſſe ſumendum, quem & CHRISTUS pro nobis demonſtravit, peccata noſtra in ſe ſuſcipiens, ut ea expiaret: quin patrocinium neo-myſticis inde exurgat, etiamſi de inferni pœnis ſumatur, qualem affectum etiam S. GREGORIUS NAZ. erga Macedonianos exemplo PAULI oſtendit.

Hom. VI. in S. Paul. Hom. 16. in ep. ad Rom.

Orat. 44.

Sic alii interpretandi ſunt actus puræ charitatis, quos ſancti nonnunquam edebant, parati etiam ad ſupplicia æterna damnatorum: quin tamen ſenſum felicitatis exuerent, qui cum amore DEI ſummi boni neceſſario eſt conjunctus: cum hæc ſit amoris natura, ut alterius felicitate delectemur: atque adeo amans dum ex felicitate DEI voluptatem percipit, eo ipſo eſt beatus, & DEUM puriſſimo affectu amat, dum propter ſeipſum amat, non ullius

Vid. S. Bernard. de amore DEI.

ullius commodi cauſa, aut ſpei; ſed tamen ut natura amoris conſervetur, delectatio nimirum in DEO, quæ eſt eſſentialis felicitas noſtra, quam non poſſumus non percipere amando DEUM. Hoc connaturale deſiderium neomyſtici ex amore puro exeſſe volunt, atque in hoc ſacrificium noſtri ob amorem DEI conſtituunt, ut ex iis conſtat, quæ cum FENELONIO ſunt diſputata: ut tamen DEUS propter ſe ametur; atque ut EUSEBIUS dicit: *Ipſe, qui ſupra omnem pulchritudinem habetur, & vere eſt bonus, non ex mercede habeat dilectionem, ſed ex natura amorem.*

Apud Sirmond. op. var. T. I. p. 162.

§. CXI.

Ad nos intime cum DEO uniendos aſpiramus perfectione charitatis, ut tamen maneant fides, & ſpes, quas pſeudo-myſtici deſtructas volunt.

Perfecta autem erit in patria.

Nunc autem manent fides, ſpes, charitas tria hæc: major autem horum eſt charitas. Ita veri myſtici ſentiunt, ac agunt. Norunt æmulari chariſmata meliora, ſectari charitatem, & per eam ad intimam cum DEO unionem aſſurgere nituntur. Neutiquam autem vane ſibi blandiuntur de ſummo perfectionis culmine, amore puro, a quo omnis ſenſus felicitatis exulet, ac ſpes vitæ æternæ ſejuncta ſit: quam repromiſit DEUS diligentibus ſe. Amori tamen DEI hoc etiam deſiderium æternæ felicitatis ſubordinant, & DEUM unice propter ſeipſum diligunt, ſummis illius delectando ſe perfectionibus: clamant cum propheta: *Mihi adhærere DEO bonum eſt;* at ſimul adjungunt, *ponere in Domino DEO ſpem*

1. *Cor. XIII.* 13.

Pſal. LXXII. 28.

Pſ. LXII. 9. *ſpem meam.* Item: *In velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.* Ita ſpes charitatem inflammat: charitas ſpem nutrit, non deſtruit, in hoc ſtatu viæ: qui neceſſario deſideria ad patriam habet, dum necdum is perfecte poſſidetur, qui unice amatur. Toto vitæ decurſu, dum nondum ſumus in termino, manent tria hæc juxta apoſtolum, fides, ſpes, & charitas: qua DEUS diligitur propter ſe, noſter vero, & rerum omnium amor, & deſiderium ei ſubjicitur. *Si diligis aurum*, inquit S. AUGUSTINUS, *prius te diligis, & deinde aurum: Dico & ego, ſi diligis ita DEUM, tibi concupiſcendo DEUM, prius te diligis, & poſtea demum DEUM; frueris ergo te, quia teipſum propter teipſum diligis: DEUM vero non niſi propter te amas, quod ipſum eſt præferre ſeipſum DEO. Perverſa igitur eſt illa cupiditas DEI; quia perverſum eſt, DEUM ad nos referendo a nobis ipſis frui.*

Hom. 37.

Hoc putant contingere pſeudo-myſtici, niſi penitus anima omnibus affectibus ſit vacua deſideriis depoſitis, ac ſpe abjecta: quam illi vocant profundiſſimam reſignationem, derelictionem, & annihilationem, mortem, deſtructionem propriæ voluntatis, ac viam amoris perfecti. *Iſti infantes abſconditi*, inquit FENELONIUS in inſtructione ſua paſtorali, ubi de amore non intereſſato agit, *myſtici, abſumti ſunt per amorem reducti in nihilum, transformati in DEUM, & uniti cum ipſo indiſſolubiliter.* In hac transformatione anima exiens a ſe, & diffluens, immerſa, & abſorpta eſt in abyſſo divinitatis. Mira hic jactant de ſuo ſtatu turpiter deluſi myſtici

de

de perfecta transformatione in naturam divinam, & deificatione: jamque ſpei immemores nihil amplius curant felicitatem æternam.

Amorem etiam hunc ſuum jam ita perfectum, ac ſummum eſſe volunt, qui eſt apud eos apex myſticus, ut eum in viſione beatifica neutiquam augendum putet ipſe FENELONIUS; qui tamen adhuc defœcatoria tradit, & minus abſurda quam alii non pauci. S. AUGUSTINO autem dudum hoc nimis inſipiens eſt viſum: *Nimis*, ait, *inſipienter dicitur, tantum amari DEUM, antequam videatur, quantum amabitur cum videtur.* *Ad Bonif. c. 7. n. 2.* Mira hic vocabula adhibent, & mira de ſe narrant, tali in ſtatu conſtitutis: de intima cum DEO familiaritate, atque extraordinariis favoribus, extaſibus, perceptionibus myſticis, quæ deliras potius anus, quam ſapientes theologos decent: mirumque eſt, potuiſſe a fœminis ita decipi magnos alioquin viros, uti contigit FENELONIO cum ſua GUYONIA, POIRETO cum BURIGNONIA. Potiusque ad Stoicam, vel Platonicam, imo Epicuræam philoſophiam pertinet hæc myſtica, prout a MOLINOSO eſt tradita, quam ad chriſtianæ theologiæ partem præcipuam de interiore hominis renovatione, & via perfectionis per charitatem. De charitate plura dicemus in ſequenti parte theologiæ moralis.

SECTIO

SECTIO III.

DE STATIBUS DEO DICATIS.

CAPUT I.

De variis generibus hominum DEO dicatorum, & eorum muneribus.

§. CXII.

Sublimiſſimus ſtatus clericorum.

SUblimiſſimus eſt clericorum ſtatus, qui in ſortem Domini electi, a terrenis rebus abſtracti, non ſolum DEO vivunt, verum etiam fideles populos ad eum adducunt.

L. II. de off. eccleſ. c. 1.

Ipſum hoc nomen, κλῆρος κληρικὸς ſignificat. *Nam*, inquit ISIDORUS, *ſors interpretatur, unde & hæreditas Græce κληρονομία appellatur, & hæres κληρονόμος. Proinde ergo clericos vocari ajunt, eoquod in ſortem hæreditatis Domini dentur, vel pro eo, quod ipſe Dominus ſors eorum ſit, ſicut de eis ſcriptum eſt, loquente Domino: Ego hæreditas eorum.* Aliquando quidem apud antiquos, ſicut olim populus Judaicus, ita deinceps chriſtianus, in peculium DEI electus, hoc nomine veniebat. *Populus electus*, inquit

THEO-

THEODORETUS, *DEI hæreditas nominatus olim quidem populus Judaicus erat: poſtea vero, qui ex gentibus electus fidei radios recepit.*

Sed ſicut olim tribus Levitica, ita nunc ordo ſacerdotalis, ſacris functionibus deſtinatus, ſingulariter hoc nomen participat: fuitque in eccleſia conſtans diſtinctio in κλῆρον, ſeu κληρικὸς, & λαικὸς, in clerum, ſeu clericos, & laicos. Quibus deinceps acceſſit ſtatus monachorum, ac ſic tres ordines in eccleſia ſunt computati. Eorum ſingulorum rationem poſtquam expoſuiſſet RHABANUS MAURUS de inſtitutione clericorum agens, de ordine clericali ita infit: „Propterea ergo dicti „ ſunt clerici, quia de ſorte ſunt Domini. Si„ cut de eis ſcriptum eſt loquenteDomino: *Ego „ hæreditas eorum.* Unde oportet,ut,qui DEUM „ hæreditate poſſident, absque ullo impedi„ mento ſæculi DEO ſervire ſtudeant, ut „ congrue illud pſalmiſtæ dicere poſſint: *Do„ minus pars hæreditatis meæ.* Iſte autem „ ordo præponitur in eccleſia, quia jure in „ ſanctis deſervit, & ſacramenta populis di„ ſpenſat. Sicut enim in veteri teſtamento „ tribus LEVI præ cæteris tribubus pecu„ liariter a Domino electa eſt ad ſerviendum „ illi per diverſa officia in tabernaculo, quod „ eſt eccleſia præſens, ut ſerviant ei die, ac „ nocte in templo ſancto ejus, ut ſint po„ pulo in his, quæ ad DEUM pertinent, „ ut offerant DEO dona, & ſacrificia pro „ ſua & populi ignorantia, ut judicent inter „ juſtum & injuſtum, & diſcernant inter ſan„ ctum & profanum, inter pollutum & mun„ dum: doceantque populum DEI omnia „ legi-

L. I. c. 1.

„ legitima ejus & præcepta, quæ mandave-
„ rat ad eos. „

S. PAULUS in epiſtolis ad TIMOTHEUM & TITUM normam clero præſcribit. Et S. PETRUS etiam cleri nomen uſurpat, pau-
1. Pet. V. ciſque inſtituit eorum præcipuum ordinem ſeniorum. Idem facit S. IGNATIUS in ſuis epiſtolis, & POLYCARPUS in epiſtola ad Philippenſes. Et deinceps magna pars canonum eccleſiaſticorum in formanda clericorum vita & moribus occupatur, hucque exemtiones etiam clericorum tendebant, ut in victu, veſtitu, converſatione, negotiis, & occupationibus toti a ſæcularibus rebus alieni & abſtracti, ſoli DEO vacent, & dicatos ſe intelligant. Ita noviſſime in memoriam revocat concilium Bituricenſe: *Clericos ex nomine ſuo*
Conc. Bituric. an. 1584. Tit. XXV. *ſuum ordinem agnoſcere æquum eſt, qui pro ſorte; & hæreditate Dominum elegerunt abjecto mundo, & deſpectis ſatanæ pompis: profitentur enim hoc Davidicum: Dominus pars hæreditatis meæ.* Idem dudum S. HIERONYMUS inculcarat ad NEPOTIANUM ſcribens, allegaturque C. Clericus 12. *q.* 1. Habentur ex veteribus, & recentioribus doctoribus inſtructiones in hanc rem inſignes, ex quibus præprimis commendantur S. CHRYSOSTOMI libri de ſacerdotio, & S. AMBROSII de officiis, JULIANI POMERAN. libri de vita contemplativa: ubi hanc imprimis quæſtionem tractat, an, cui eccleſiæ cura commiſſa eſt, & quatenus poſſit vacare vitæ contemplativæ. Sed vitam contemplativam definit, ut maxime conveniat clericis, pariter etiam vitam activam ad eum modum, quo CASSIANUS collatione decima quarta, ut omnibus conveniat ſtatibus

DEO

DEO dicatis. Inter quos primum locum clericalis ordo obtinet, de quo alibi nobis copioſius dicendi locus non ſemel tantum erit.

§. CXIII.

Canonici primum ſunt dicti, quicunque canoni, ac matriculæ eccleſiæ adſcripti erant: deinceps autem vitam communem in multis locis egerunt clerici, unde canonici regulares ſunt orti. Canonicorum.

Canon in conciliis pro ordine clericorum ſumitur: ſic in Nicæno: Ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος; *qui in canone cenſetur*: & mox ſequenti: οἱ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι: *qui in canone cenſentur*: ubi etiam, qui turpi lucro deditus eſt, ut alienus a canone exiſtat, decernitur. ZONARAS canonem ſuperiorem ſumit de iis, qui in clerum cooptati ſunt. DIONYSIUS EXIGUUS id canonis 2. Antiocheni τὶς τῶ κανόνος interpretatur: *quilibet ex clero*. BALSAMON eos, qui in can. 15 Laodiceno dicuntur canonici cantores κανονικοὶ ψάλται diſtinguit ab aliis laicis, qui in eccleſiis divina cantica incipiebant in contemtum clericorum. *Can. XVI. XVII.*

Sed latius ea vox patuit etiam circa perſonas ad clerum ineptas, ſacro tamen inſtituto addictas. Sic S. ATHANASIUS: Væ virgini, quæ non manet in ordine ſeu canone ſuo (ὑπὸ κανόνα) Et paulo poſt dicitur: *Beata virgo*, quæ manet in canone ſuo. Atque ita etiam apud eundem γυνὴ κανονικὴ mulier canonica *De virginitate num.* 11.

Quæſt. 46. ad Antiochum. dicitur: *Terribile judicium ei, qui ad mulierem canonicam accedit.* Apud BOLLANDUM in vita S. ALEXANDRI Acæmetarum inſtitutoris mentio fit de *canonica* dæmone obſeſſa.

Ad 15. Jan. p. 1021. S. BASILIUS nomen hoc genere communi accipere videtur: *Canonicarum perſonarum fornicatio pro matrimonio non reputetur*, ſi quidem ZONARÆ & BALSAMONI ad præſentem canonem credimus ita eum interpretantibus: canonicos eos dicit, qui in canone numerantur, ſcilicet clericos, monachos, monachas, & quæ virginitatem profeſſæ ſunt. Sed poteſt ambigua vox Græca ad Sexum fœmininum determinari, uti fecerunt, qui noviſſimam S. BASILII editionem adornarunt, patres ex congregatione S. MAURI. Eadem ambiguitas eſt apud S. CYRILLUM HIEROS. qui in procatecheſi commemorat *κανονικῶν παρρησίαν*: quod erud. P. TOUTTEE interpretari idcirco voluit canonicarum, ſeu tabulis eccleſiaſticis inſcriptarum, perſonarum præſentiam. Ex quibus omnibus id conjicitur, de iis ſumi debere perſonis quibuscunque, quæ eccleſiæ deputatæ, DEOque ſingulariter dicatæ erant, ac *κανόνα* canonem, ſeu canonicam penſitationem ab eccleſia accipiebant.

§. 14. Can. VI. ad Amphiloch.

T. III. p. 272.

n. 4.

Quod alicubi ſic accidebat, ut in communitate viverent; veluti SOZOMENUS de eccleſia Rhinocolurenſi refert. Factum eſt hoc inſtar primævæ eccleſiæ, ubi fratribus erant omnia communia, ut obſervat S. AUGUSTINUS, qui præter alia monaſteria ſingulare inſtituit in domo epiſcopali ex ſuo clero presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis, poſtquam epiſcopus fuerat factus, ut

L. VI. c. 31.

Poſſid. vita S. Aug. c. 5.

quie-

quietius vivere liceret inter tot hoſpites advenientes. Sic autem cum illis in eadem vivebat communione, ut omnia haberent communia, nec ulli eſſet aliquid proprium: hinc aut vendere aut communitati dare voluit res ſuas quemcunque in hac conſtitutum communitate. Primum apud ſe conſtituerat, deponere clericatu, qui eam deſereret communitatem; ſed de hoc aliquid remiſit rigore. Poſtea vero, cum paratos ad nutum omnes cerneret, iterum revocavit inſtitutum, atque eo extendit, ut, qui aliquid proprium haberet, clero expelleretur, non cauſatus, ſi mille appellaret concilia.

Hinc ortum ſuum canonici regulares hodie volunt repetere; ſed multi contra ſentiunt: aliique eorum originem a GELASIO P. ſumunt, qui in eccleſia Lateranenſi canonicos tales inſtituit, ubi uſque ad BONIFACIUM VIII. permanſerunt. Alii repetunt inſtitutum illud a CHRODOGRANDO, qui, ut clericos in ordinem redigeret, regulam eis præſcripſit, & in eccleſia Metenſi in communem vitam redegit ſecundum canones præſertim concilii Aquisgranenſis ex regula S. BENEDICTI expreſſos. Erant autem in refectorio ad ſeptem menſas diſtributi 1) erat epiſcopi cum hoſpitibus & perregrinis, archidiaconi & quos epiſcopus ad eam menſam appellabat: 2) erat presbyterorum, 3) diaconorum, 4) ſubdiaconorum, 5) reliquorum clericorum, 6) abbatum, 7) cleri civitatenſis diebus dominicis & feſtis. Exemplum hoc alii certatim ſecuti in ſuis eccleſiis, idem inſtituerunt: atque ANONYMUS quidam regulam CHRODOGRANDI magis generalem effecit. Unde poſtea, qui hoc inſtitutum ſunt

ſecuti, regulares, qui vero non, ſeculares canonici ſunt dicti. Accidit etiam non infrequenter, ut canonicis diſſolutius viventibus ab eccleſiis pulſis monachi inſtituerentur: qui non raro, & deinceps omnes iterum priſtinum reſumſerunt inſtitutum. Moderni canonici cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, apud nos Gottes-Juncker dicti olim ſunt, quos modo Domherren vocamus.

§. CXIV.

Aſcetarum & Monachorum.

A primordiis chriſtianæ eccleſiæ fuerunt, qui ſingularem vitæ ſanctitatem ſectati, aſcetæ ſunt dicti, paulatimque inde monaſticum vitæ genus excrevit, ac invaluit.

Qui altius inde ab ELIA & ELISÆO certi etiam ordinis Carmelitarum incunabula repetunt, vix fidem inveniunt: tametſi fatendum ſit, fuiſſe in vet. teſt. prophetas, Nazaræos, Rechabitas, Eſſenos, & alias Judaicas ſectas, qui ſingularem vitæ rationem ſectantes, certis ritibus initiati DEO conſecrabantur. Nazaræi præſertim ab hoc nomen adepti ſunt: & Eſſeni imprimis clari fuerunt.

Eſſeni iidem a multis eſſe creduntur ac Therapeutæ, quorum PHILO de vita contemplativa meminit, ac miram vivendi rationem deſcribit: a multis autem pro chriſtianis, & vitæ monaſticæ inſtitutoribus ſunt habiti jam ab EUSEBIO. Prius aliquando etiam Cl. P. MONTFAUCON placuit, non autem alterum, eoquod ſocietate fœminarum libere ſint uſi: hinc potius eos pro chriſtianorum genere habuit, qui Nazaræis propius acceſſerint,

chriſtia-

chriſtiani judaizantes. Eorum vivendi rationem deſcripſit in verſione Gallica libri de vita contemplativa. Unde quidem eluceſcit, admodum conformem eorum vitam fuiſſe moribus primis chriſtianis, ac etiam monaſticis inſtitutis; ſed inde concludi nihil poteſt, cum etiam apud Brachmannes ſectam Gymnoſophiſtarum, ſeu philoſophorum Indicorum par nonnihil reperiatur. Atque ex prolixa laude, quam eis tribuit PHILO, potius contribules ſui Judæi Therapeutæ fuiſſe cenſeri poſſunt. Nec ullo firmo nititur fundamento, quod etiam PHILO chriſtianus fuiſſe dicatur ſimiliter ac Therapeutæ, quos EUSEBIUS, & alii veteres per S. MARCUM ad fidem CHRISTI converſos fuiſſe dicunt, unde vita monaſtica in Ægypto exorſa fuerit. *L. II. hiſt. c. 17.*

Alii ejus originem repetunt a primis chriſtianis omnia communia habentibus, inter quos ſunt CASSIANUS, LEANDER Hiſpalenſis, & alii hodie paſſim; qui aut DIONYSIUM Areopagitam pro genuino habent; aut quæ veteres de aſcetis paſſim referunt, de monachis proprie ſic dictis intelligunt, & non raro interpretantur, uti contigit in actis S. SERENI apud BOLLANDUM. Obſervavit VALESIUS, id etiam CASSIANO, SOZOMENO, & aliis in quodam EUSEBII loco accidiſſe, quem melius RUFINUS ſit interpretatus; ipſe autem VALESIUS de aſcetis accipit a S. MARCO Alexandriæ inſtitutis, qui hoc diſtent a monachis, ut genus a ſpecie: ut velit, aſcetas quidem ſemper fuiſſe in eccleſia, non autem monachos. *Collat. Ep. ad Florentinam. c. 17.* *Ad diem 23. Febr. p. 365.* *Not. in Euſeb. L. II. c. 17.*

EUSEBIUS alibi etiam non ſemel aſcetarum meminit: quo nomine ipſi etiam gentiles uſi ſunt, ad eos deſignandos, qui vitæ ma- *De mart. Palæſt. c. 10. & 11.* *L. II. hiſt.*

c. 17. L. VII. c. 32. L. V. cont. Celſum. magis puræ, auſteræ & ſeparatæ a communi hominum commercio ſtudebant, quo ſenſu utitur ORIGENES, atque diſcrimen chriſtianorum a Pythagoricis aſcetis demonſtrat. Abſtinentiam miram eorum paſſim veteres IRENÆUS (*L. V. c. 24.*) DIONYSIUS ALEXAND. (*Ep. canon. apud Bevereg. pand. T. II p. 3.*) EPIPHANIUS, (*Expoſit. fid. n. 22.*) ad plures ſæpe dies referunt; ſed nihil rati erat, niſi ut ſobrietati ſtuderent. In actis martyrum non raro occurunt; etiam qui in ſolitudine degerunt: ubi invenitur etiam nomen monaſterii, velut in actis S. CONONIS, quo non obſtante pro genuinis agnoſcuntur: cum monaſterium de cujusque ſolitarie agentis habitatione dici poſſit. Secus de hiſtoria S. EUGENIÆ TILMONTIUS vult haberi, quæ virorum monaſterium ſub paganis imperatoribus rexiſſe dicitur. Acta S. FEBRONIÆ apud SURIUM ad 15. Junii hinc etiam ſuſpecta habentur. Quod de S. CYRO refertur, quaſi in ſolitudinem recedens, ſingularem habitum geſſerit, haud probabile videtur.

Bolland. ad 29. Maji, p. 2. §. 2. Mem. T. IV. p. 585. b. Bolland. ad 31. Jan. 108. 2. §. 10.

Sed tamen non pauci in vita ſolitaria aſcetæ ſeſe ad martyrium præpararunt, uti de S. APOLLONIO in vitis patrum, de S. LEONE, ac de avis S. BASILII conſtat: atque hinc primordia vitæ eremiticæ ſunt repetenda, a S. PAULO, ac aliis, quorum veſtigia S. ANTONIUS, PALEMON &c. preſſerunt, paulatimque inſtitutum ad rectam formam reduci cœpit, ex eremitica cœnobitica enaſcente vita, auctore præſertim PACHOMIO; ſicut eremitica duce S. ANTONIO; licet ante ipſum non pauci ſolitudinem incoluerint, veluti de Arſinoitis ex

Rufin. c. 19. Bolland. 18. Feb. p. 57. 22.

S.

S. ATHANASIO conſtat in vita ANTONII: quibuscum celebrem collationem habuit S. DIONYSIUS Alex. Et PALEMON etiam jam longam ætatem in ſolitudine traxerat, cum ei ſe S. PACHOMIUS junxit. *Bollan. ad diem 17. Maji. app. gr.*

§. CXV.

Non minus in ſexu fragili mulierum virtus divina enituit, DEO ſeſe devoventium ſuſcepto velamine, aſcetico, monaſticoque inſtituto. Ac monacharum.

Eodem modo res proceſſit apud fœminas ac viros, ut, antequam inſtitutum monaſticum ingrueret, inde a primordiis eccleſiæ eſſent DEO ſacræ virgines, de quibus velandis jam TERTULLIANUS integrum ſcripſit librum, quæ vitæ aſceticæ addictæ, ac canoni etiam eccleſiæ, ut paulo ante obſervavi, inſcriptæ, canonicæ, ac eccleſiaſticæ ſunt dictæ, etiam tunc adhuc, quando ſtatus monaſticus invaluit, quales apud SIRICIUM papam monachæ dicuntur.

Illæ, etiamſi ſeparatim in ſuis domibus degerent, habitu tamen diſtinguebantur, ſacro velamine præſertim, ac capitis ornamento mitra, quibus ſolemniter DEO conſecrabantur: unde nihil frequentius in ſacra antiquitate occurrit, quam, DEO conſecrando, velare virginem: quod tam ſacroſanctum erat, ut id a ſolo epiſcopo fieret, aut ſaltem a presbytero neutiquam, niſi conſulto epiſcopo. Neque id fiebat, niſi poſt diuturnam virginitatis probationem, quadrageſimo demum ætatis anno. Quod multis conciliorum canonibus fuit ſanci-

tum: licet ex S. BASILIO diſcamus, virginum ὁμολογίαν ſeu profeſſionem jam anno ætatis 16. vel 17. ratam fuiſſe.

Sed velatio imprimis erat arctiſſima cum CHRISTO deſponſatio, cujus violatio inexpiabili obſtringebat piaculo: *Quæ CHRISTO ſpiritualiter nupſerunt*, ſcribit de hac re INNOCENTIUS I. *& velari a ſacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe conjunxerant, de ſæculo deceſſerit.* Cum circa reliquas profeſſas longe mitius fuerit actum, ſi a propoſito deſciviſſent. Mitra, qua ornabatur etiam caput, erat pretioſa lana auro purpuraque contexta: ut ex OPTATO MILEVITANO diſcimus: crinesque ſolutæ erant, ut idem docet, & alia plura ſuppetunt documenta contrario uſu ab eo, qui nunc viget, olim tamen etiam in Ægypto, & Syria in more, teſte HIERONYMO epiſt. ad SABINIANUM.

Ad Victric. Rothomag. c. 12.

L. II. cont. Parm.

Ib. L. VI.

Quoad reliquum veſtitum, licet is a communi non abhorreret, congruus tamen, & accommodatus erat ſacræ profeſſioni, qui, abdicatis rerum præſentium pompis, & ornatu, modeſtiam deſignabat, tunica fuſciore, ut de ASELLA S. HIERONYMUS teſtatur ep. ad MARCELLAM. Qualis in ipſa tam celebrata apud antiquos S. EUPHEMIÆ pictura habitus, etiam in colore fuſco, eſt notatus, ut ſuapte propoſitum indicaret ſanctioris philoſophiæ. Similis habitus in S. JUSTINA celebratur in confeſſione S. CYPRIANI Antiocheni: ex cujus converſione tantum illa concepit gaudium, ut ejus conteſtandæ gratia depoſitis omnibus ornamentis,

Aſter. apud Combef. auct. p. 209. p. 60.

tis, divendita dote, ac in pauperes diſtributo pretio, capillis detonſis totam ſe DEO dicaverit. DEO gratiſſimum ſpontaneum hoc erat apud chriſtianos ſacrificium & devotio. *Illud autem*, inquit S. BASILIUS, *in anteceſſum ſtatuere nobis neceſſe eſt, virginem vocari, quæ ſe ſua ſponte obtulit Domino, ac nuntium nuptiis remiſit, & ſanctimoniæ inſtitutum amplexa eſt.* *Ep. can. 2. can. 19.*

Approbationem eccleſiæ non meruit SOPHRONIA Romana matrona, quæ, ne jura matrimonii violaret, in propria ſæviit viſcera. Alia tamen laudata ſunt exempla, quæ ſuo loco referemus, quando ad propoſitum ſervandum ſpontaneam divinitus actæ elegerunt mortem: ſed plerumque confiſæ divina ope, nihil ſibi timuerunt. *Euſeb. lib. VIII. c. 14.*

Colligere liçet aliunde etiam virginum DEO ſacrarum magnam fuiſſe copiam primis ſæculis. Refert S. EPIPHANIUS, ARIUM in partes abduxiſſe 700. virginum chorum: contigit nimirum eas etiam nonnunquam in præceps agi, & ſeduci: quale exemplum de GLYCERIO narrat S. BASILIUS diacono, chorum virginum congregante. Quod eo tempore contigit, quando jam in communitatem coibant. Ubi tamen etiam illud inſtitutum permanſit, ut privatim degentes in ſuis domibus DEO nihilominus ſe dicarent. Cujusmodi fuerunt ſeptem ſorores, quas S. ALBINO Cabilonenſi diœceſin ſuam obeunti pater obtulit DEO conſecrandas, unacum patre viduo, ut videtur. *Ep. 412.* *Boll. ad 23. Apr. p. 167. §. 8.*

Id enim etiam haud raro contigit, ſuntque imprimis viduæ DEO conſecratæ ab incunabulis chriſtianiſmi, atque apoſtolica inſtitutione frequentes. S. CHRYSOSTOMUS,

dum

dum de illis tractat, distinguit eas, de quibus S. PAULUS agit, vultque esse 60. annorum, sacris etiam ministeriis addictas, ab illis diversas, quæ alias etiam in canonem ecclesiæ sunt receptæ: aut quæ quacunque ætate viduæ se DEO dicarunt, quod institutum sæpe commendat. Inter eas autem maxime celebris est S. PAULA, & S. MELANIA SENIOR, distinguenda a juniore, quæ se vivente adhuc marito, unacum eo, DEO consecrarat, quod etiam non raro contigit, ut postea dicemus.

Publica autem professione, ex omni horum statuum genere, sanctioris hujusmodi vitæ institutum inibant, præsertim a quo tempore monasticus status ingruebat, cui se haud serius, quam ipsi viri, fœminæ implicabant, iisdem institutoribus, ut de illis refert S. GRE-
Carm. 47. GORIUS NAZIANZ.

Pars animis paribus incensa cupidine regni,
Tecta eadem, & vitæ pars genus usque colit:
Assidet infirmis pars altera patribus: aut cum
Fratribus in sancta virginitate manet.

Quod idem dilaudat duplex institutum S. AMBROSIUS. Celebratissima est S. SYNCLETICA virgo Alexandrina, cujus vita extat sub nomine S. ATHANASII: ubi institutiones saluberrimæ habentur ipsius sanctæ nomine pro hujusmodi DEO sacratis virginibus, quarum institutrix haberi potest, unacum sorore S. ANTONII idem institutum cum fratre, ejusque suasu, & consilio suscipiente (ut in ANTONII vita refert S. ATHANASIUS) atque chorum virginum congregante, similiter ac de sorore S. PACHOMII habetur apud BOLLANDUM: unde efflo-
Ad 14. *Maji. app.* *p.* 30. ruit monialium institutum. Sponsam suam

S. AMON

S. AMMON ſolitarius ad idem induxit, ut domi ſuæ chorum virginum congregaret, quod a veteribus hiſtoricis omnibus celebratur.

SS. BASILIUS, AMBROSIUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, THEODORETUS &c. promoverunt valde inſtitutionem virginum, inſtructis monaſteriis earum, præſcriptisque vitæ regulis, ac norma. Inter has autem celebrior, & ex inſtituto pro virginibus religioſis eſt S. CÆSARII Arelatenſis. S. BENEDICTUS quidem regulam ſuam pro monachis ſcripſit; fuit tamen etiam pater monialium cum ſorore SCHOLASTICA, ac plerumque cum monaſteriis virorum etiam olim virginum erant in eodem loco, exemplo S. BENEDICTI in monte Caſſino. Sed ſucceſſu temporum ſeparanda ſunt viſa, quod dudum JUSTINIANUS ſancierat. Atque a multis canonibus conſtitutum eſt, ne acceſſus ad ejusmodi monaſteria pateret mulierum.

T. VIII. Bibl. PP. p. 866.

Cod. L. I. tit. 3. l. 43.

§. CXVI.

Ita ex omni hominum genere DEO dicantur, & currunt viam perfectionis chriſtianæ CHRISTI diſcipuli, non præcepta tantum, ſed etiam conſilia evangelica ſervantes variis ad eundem finem viis.

Ad perfectionem ſecundum evangelii conſilia aſpirantium.

Si quis venit ad me, inquit CHRISTUS, *& non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et quì non bajulat crucem*

Luc. XIV. 26.

cem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hæc CHRISTUS non ad diſcipulos ſolos, teſte evangeliſta, ſed ad turbas multas, quæ eum ſequebantur, dixit, ut intelligatur, ad omnes pertinere; ſed diverſæ dantur viæ, & rationes in evangelio præſcriptæ. Optimam autem tenent, qui omnibus rebus expediti, CHRISTUM ſequuntur, crucem poſt eum bajulantes, veri CHRISTI diſcipuli. *Quodſi*, inquit EUSEBIUS, *de diſcipulis, qualem præceptorem habuerint, vis cognoſcere, habes hodie quoque innumerabiles verborum JESU Chriſti diſcipulos, ex quibus plurimi virorum conventus exiſtunt, qui tum contra naturales corporis voluptates quaſi in acie conſiſtant, tum mentem ab omni minus honeſta perturbatione invulneratam conſervent, qui, cum omnem ſuam vitam uſque ad ſenectutem continentiſſime egerint, inſtitutionis, quæ de verbis illius haberi ſoleat, certiſſima argumenta præſtare poſſunt: neque viri ſolum ſub illo duce ad hunc modum philoſophantur, ſed feminarum quoque tot millia per totum orbem, ut, quam multa ſint, non videatur, quæ quaſi quædam ſacerdotes DEUM univerſi colentes, ſupernamque philoſophiam amplexæ, atque amore cœleſtis ſapientiæ captæ, prolis quidem, & liberorum, utpote qui ad corpus pertineant, nullam habent rationem, animam vero omni diligentia curantes, totas ſeipſas ipſo corpore, atque animo regi omnium, univerſique DEO dicarunt.* Hos etiam philoſophos vocat S. GREG. NAZ. *Totum*, inquit, *ſacerdotum, & philoſophorum cœtum, qui nullo vinculo humi tenentur: qui ſola corpora, ac ne ea quidem tota poſſi-*

L. III. demonſt. evang.

Orat. 9. circa finem.

poſſident : qui cæſari nihil, DEO omnia habent, hymnos, preces, vigilias, lacrymas, hoc eſt, ejusmodi opes, quæ manibus arripi, ac teneri nequeunt : qui mundo mortui ſunt, CHRISTO vivunt, carnem confecerunt: animam a corpore abſtraxerunt.

Hæc eſt perfecta aſceſis, ac ſtatus ſublimis hominum DEO dicatorum ; quorum alibi idem his quatuor capitibus comprehendit exercitia lacrymis, jejuniis, vigiliis, & oratione. Introducit autem homines, qui nihil omnino humani, & quod ad præſentium rerum uſuram pertineat, in monachis ferunt. Qualem etiam apathiam, ſeu impaſſibilitatem, ſtatuiſſe viſus eſt EVAGRIUS; ſed ſatis ſuam explicat mentem, in eo ſe eam reponere, ut ſervituti ſubigatur caro, quod quouſque fieri poſſit, ac debeat, EVAGRII ſcripta præprimis docent, ac perfectam DEO dicati hominis formam ob oculos ponunt, qua juxta S. PAULUM ſic currimus, ut comprehendamus. *Non*, ut tantus apoſtolus de ſeipſo ait, *quod jam perfectus ſim.* *Carm. 60.*

Id de ſe ſanctioris vitæ ſtudioſi humiliter & vere percipiunt, homines religioſi ; mundani autem non raro, quaſi non eandem metam felicitatis æternæ propoſitam haberent, ſe evangelii legibus ſolutos, ſolos monachos iis obſtrictos putant. Quem errorem jam S. CHRYSOSTOMUS libris apologeticis pro vita monaſtica confutandum ſuſcepit, eandem quoad ſubſtantiam obligationem circa omnes demonſtrans. Homilia autem vigeſima prima in epiſtolam ad Epheſios oſtendit, quod non pro ſolis monachis ſint documenta ſcripturæ ; ſed multo magis pro iis, qui in *L. III.*

mun-

mundo degunt, majoribus periculis expoſiti. S. THEODORUS STUDITA oſtendit, præter continentiam & paupertatem reliquas virtutes omnibus chriſtianis eſſe communes.

L. I. ep. 117.

Communis eſt omnibus obligatio affectu ſaltem a rebus terrenis ad cœleſtia aſpirare. Quod illi facilius præſtant, qui mundo valedicunt. Sed ſanctiſſimi quique confeſſi ſunt, non ſtatim ſibi contigiſſe, ut e mundo exierint. *Nam*, ſcribit in hac materia S. BASILIUS ad S. GREGORIUM NAZ. *inſitos animi morbos circumferentes, ubique iisdem perturbationibus ſumus obnoxii.* Legenda eſt ea epiſtola, & aliæ mutuæ eorundem ſanctorum doctorum his ſtudiis detentorum in ſolitudine. Imprimis S. BASILIUS multorum monachorum parens ad hodiernum diem habetur. Quod ipſe inſtitutum non dubitat vocare coronam amoris DEI, quia nimirum aliis rebus abſtractos DEO nos affligit, cui adhærere ſoli bonum. Nec ab illis ſejungendus eſt S. GREGORIUS NISS. frater, qui in ipſo de MOYSE ſingulari libro exemplum perfectionis nobis exhibuit, ut conſtet, medias inter res gerendas, viam illuc patere.

Ep. 2. n. 1.

Sed periculis expoſita eſt ea vita, raroque contingit, non contaminari rebus præſentis vitæ implicitos. Quare CHRISTUS iis renunciandi conſilium dat: quod tantum ad modum pertinet DEUM quærendi, CHRISTUM imitando; res enim ipſa omnibus præcepta eſt, omnesque DEO dicati ſumus, licet in vita religioſa facilius expediatur: *Monaſtica vita, o amice,* inquit S. ISIDORUS PELUS. *omnium DEI mandatorum imitatio eſt, & receptaculum. Etenim ab ira, improbitate, faſta, pecuniarum ſtudio, ſui-*

L. I. ep. 278.

ipſius

ipſius amore, remota eſt: obedientiam colit, omnibus inſervit, a corpore omnino aliena eſt, ac ſpiritus duntaxat propria &c. Alibi ex principibus, & anteſignanis monaſticæ philoſophiæ, quam vocat, ad duo revocat vitæ hujus ſanctioris omnia inſtituta, ἀποταγὴν ſeceſſionem a rebus ex materia concretis, & ὑποταγὴν propenſionem ad obediendum. Hæc ad S. NILUM ſcribit, cujus itidem opera huc plurimum faciunt. *lb. ep. 1.*

Sed nihil hic præſtantius, quam exempla, quæ nobis ſunt relicta tam diverſa ad eundem finem, ut ſoluti a rebus omnibus uni DEO viverent veri CHRISTI diſcipuli, juxta ducatum evangelii, ex quo nihil non exercitii pietatis concludere ſagaciter norant. Abbas ille BESARION, cum unica, qua veſtiebatur, veſte etiam ſe ſpoliaſſet, nudus ſe operiens manibus, ſolum habens ſub axilla *Verbum, quod facit divites*, ut loquitur PALLADIUS, id eſt librum evangelii, interrogatus, quis ipſum exuiſſet? Ille dextera protendens evangelium, *hoc*, inquit, *me exuit. Hic ipſe*, pergit PALLADIUS, *poſtquam omne præceptum evangelicum recte eſſet executus, cum nihil hujus mundi amplius haberet in animo, ad divinorum dictorum perfectiorem executionem, cum in tranſitu vidiſſet pauperem, curſu in forum contendit: ubi, cum pauliſper conſtitiſſet, vendidit evangelium. Paucis igitur poſt diebus, qui cum eo erat abbatis diſcipulus, DULAS nomine, rogavit ſenem dicens: Quid parvo libello factum eſt o abba? Cui ſenex placide verbum pulchrum admodum, & valde ſcitum eſt locutus, ſic dicens: Ne triſtitia afficiaris, o frater: nam ut illuc habeamus fiduciam, propter obedientiam* *Pallad. L. VIII. c. 116.*

vendidi ipſum ſermonem, qui mihi ſemper dicebat: Vende quæ habes, & da pauperibus.

Hic ad litteram evangelium implevit: alii ſpiritum illius medias inter mundi procellas. S. MACARIUS Ægyptius citius aliis ad perfectionis culmen perveniſſe, ac angelus, non homo viſus eſt; comperit tamen necdum ſe ſimilem eſſe duabus fœminis, media in civitate cum ſuis maritis degentibus, ac confeſſis, ſe ea ipſa nocte cum iis conſueſſe; quamvis deſiderarent exeſſe mundo vitamque religioſam ducere, & apud ſe deſtinaſſent, ut uſque ad mortem per os ſuum non egrediatur ſermo ſæcularis. Quæ audiens MACARIUS exclamat: *In veritate non eſt virgo, neque maritata, neque monachus, neque ſæcularis; ſed DEUS tantum propoſitum quærit, & ſpiritum vitæ omnibus miniſtrat.* ARSENIUS ad talem perfectionem in aula ARCADII pervenire non potuit, hinc ipſi exeundum fuit monitu DEI hac audita voce: *Fuge, tace, quieſce.* Ita primum aſpirare ad perfectionem debuit, ac cum eo omnes, qui ſua relinquunt, ut probe agnovit S. PAULINUS, cujus vita & ſcripta plena ſunt hoc ſpiritu evangelii, quam ipſe mortem merito vocat evangelicam in CHRISTO ſeparatione non a corpore, ſed a corde, vitaque hujus mundi. In hoc ergo conſiſtit omnium eorum, qui DEO ſunt conſecrati, quocunque in ſtatu degant, vita, ut mundo mortui, ſoli vivant DEO.

Roſw. de vit. PP. p. 515. a.

Epiſt. 2.
Epiſt. 44.

§. CXVII.

Cœnobitarum.

Inter ſtatus DEO dicatos frequentiſſimum monachorum, ſeu cœnobitarum eſt genus, qui in communitate

tate abdicata rerum proprietate cœlibes, ſub obedientia vivunt.

Quoniam voces ab uſu dependent & inſtitutione, monachi nomen univerſim omnibus competit, qui ſæculo valdedicentes ſingularem ſuſcipiunt vitam; communiter tamen hodie illis tribuitur, qui in cœnobiis, ſeu monaſteriis vitam communem degunt. *Alios*, inquit JUSTINIANUS, *quibus magno numero exercitatio, ſeu vita monaſtica eſt, in ſic dictis cœnobiis eſſe volumus.* *Nov. V.* *Monachus eſt*, juxta ac deſcribit S. MAXIMUS, *qui mentem ſuam a rerum terrenarum amore ſegregatam habet, atque per temperantiam, & charitatem, & pſalmodium, precationemque a DEO aſſidue pendet.* *Cent. II. de charit. c. 54.* Hæc ſtatus monaſtici eſt ἄσκησις, ac ſcopus. *Primum genus eſt cœnobitarum*, inquit S. ISIDORUS, *id eſt in commune viventium, inſtar ſanctorum illorum, qui temporibus apoſtolorum Hieroſolymis vendita, ac diſtributa omnia ſua dabant indigentibus, qui habitabant in ſancta communione vitæ, non habentes aliquid proprium ſed erant illis omnia communia, & anima una, & cor unum in DEUM.* *De eccl. offic. L. II. c. 15.* Horum igitur inſtitutione monaſteria ſumſere principium. Quod de exemplo intelligendum eſt, ac forma, juxta quam vita cœnobitica inſtituta eſt.

Primordia enim hujus inſtituti jam indicavimus; atque, quatenus præciſe cœnobiticum eſt, omnium ſententia a S. PACHOMIO cœpit, ipſo S. ANTONIO monachorum patre id agnoſcente in actis S. PACHOMII: ubi S. ANTONIUS ita loquens introduci-

tur, cum SACHÆO discipulo S. PACHOMII: *Quo ego primum tempore monachum cœpi agere, nullum uspiam extabat cœnobium, in quo de aliorum salute cura, aut metus cuipiam, erat: sed quisque antiquorum monachorum persecutione jam finita, privatim in vita sese monastica exercebat. Postea vero pater vester tantum bonum, DEO adjuvante, effecit.* Ipse S. PACHOMIUS initio pro se solitarie vivebat, cum autem varii ad eum confluerent solitarii, atque illius ductui sese subjicere vellent, ipse orationibus DEI voluntatem sibi indicari rogans, per angelum, ut aliorum in se curam hominum, ad eos sibi reconciliandos, susciperet, voluntatem divinam esse intellexit: sicque brevi tempore ingens numerus monachorum coaluit, qui rerum renunciationi etiam obedientiam addunt, CHRISTUMque sequuntur. Quod apte quidam conscripto singulariter libro de monacho ad exemplum CHRISTI crucifixo, a BERN. BEZIO edito, sic expressit: *Crux claustralium ex tribus lignis est, paupertate scilicet, castitate, & obedientia. Uti CHRISTUS tribus clavis fuit perfossus, sic & claustralis habet tres clavos voluntarie assumtos. Primus est amor divinæ gloriæ ejus; secundus amor beneplaciti ejus; tertius est amor placendi ei.*

Apud Boll. ad 14. Maji. c. 77.

T. IX. Bibl. Ascet.

§. CXVIII.

Eremitarum. Solitaria vita, prout a monastica distinguitur, exemplis etiam scripturæ asserta, olim frequentissima fuit anachoretarum, eminentem perfectionis gradum emensorum.

Vitam

Vitam hanc neoterici audent etiam naturæ adverſam cavillari, cujus tot exempla adhuc in veteri teſtamento, ac in novo ad tempus ipſius CHRISTI Domini, præcurſorisque illius JOANNIS Bapt. extant. Deinceps autem in eccleſia tot illuſtria non ſolum exempla, ſed etiam documenta ſanctitatis reliquit hic ſtatus DEO penitus dicatorum hominum, ut ſumma calumnia ſit, eum hominum ſocialitati, ac communibus emolumentis adverſum dicere.

Fuit is primis eccleſiæ preſſæ temporibus multis commoda ad martyrium præparatio, indeque effloruit auctore præſertim S. ANTONIO, qui ad eum ingentem hominum multitudinem attraxit, qui ſtudio eminentis perfectionis abdicatis rebus omnibus, ac commercio humano ſoli DEO vivere decreverunt non ſolum in Ægypto (quam idcirco S. HIERONYMUS non dubitat vocare civitatem DEI, ubi frequentius fuit hoc inſtitutum) ſed alibi etiam undique terrarum, fremente dæmone, & palam indignationem ſuam declarante, totque modis, & artibus fruſtra infeſtante; quos certe imitari pudeat hodie, hanc vitam laceſſendo, & non potius illuſtriſſimos ſanctitate, & doctrina viros ATHANASIOS, BASILIOS, GREGORIOS, HIERONYMOS, CHRYSOSTOMOS, THEODORETOS, EVAGRIOS, CASSIANOS &c. qui non ſolum eam ſummis laudibus concelebrarunt, & inſignia anachoretarum facinora ad nos transmiſerunt, verum etiam eorum meritis, & conſortio conjungi pro ſummo lucro habuerunt. *Epiſt. 27.*

S. Greg. Nazianz. carm. 48. ad Helle-nium.

Quorum pars ſpecubus gaudet, cubat inque cavernis
Deſertis, odio proſequiturque domos
Deſugit ac cœtus hominum, dulcemque quietem
Sancta colit, ſophiæ eſt quæ ſoror ætherea.
Compedibus rurſum pars altera vincta laborat,
Cum carne ut vitium debilitare queat:
Pars alia exiguis tectis incluſa, ferarum
Ritu hominum nullum vidit in his latebris,
Bisque dies denos noctesque impaſta remanſit
Sæpius, omnigenis abſtinuitque cibis.

Hæc inter alia S. GREGORIUS NAZ. ipſe cum ſocio individuo S. BASILIO eremi cultor: ipſo eremiticam, S. BASILIO monaſticam prius habente, ac commendante.

Et licet communiter anachoreticum inſtitutum pro perfectiore habeatur, habentur tamen etiam exempla antiquorum, quale de fene quodam refert CASSIANUS, qui deſerta illa cœnobiticam ſunt amplexi: quæ quo magis ſolitariæ accedit, eo propius nomini ſuo convenit, & propoſito fini. Refertque legem THEODOSII Veronæ datam BARONIUS ad an. 390. qua omnes vitam monaſticam profeſſos, ut in ſolitudinem, locaque deſerta concedant, obſtringuntur. S. NILUS de hac re ſingularem librum ſcripſit, ut ſtatum monachorum in ſeceſſu ſolitudinis degentium multo præferendum probet degentium in villis. Idem tamen vitam monaſticam in communitate fratrum præfert ſolitariæ prorſus.

Collat. XIX. c. 2.

§. 47. 48.

Epiſt. 72.

Medium tenuere monachi Lirinenſes inſtituente S. HONORATO: qui demiratus, & abductus anachoretarum orientis, Ægypti impri-

imprimis virtutibus, ac vita, idem apud ſuos formavit, ut diſcimus ex CASSIANO, & S. EUCHERIO. Simile in Palæſtina fuit inſtitutum ſolitariis ſeſe monachis jungentibus in Bethlehem ſub MARCIANO abbate, qui moriens S. SABAM ſolitariis, S. THEODOSIUM monachis abbatem præfecit. *Collat.* 11. *Euch. Elogium eremi.* *Sur.* 5. *Dec.* §. 37. *p.* 171.

In occidente id receptum fuit, ut prius in monaſterio diu probati, ſi majoris perfectionis gratia cuperent, ad ſolitariam vitam transirent. Concilium Venetenſe ſervandum quoque de monachis decernit, ne eis ad ſolitarias cellulas liceat a congregatione diſcedere, niſi forte probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem aſperior ab abbatibus regula remittatur. Idem ad verbum in canone 38. concilii Agathenſis habetur. Ex quibus occurrit diſpar talis feceſſus ratio, ipſa etiam infirmitatis neceſſitas: quam tamen ſuſtentari in communitate potius ſemper eſt viſum; hocque S. Jo. CLIMACUS anachoretam inter & monachum facit diſcrimen in ſua ſcala, ubi eam etiam quæſtionem movet: *Cur monaſterium Tabennenſe S. PACHOMII tot hominum, non tot mirabiles produxerit viros, quam Scetenſe, ſeu cellularum.* Sed cauſam non aſſignat, quam hanc dat SOZOMENUS, quod eremus ſcete ſeu cellularum conſtiterit ex eremitis, qui culmen perfectionis chriſtianæ, & religioſæ attigerint; monachorum autem S. PACHOMII magna pars virtutum exercitationem ſuſcipientium fuerit. Quæ eſt etiam S. BENEDICTI perſuaſio, qui ita anachoretarum genus deſcribit: *Horum, qui non converſionis fervore novitio, ſed monaſterii probatione diuturna di-* *An.* 465. *can.* 7. *Gr.* 27. *L. VI. c.* 30. *Reg. c.* 1.

dicerunt contra diabolum, multorum ſolatio jam docti, pugnare, & bene inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam erumpi, ſecuri jam ſine conſolatione alterius, ſola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum DEO auxiliante pugnare ſufficiunt.

Hinc *recluſi* in occidente originem trahunt, novum ſolitariorum genus, ad mentem S. BENEDICTI, diu in vita cœnobitica exercitati, & probati, pro quibus regulam ſcripſit GRIMLAJUS presbyter, & ſolitarius, quæ habetur in codice regularum *P. II. p.* 278.

§. CXIX.

Origo vitæ monaſticæ.

Status monaſticus mox a prima ſua origine mirifice propagatus, varia licet expertus fata, excrevit, & uſque hodie viget.

Coll. PP. Græc. Montfauc. T. I. p. 348.

EUSEBIUS monachis applicans illud pſalmi LXVII. 7. *DEUS qui inhabitare facit unius moris in domo*, occaſione ſumta ex SYMMACHI & aliorum interpretatione, *dat inhabitandam monachis domum:* ſecundum AQUILAM, *ſedere facit unigenitos domi:* ſecundum editionem quintam, *inhabitare facit una zona præcinctos domi*, raram dicit hanc avem fuiſſe ſuo adhuc tempore: *Primus itaque*, ait, *ordo eorum, qui in CHRISTO proficiunt, eſt monachorum. Sed rari ſunt illi, quare ſecundum AQUILAM unigeniti vocati ſunt, ſimiles facti unigenito Filio DEI. Secundum LXX. autem, unius, non diverſi moris ſunt, neque ſubinde morem variant, ſed unum colunt, qui ad virtutis cacumen advenit. Ipſos vero unius zonæ quinta editio voca-*

vocavit, utpote qui ſolitarii, & per ſeipſos præcincti ſant. Tales autem ſunt, quotquot monaſticam, caſtamque vitam agunt.

Non ergo tunc, cum hæc ſcripſit EUSEBIUS, adhuc multum erat dilatatus ordo ille; ac primum dilatari cœpit hinc inde, quando adhuc primi illius inſtitutores vixerunt SS. ANTONIUS, & PACHOMIUS, qui nihil non ad illius incrementa contulerunt indefeſſa opera, & precibus apud DEUM, certatim ad tam ſanctum inſtitutum concurrentibus religioſis hominibus. Ita abbas AMON ad ANTONIUM: *Quandoquidem per preces tuas fratres multiplicati ſunt, cupiuntque eorum nonnulli cellas diſſitas ædificare, ut quiete inibi vivant, quanto ſpacio jubes, ut conſtruendæ cellæ diſtent?* Quod S. ANTONIUS præmiſſa oratione demum conſtituit: *Oremus, atque hic ſtatuamus crucem, ut ibidem ædificent, qui ædificare volunt.* Fuit hoc initium conſociatæ veluti anachoreticæ cum cœnobitica vita, cellularum nimirum inſtitutio, ut ſuis temporibus invicem, convenire poſſent: *Quo*, pergit ibidem ANTONIUS, *ii, qui illic manebunt, quando ad eos, qui hic verſaturi ſunt, accedere voluerint, guſtata ad horam nonam parva ſua buccella, ſic accedant, ut, qui hinc idem facientes perrexerint in mutua viſitatione abſque mentis diſtractione perſeverent.*

Apud Copet. mon. gr. T. I. p. 351.

p. 352

Uſque in urbes penetravit ſolitariorum genus, ubi bini, & terni morabantur in Ponto, & Cappadocia: ſed illorum loco S. BASILIUS vitam cœnobiticam inſtituendam duxit: quod, teſte SOZOMENO, ampliſſime fecit, Pontum peragrando, ac populos

Epiſt. 227.

L. VI. c. 17.

ſimul in fide, & moribus inſtruendo. S. CHRYSOSTOMUS cum idem faceret ſermonibus præſertim, & ſcriptis, vel hinc ad monaſticam vitam incitandi occaſionem ſumſit, quod corruptio morum ſeceſſum ejusmodi expeteret. In iis autem homiliis, quas Antiochiæ habuit, non raro in commendationem vitæ monaſticæ excurrit, quia vita ea per totam Syriam jam tunc propagata erat.

L. III. ad Theodor. lapſum.

Citius orientem quam occidentem pervaſit: ubi in principe urbe Roma adhuc tempore S. HIERONYMI ignota monaſticæ vitæ profeſſio, ipſumque monachi nomen novum, ac deſpicabile fuit. Non multum ergo profecerint ſtudia S. ATHANASII, Romam inſtitutum iſtud inferendi. Quodſi monaſterium S. MAXIMINI pariter ac ea eccleſia ad tempora CONSTANTINI referenda, S. ATHANASIO illic exuli inſtitutio vitæ monaſticæ tribui poſſet. Sed tribuitur prima S. MARTINO monachorum inſtitutio in Galliis, Pictavis, ac poſtea Turonis, cujus etiamnum hodie celebre eſt Turonis *majus monaſterium* (Marmoutier) dictum. In Italia etiam profecit idem labor S. AMBROSII Mediolani initio ſæculi quinti, & S. HIERONYMI Romæ, ſed non ſine invidia, atque aſceticus potius, & anachoreticus ſtatus ab eo tum Romæ, cum in Palæſtina fuit excultus: ubi tanta fuit monachorum copia, ut ſimul Hieroſolymis 10. eorum millia convenerint, nec eos eccleſia caperet. Teſte ANASTASIO S. LEO prope eccleſiam S. PETRI Romæ monachos inſtituit.

Ep. ad Princip.

Sed ea gloria manſit S. BENEDICTUM, ut patriarcha monachorum in occidente fieret, illius

illius tamen reſtaurator potius, quam primus inſtitutor, de quo Havelbergenſis : *Iſte in religione ferventiſſimus regulam ſuis, dictante Spiritu S. præſcripſit, & ordinem monaſticum jam tunc vacillantem renovavit, & firmavit.* Fecit id autem non in Italia tantum, ſed aliorſum etiam coloniis miſſis in Siciliam, Hiſpaniam, & alias regiones. Satis contra obtrectatores aſſerta eſt miſſio S. MAURI in Gallias, rogatu epiſcopi Cenomanenſis. Idem poſtea in Anglia fuit factum, religione tamen prius illuc per Benedictinos ſtabilita catholica, quam monaſtica, quæ adhuc ſub CONSTANTINO P. illic regionum parum invaluerat. Et in Italia etiam irruptione Lombardorum pene extincta, a GREGORIO II. reſtaurari jam iterum debuit in ipſa ejus arce monte Caſſino. Quod actum eſt tam feliciter, ut ſub CAROLO M. inde ad reformanda Galliæ monaſteria viri idonei ſubminiſtrari potuerint: unde & Germaniam, potiſſimum tamen ex Anglia, & Scotia, cum ipſa religione chriſtiana occupavit.

T. XIII. Spicil. p. 112.

T. VI. conc. p. 1397.

Si alicubi vacillare cœpit, conciliorum etiam auctoritate iterum eſt reſtaurata per variam ſortem, & fata, quæ jam S. ANTONIUM tantopere afflixerunt: dum ei in viſione oſtenſum eſt, hoc ſolum ſolatio, ſemper fore in quantavis corruptela veri nominis monachos. Similis viſio S. PACHOMIUM adeo afflixit, ut pene doluerit inchoaſſe inſtitutum. Et ſane paulo poſt ejus vitam monaſterium Tabennenſe adhuc ſub S. THEODORO de fervore remiſit: qui idcirco ardentes ad ſepulchrum S. PACHOMII fudit preces, ut ex hac vita tolleretur. S. EPHREM hic frequens eſt, & vehemens in operibus, & ſermonibus de re monaſtica. Item S. NILUS tracta-

Vid. Echell. S. Ant. vita &c. p. 123.

Vid. Boll. ad 14. Maji. append. p. 50. 51.

tractatu de vita monastica. Idem tamen epistola prima, quanto in pretio, & existimatione sanctitatis tunc monachi fuerint, refert.

Habuerunt monachi semper suos hostes VIGILANTIUM, Nestorianos, & alios a prima sua origine: ac S. GREGORIUS NAZ. varia contra obtrectatores monachorum scribere necesse habuit epigrammata. S. CHRYSOSTOMI homiliæ quædam, & peculiare opus in hoc argumento sunt. S. AUGUSTINUS ita de hac re clero & populo Hipponensi scribit: *Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ dominicæ fructu olei luminosioris implentur.*

Epig. 213. *&c.*

Ep. 78. *n.* 9.

§. CXX.

Ac variæ regulæ.

Omnia autem rite sunt ordinata, certisque regulis regularis observantia adstricta, quarum magnus numerus a prima monastici instituti origine a præcipuis illius auctoribus promanavit, etiam ad fidelium, & infidelium institutionem utilitate summa ecclesiæ.

Vita anachoretica minus ad certas est restricta regulas, obedientiæ, & socialitatis legibus soluta. Illius institutor S. ANTONIUS, *cum sederet aliquando*, ut in vitis patrum refertur, *in eremo, incidit in tædium, multamque cogitationum caliginem: dixitque ad DEUM: Domine, volo salvus fieri, sed cogitationes non permittunt: quid agam in affli-*

L. III. n. 105. *L. V. c.* 7. §. 1. *& apud Cotel. mon. gr. T. I. p.* 340.

afflictione hac mea? quomodo ſalvus ero? Cumque paulo poſt ſurgens exiiſſet foras, videt ANTONIUS quemdam, ſicut ſe ſedentem, ac operantem, deinde ſurgentem ab opere, & orantem, iterumque ſedentem, ac funiculum contorquentem; & inde rurſus ad orandum exſurgentem: erat autem angelus Domini, qui ad ANTONII inſtructionem, cautionemque miſſus fuerat. Tum audivit angelum dicentem; ſic fac, & ſalvus eris. Ille hoc audito, ſumma lætitia, atque fiducia repletus eſt. Et ita faciens, ſalvabatur. Atque huc redigebatur exterior vitæ anachoreticæ inſtitutio ad orationis, & laboris manuum viciſſitudinem, pauxillo temporis corporis neceſſitatibus attributo.

Aliud fuit in monaſticis congregationibus ſuſcipiendum, ubi ſub regula, & obedientia magiſtri vivitur communis vita, certis regulis conformanda. S. PACHOMIUS, qui plura locis diſſita ſub ſuo magiſterio habebat monaſteria, regulas ſcriptis commendandas duxit, ac ipſe dictabat, quæ etiamnum extant non uniusmodi. Fertur autem ab angelo divinitus accepiſſe. Habetur item ad inſtitutionem monaſticam liber diſcipuli S. PACHOMII, & in regimine cum S. THEODORO ſucceſſoris, *doctrina Orſieſi* inſcriptus. Huc etiam facit magna ſcriptorum pars S. EPHREM Syri, atque EVAGRII. Sed prævaluit in oriente inter alias complures regulas, ut BULTEAU in hiſtoria monaſtica orientis obſervat, inſtitutio, ac regulæ S. BASILII, quas præſcripſit inſtitutis a ſe undique locorum, etiam ſua in eccleſia, monachis: quod a non paucis vitio ei datum eſt; ſed ipſemet ſibi id laudi potius dandum eſſe dicit. Faciunt huc non ſolum

Bolland. 14. *Maji. app. p.* 34. 42. 62.

p. 400. 408.

ſolum regulæ illius breviores, & fuſius tractatæ, ac aſcetica, verum etiam non paucæ illius epiſtolæ, imprimis 22. & 23. de perfectione ſtatus monaſtici. S. MARTINUS, ad quam regulam ſuos inſtituerit monachos, jam CAROLUM magnum dubium habuit. Concilium Aquiſgranenſe pro virginibus commendat epiſtolas S. HIERONYMI ad diverſas matronas, Romanas, ceu optimam regulam. S. AUGUSTINI habetur regula pro virginibus, quæ etiam viris fuit accommodata; neque autem pro genuina habetur epiſtola ad fratres in eremum. Celeberrima olim in Galliis fuit S. HONORATI regula pro monachis, & anachoretis Lirinenſibus, ex ſcripturis ſacris, & inſtitutis patrum Ægypti, quam concilium Arelatenſe ad apicem obſervandam præſcribit iisdem monachis Lirinenſibus, & S. EUCHERIUS eam inſulam dignam vocat, quæ cœleſtibus diſciplinis HONORATO auctore fundata ſit, quæ tantis inſtitutis tantum nacta ſit patrem. SIDONIUS APOLL. AUXANIO in monaſterio S. ABRAHAMI ſuadet, ut ſtatuta Lirinenſium, aut Grinicenſium, in Galliis celebrium monachorum, ſuis obſervanda præſcribat. CASSIANUS inſtitutiones ſuas ſcripſit pro monaſterio S. CASTORIS in Narbonenſi ſecunda rogatu S. CASTORIS illic epiſcopi: quo etiam ejus collationes pertinent. S. NILI habetur inſtitutio pro monachis, ſeu inſtructio monaſtica. S. ISIDORUS Hiſpalenſis meminit regulæ S. EUGIPII, quam ſuis teſtamenti loco reliquerit. S. CÆSARII habetur regula pro monachis, & monialibus, quarum illa TERIDIUS ejus nepos nomine avunculi ſcripſit: alteram pro monia-

T. 7. conc. p. 1406.

T. IV. conc. p. 1025. a.

De laude eremi. n. 42.

L. VII. ep. 17.

De ſcript. eccl. c. 13.

libus

libus ipſe ſcripſit maxime celebrem, & præcipuam eo in genere: quemadmodum pro monachis ea, quam ſcripſit S. BENEDICTUS, κατ' ἐξοχὴν olim eſt *regula ſancta* vocata. Concilium Duriacenſe dicit, quod Spiritus S. per B. BENEDICTUM eodem ſpiritu, quo & ſacri canones conditi ſunt, regulam monachorum ediderit. Quam COSMUS de MEDICES, cum aſſidue verſaret in manibus, interrogatus reſpondit, illud facere ſe, quod ſcilicet ex tam prudentibus ſancti patris præſcriptionibus ad populos ſuæ fidei concreditos valde accommodata media caperet. Circa idem tempus S. AURELIANUS ſcripſit pro ſuis monachis, quos Arelati inſtituit, regulam, haud dubie quod S. CÆSARIUS tantum pro monialibus ſcripſerit, quam præ manibus habuiſſe unacum regula S. BENEDICTI apparet. CASSIODORUS etiam multa regulæ S. BENEDICTI conformiter inſtituit, licet ejus non meminerit, atque ad regulas patrum, & CASSIANI provocet, quemadmodum ipſe S. BENEDICTUS in ſua regula. S. FERREOLUS ſimiliter ex SS. CÆSARII, BENEDICTI, & AURELIANI regulis novam confecit, non ita multo poſt ſingularia pro monachis ſuis Uzeenſibus addens ſtatuta.

An. 874.

Thomæ Galeti lib. Religioſus inſcriptus. c. I.

Diſcimus ex S. GREGORIO Turonenſi, in uno, eodemque monaſterio diverſas obſervatas fuiſſe regulas S. BASILII, CASSIANI &c. Quod fieri potuit juxta inſtitutum S. BENEDICTI qui S. BASILII, & CASSIANI nominatim meminit, & ſuis commendat. S. LEANDER haud dubie ad FLORENTINAM ſororem regulam pro virginibus ſcripſit, quod regula S. BENEDICTI

Hiſtor. Franc. L. X. c. 29.

CTI pro monachis tantum eſſet. S. COLUMBANUS etiam ſcripſit regulam, quæ in Galliis cum regula S. BENEDICTI fuit obſervata in monaſterio Luxovienſi. Idem etiam ut fieret in monaſterio Soliniacenſi voluit S. ELIGIUS: quibus addita eſt pro monialibus S. CÆSARII regula, ſaltem in compendium pro monaſterio Veſontino a S. DONATO ex monacho Luxovienſi epiſcopo Veſontionenſi. S. FRUCTUOSUS præter regulam pro monachis ſcripſit pro communitatibus virorum, & fœminarum regulam, quam *communem* vocavit: utraque cum aliis habetur in codice regularum S. BENEDICTI Anianenſis abbatis, ubi tam orientis, quam occidentis, tam pro viris, quam pro fœminis habentur regulæ in tres partes diſtributæ.

Pro obſervantia autem regulam S. BENEDICTI præſtituit, quare aliud opus, quod concordiam regularum inſcripſit, edidit, ut oſtenderet, regulam S. BENEDICTI cum aliis conſpirare. Hanc unam tam pro monachis, quam monialibus ſtirps Carolina in pluribus capitularibus ſervandam conſtituit, atque in variis conciliis idem fuit ſtatutum, ſervatumque. Primum etiam canonicis fuit adaptata, donec S. AUGUSTINI nomen, & inſtitutum adoptarunt, atque religioſorum novi ordines, mendicantium præſertim, exurgerent, imprimis S. FRANCISCI, qui propriam ſuis præſcripſit regulam, brevem eam quidem, quæ tamen hodie norma eſt variorum religioſorum, ſicuti S. BENEDICTI diverſorum monachorum, ac S. AUGUSTINI non canonicorum non tantum regularium, ſed eremitarum etiam ſub ejus nomine, ac aliorum ordinum.

His-

Hisque tribus ſub regulis hodie infinitus hominum numerus DEO dicatus militat in occidente, præter eos, qui patrum orientalium, & S. HIERONYMI inſtitutis, & nominibus gaudent: aut qui ſub novis regulis nova inſtituta ſectantur religioſa, quibus S. IGNATIUS præivit, addito etiam ad tria conſueta ſolemnia, ac quædam privata quarto de *miſſionibus* voto, ac ſaluberrimo inſtituto, monachis etiam antea, præſertim S. BENEDICTI in occidente ſolemni.

§. CXXI.

Et inſtituta religioſorum.

Infinitus eſſem, ſi vel recenſere ſuſciperem diverſa inſtituta, ac ordines monachorum, & religioſorum DEO dicatorum pro ſua, & proximi ſalute; ſi non nomen, ac inſtitutum ſacerrimum corruperunt.

Poſtquam non ſibi ſolum, ſed proximo, ac eccleſiæ ex primaria inſtitutione ſervire fundatoribus ordinum religioſorum viſum eſt, religioſi a monachis diſtingui cœperunt. Atque monachi quidem nunquam intermiſerunt pro data occaſione ſeſe commodis aliorum maxima eccleſiæ utilitate devovere; atque vel hinc orta occaſio eſt, ut, qui novos fundarent ordines, id ex inſtituto ſuſciperent, ex obligatione, quod ex charitate prius fuerat factum. Inde autem, quod infinitæ excogitarentur rationes, inirenturque viæ, & conſilia, DEO & eccleſiæ ſerviendi, infinitus ordinum, ac inſtitutorum numerus prodiit, de quibus conſuli poſſunt MIDDENDORPPIUS in hi-

ſtoria monaſtica, AUBERTUS MIRÆUS in originibus monaſticis, PAULUS MORIGLIA, SILVESTER MARULIUS, PETRUS CRESCENTIUS, ANNIBAL CANALE, LUDOVICUS BEURIER, & alii, quos citat P. HELYOT in præfatione inſignis hiſtoriæ ordinum monaſticorum, religioſorum, & militarium, item congregationum ſæcularium utriusque ſexus, quæ Pariſiis 1714. prodiit.

Vix hodie ullum habetur inſtitutum, cujus non ex antiquitate exempla quædam ſuppetant, ſi non integrorum ordinum, ſaltem ſingularium perſonarum; ſive penitus ſe DEO dicarint, ſive in vita ſæculari, & communi DEO, aut ipſis monachis ſervierint: quale exemplum mirabile refert PALLADIUS, ac collaudat in ſene SABBACIO de Jericho, qui nocte cum aſino cellas anachoretarum obibat, & ſingulis neceſſaria vitæ ad portam deponebat. De monachis autem ipſis, qui DEO aut proximo ſerviebant, illud ex vitis patrum memorabile eſt de ARSENIO, & MOYSE celeberrimis anachoretis, quorum unus ſibi ſoli, alter proximo tantum ſervire videbatur: qua de re quidam patrum hanc ad DEUM fudit orationem: *Domine, hanc mihi rem, precor, oſtende, quia unus propter nomen tuum omnes homines videre, aut appellare refugit, alter vero omnibus propter nomen tuum communis eſt. Et ecce*, pergit anonymus auctor, *in ecſtaſi duæ illi naves per fluvium oſtenſæ ſunt: & in una quidem vidit Spiritum S. cum ſilentio & requie unacum abbate ARSENIO navigantem: in altera vero navi vidit abbatem MOYSEN, & angelos DEI mel & favum in os, & in den-*

Hiſt. Lauſiac. c. 112.

Roſw. de vit. PP. L. VII. c. 18. p. 6753. a.

dentes ejus inſerentes. Jam olim monaſteria in villis erant, ut ex S. EPIPHANIO diſcimus. *De hæreſ.*

S. HIERONYMUS in Meſopotamia tria genera monachorum diſtinguit, cœnobitarum, anachoretarum, & quos Remoboth vocant illa lingua, deſpectum, & corruptum: qui bini, aut terni, raro autem majori numero degebant: qui cum Gyrophagis, & Sarabaitis conjungendi ſunt, quos etiam damnat S. BENEDICTUS in ſua regula, ubi de generibus monachorum tractat. Illi circumeuntes, hi commorantes quidem *bini, aut terni*, ut inquit S. BENEDICTUS, *aut certe ſinguli ſine paſtore, non dominicis, ſed ſuis incluſi ovilibus*, ſuis deſideriis ſerviebant: quod non inſtituto tribuendum, ſed perverſitati hominum, quæ ex hoc vivendi genere facile anſam corruptionis vitæ & morum ſumebat, ut obſervatum eſt a CASSIANO. S. NILUS memorat, magnum tunc numerum falſorum monachorum oppida, & caſtella obiiſſe, importune, ac impudenter mendicantium. Hi ſunt Gyrophagi, quos S. ISIDORUS circumcelliones vocat: *Qui*, inquit, *ſub habitu monachorum uſquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocriſin, circumeuntes provincias nuſquam miſſi, nuſquam fixi, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes.* Jungit his etiam cum S. BENEDICTO Sarabaitas: *Quique ab eo, quod ſemetipſos a cœnobiali diſciplina ſequeſtrant, ſuasque appetunt liberi voluptates, Ægyptiorum lingua Sarabaitæ, ſive Remnuitæ nuncupantur.* Tales coercentur in concilio Toletano ſeptimo *c.* 5.

Ep. 18. *ad Euſtoch.*

Reg. c. 1.

Coll. 14. *c.* 8.

L. I. ep. 119.

De off. div. L. II. c. 15.

Hæ fuerunt veterum monachorum corruptiones; quæ perſæpe ſacerrimum inſtitutum, & vivendi genera maxime ſingularia ſanctiſſima

in ſuſpicionem vocarunt, ne facile, niſi probe perſpectis omnibus, probarentur.

Exemplo eſſe poſſunt ſtylitæ, ſingulare monachorum genus in columna conſiſtentium, quod genus vitæ primus, teſte EVAGRIO, SIMEON ſuſcepit. Monachi autem Ægypti, ut refert THEODORUS lector, cum S. SIMEONEM ſupra columna ſtare didiciſſent, rem novam, atque inſolitam condemnantes, excommunicationis libellum ad eum miſerunt. Poſtea vero, cum ejus vitam, & merita certius cognoviſſent, communionem ejus amplexi ſunt. Teſte EVAGRIO, eum probarunt, jubentes de columna deſcendere, ea conditione, ut, ſi paratum ſe exhiberet ad obediendum, permitteretur ſtare, id quod factum eſt.

L. I. c. 13.

L. II. p. 565.

L. I. c. 13.

Non abſimile exemplum in MARTINO eremita habetur, qui catena ſe eremo alligaverat, hortatu autem S. BENEDICTI eam depoſuit. In oriente frequens eorum erat inſtitutum anachoretarum, qui catenis undique ſe conſtringebant, onerabantque; laudat tamen THEODORETUS POLYCHRONIUM, qui humilitate cohibebatur, abſtinebatque ab hoc onere, quo plerique anachoretæ illius regionis tenebantur, etiam ſexus alterius: de quibus exempla varia apud THEODORETUM in hiſtoria ſolitariorum leguntur.

T. I. Annal. Ben. p. 53.

Vit. PP. Roſw. L. V. c. 24.

In Meſopotamia erant, qui Βόσκοι, ſeu paſtores dicebantur, qui ſine tecto, ac cellis degebant expoſiti omnibus tempeſtatum injuriis.

Singulare etiam fuit acœmetarum inſtitutum cœnobitarum: *Qua voce*, inquit RENAUDOTIUS, *ſignificabantur monachi illorum monaſteriorum, in quibus perpetua erat chororum ſibi ſuccedentium pſalmodia.* Eorum inſti-

T. II. lit. orient. p. 489.

inſtitutor fuit Conſtantinopoli ALEXANDER; qui, quod videretur Meſſalianorum errori accedere, continuam orationem ſine labore manuum frequentantium, ceu hæreticus a multis eſt condemnatus, etiam a S. NILO. Nihilominus inſtitutum illud late propagatum etiam in occidentem venit. Ubi tamen rariora ſunt exempla extraordinariarum auſteritatum: quod colligere licet ex iis, quæ BOLLANDUS in vita SS. ROMANI, LUPICINI, & EUGENDI, & S. GREGORIUS Turonenſis refert. Hæc de ſingularibus, & extraordinariis quibusdam inſtitutis, & exercitiis monachorum antiquorum. *Ad 1. Jan. p. 50. &c. 28. Febr. p. 742. 21. Mart. p. 263.*

De recentioribus monachorum, & religioſorum ordinibus, qui omnium oculis obverſantur longius foret, & ſupervacaneum poſt eos, quos paulo ante citavi, plura afferre: dum infinitæ excogitatæ ſunt artes, & viæ, DEI & proximi amorem, ac exercitia pietatis proſequendi ſaluberrimæ, ſi recte illis inſiſtatur, nec ab intentione auctorum abeatur.

§. CXXII.

DEI laudibus, & orationi die ac noctu intentos eſſe, eorum, qui DEO ſunt dicati, ſtatus primarium munus eſſe ſuapte patet. Primarium munus pietatis.

Ecquid igitur, inquit S. BASILIUS, *beatius, quam in terra concentum angelorum imitari; ſtatim quidem, ac dies incipit, ad preces ſurgentem, hymnis & canticis creatorem venerari, exinde ſole jam clare diluceſcente ad opera converſum comitante ubique oratione, hymnis etiam opera tanquam ſale* *Ep. 2.*

condire? ſiquidem hilarem, jucundamque animæ æquabilitatem hymnorum ſolatia conferunt.

Coll. IX. c. 2. *Finis, atque perfectio,* ait CASSIANUS, *omnium monachorum tendit ad jugem, ac indiſruptam orationis perſeverantiam, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem mentis tranquillitatem, & ad perpetuam nititur puritatem, ob quam indeſeſſe aſſumimus, & jugiter exercemus omnem laborem corporis, contritionemque ſpiritus, & inter hæc reciproca quædam inſeparabilisque conjunctio. Nam ſicut ad orationis perfectionem tendit ſtructura univerſarum virtutum, ſic, niſi exercitia virtutum colligata fuerint, & compacta perfectione, & culmine orationis, nequaquam poterunt firma, aut ſtabilia perdurare.* Agit ea de re integra illa collatione ISAAC anachoretam loquentem inducens, & in inſtitutionibus copioſe in-

L. III. c. 3. tegro libro ſecundo, & tertio. Ubi cernes, easdem fere fuiſſe horas, quas nunc celebramus divinis laudibus, juxta evangelicum patremfamilias operarios in vineam conducentem: *Ita enim,* inquit, *ille primo mane conduxiſſe deſcribitur: quod tempus deſignat matutinam noſtram ſolemnitatem: deinde tertia inde ſexta, poſt hæc nona, ad extremum undecima, in qua lucernalis hora ſignatur.* De Ægyptiis autem jam antea dixerat: *Apud illos hæc officia, quæ Domino ſolvere per diſtinctiones horarum, & temporis intervalla, cum admonitione compulſoris adigimur, per totum diei ſpacium jugiter cum operis adjectione ſpontanea celebrari. Ita namque,* pergit, *ab eis inceſſanter operatio manuum privatim per cellulas exercetur, ut pſalmorum*

quo-

quoque, vel cæterarum ſcripturarum meditatio nunquam penitus omittatur. Cui preces, & orationes per ſingula miſcentes, in his officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totum diei tempus abſumunt. Quamobrem, exceptis veſpertinis horis, ac nocturnis congregationibus nulla apud eos per diem publica ſolemnitas absque die ſabbati, vel dominica celebratur, in quibus hora tertia ſacræ communionis obtentu conveniunt. Ita pariter PALLADIUS in hiſtoria Lauſiaca, & BOLLANDUS in vita S. GERASIMI. In præcipuis feſtis, præſertim in Paſchate idem fiebat, convenientesque integris octo diebus manebant in monaſterio magno Tabennenſi S. PACHOMII. Refertque CASSIANUS, quinque millia monachorum illic conveniſſe. Ubi per diem, & noctem frequenter orationes fiebant, ſed breves, ut etiam S. BENEDICTUS præſcribit.

C. 7. p. 909. *Ad* 20. *Jan. p.* 315. §. 89. *Inſtit. L. IV. c.* 1.

De Acœmetis paulo ante dixi, ſeu inſomnibus, qui ſeſe in diverſos choros dividentes, mutuo ſibi ſuccedentes orationem continuabant inceſſanter, ut nullum diei, aut noctis momentum vacaret a divinis laudibus, quod S. BERNARDUS etiam refert inſtitutum in vita S. MALACHIÆ, fuitque in monaſterio introductum Lexovienſi a S. COLUMBANO, & a S. ANGELBERTO abbate Centullenſis monaſterii. Solebant autem diſtribui in tres turmas, ut tertia pars temporis a qualibet orationi daretur. Nec tamen meliori jure Acœmetæ dicebantur, quam plerique anachoretarum, qui potiſſimum noctem, eamque integram orationi dabant, quod ſolemne erat S. ANTONIO; qui queri ſolebat de ſole oriente: *Ut ipſo,*

C. 5.

narrat de eo ISAAC apud CASSIANUM, *frequenter orante in mentis exceſſu, audierimus eum ſæpe clamantem in mentis fervore, cum ſol cœpiſſet oriri: Quid me impedis ſol, qui modo oriris ad hoc, ut abſtrahas me a claritate hujus luminis veri.* *Retulit abbas DANIEL de abbate ARSENIO, quod noctem totam pertranſibat inſomnis; cumque circa matutinum tempus natura impellente dormitaret ſomno dicebat: Veni ſerve nequam: ſedensque paululum capiebat ſomni, ac ſtatim ſurgebat.*

Coll. X. c. 31.

Cotel. mon. gr. T. I. 356.

§. CXXIII.

Ac bonorum operum.

In aliis item pietatis, ac virtutum exercitiis, præſertim pœnitentiæ, & mortificationis, perpetui eſſe debent, qui eum ſuſceperunt ſtatum.

Hi quippe, deſcribit eos, *ut patrum edocet inſtitutio*, S. ISIDORUS Hiſpalenſis, *contemtis primum, atque deſertis mundi hujus illecebris, in communi vitam ſanctiſſimam congregati ſimul agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus, in vigiliis, in jejuniis nulla ſuperbia tumidi, nulla invidia lividi, ſed modeſti, verecundi, placati, concordiſſimam vitam ſectantur.* Hæc ἄσκησις eſt, ac exercitatio religioſæ vitæ, ut a terrenis cupiditatibus abſtracti, pravis ſubactis concupiſcentiis, ſurſum efferamur. *Ad id autem*, inquit S. BASILIUS, *plurimum affert adjumenti ſolitudo, quæ vitioſos animi noſtri motus conſopit, ac rationi otium dat, eos ex animo penitus exſcindendi. Quemadmodum enim belluæ, ſi demulceau-*

De div. offic. L. II. c. 15.

Ep. 2. n. 3.

cantur, facile vinci poſſunt; ita libidines, iræ, pavores, mœrores, venenata illa animæ mala, ſolitudine ſopita, nec irritamento jugi efferata, vi rationis facilius ſuperantur. Eſto igitur locus aliquis hujusmodi, qualis hic noſter, ita ab hominum commercio liber, ut religioſæ exercitationis continuatio a nullo extraneo intercidatur. Pietatis autem exercitatio animam divinis cogitationibus alit.

Jam diximus occaſionem fuiſſe ſancto patri iſtud a ſe inſtitutum ſuſceptum, ac introductum a dicteriis malignorum tuendi, ubi inter alia ita loquitur: *Illud tamen vobis teſtificor, quæ hactenus pater mendacii ſatanas dicere non auſus eſt, ea ſemper a cordibus metu expertibus, & effrenatis linguis audacter efferri. Scire autem vos volo, nos laudi ducere, quod virorum & mulierum cœtus habeamus, quorum converſatio in cœlis eſt: qui ſuam carnem unacum affectionibus, ac cupiditatibus crucifixerunt: qui nec de cibis, nec de indumentis ſunt ſolliciti, ſed minime diſtracti, & Domino continenter adſtantes, noctu diuque perſeverant in orationibus: quorum os non loquitur opera hominum, ſed hymnos DEO noſtro concinunt continenter, operantes manibus ſuis, ut habeant unde impertiant indigentibus.* Ep. 207. n. 2. Contra pejores adhuc obtrectatores res fuit S. CHRYSOSTOMO: *Ut eorum quidam, diabolo vehementer afflante, execranda lingua ſua dicere auſus ſit, ſe a fide receſſurum, & dæmonibus immolaturum: ſuffocari enim ſe videndo homines liberos, nobiles, vitamque in deliciis plenam agere valentes, ad hanc duram vitæ rationem abduci.* Cont. obtrect. vit. mon. L. I. n. 2. Vehementer hæc afflixerunt ſanctum virum, huic etiam inſtituto deditum.

Nihilominus de ſe ipſe ingenue fatetur DE-
c. 6. METRIO monacho, ad quem ſcripſit de compunctione, quomodo ipſe auſteritatibus, & incommodis hujus vitæ primum abſterritus ſit: quæ tamen non paucis annis fortiter tulit, ultra multorum tunc monachorum conſuetudinem.

Id quidem communiter ſemper fuit habitum, ſtatum monachi, ac *vitam*, ſeu *officium* plangentis eſſe juxta S. HIERONYMUM. Hinc POEMEN mulierem ob mortuos filium, fratrem, & maritum acerbe flentem conſpicatus dixit abbati ANUB: *Ajo tibi, niſi homo cunctas carnis voluntates mortuas reddiderit, huncque obtinuerit luctum, non poteſt fieri monachus. Tota enim hujus mulieris vita, & mens in luctu eſt.* Sed hic luctus in compunctione cordis, non in ea triſtitia, quam damnat CHRISTUS in jejunantibus, conſiſtit. Celebre eſt MACARII dictum: Ita debere monachum jejuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum, ita motus animi refrenare, & injuriorum obliviſci, triſtitiasque reſpuere, dolores quoque, ac detrimenta, tanquam quotidie moriturum, ut refert CASSIANUS.

Cotel. mon. gr. T. I. p. 609.

Inſt. L. V. c. 41.

Apud Tabennenſe ordinatiſſimum S. PACHOMII monaſterium in inſula Canopo, quæ hinc *inſula metanœæ* ſeu *pœnitentiæ* fuit dicta, in maxime frequenti jejuniorum exercitio, neceſſitas nulla injuncta fuit, regula hac ab angelo S. PACHOMIO dictata, ut refertur apud PALLADIUM: *Concede unicuique, ut comedat, & bibat; & pro viribus comedentium eis quoque manda opera, quæ proportione conveniant, ac reſpondeant, & neque jejunare prohibe, nec comedere.*

Hiſt. Lauſiac. c. 38.

S. AU-

S. AUGUSTINUS univerſim hanc indulgentiam, ne ultra vires aliquis auſteritatibus gravetur, agnoſcit, De moribus eccleſiæ catholicæ: *Nemo urgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt; nulli, quod recuſat, imponitur a cæteris, quod in eis ſe imitandis fatetur invalidum: meminerunt enim, quantopere ſcripturis omnibus commendata ſit caritas.* Et CASSIANUS: *Tantum debet unusquisque ſibi frugalitatis indicere, quantum corporeæ oblectationis pugna depoſcit. Utilis quidem, & omnimoda obſervanda eſt canonica jejuniorum cuſtodia, ſed niſi hanc frugi temperanter fuerit ciborum refectio ſubſequuta, ad integritatis calcem non poterit pervenire. Longorum namque jejuniorum inedia, ſaturitate corporis ſubſequente, laſſitudinem potius temporalem, quam puritatem caſtitatis acquirit.* Idem non ſemel S. HIERONYMUS pronunciat. Ipſe S. ARSENIUS dilectiſſimo ſuo diſcipulo, quem ad omnem perfectionem formabat, cum aliquando ad veſperam uſque in labore perſeveraſſet, hanc legem tulit: *Citius ſolve jejunium, quo & officium tuum recites, & aquam tuam ſumas; ſin minus, brevi corpus tuum in infirmitatem incurret.*

De mor. eccl. cath. c. 33.

Inſtit. L. V. c. 9.

Ep. 4. ad Ruſtic. 7.

ad Lætam.

Cotel. mon. gr. T. I. p. 359.

Idem de aliis extraordinariis auſteritatibus cuſtoditum fuit in communitate: & licet frugalitas in jejuniis, in vigiliis ordinata diſtributio, in omnibus denique pietatis, ac obſervantiæ religioſæ operibus jugis fuerit exercitatio, moderata tamen fuit. Ulterior auſteritas libertati, ac devotioni propriæ fuit relicta: quæ non erat uniusmodi in eadem communitate, eouſque ſæpe producta, ut in vigiliis perpetui, ac παννύχιοι in jejuniis per dies etiam plures ad uſque hebdomadas & menſes perſevera-

verarent. At hæc omnia charitati poſtponebant, hoſpitum gratia jejunia ſolventes. Tardius etiam graviora pœnitentiæ, ac auſteritatum exercitia pœnæ loco ſunt impoſita, cujusmodi in regula S. COLUMBANI habentur; nihilque ſuavius fuit, quam charitate plena correctio: unde eam, qua maxime dilaudatur regula S. BENEDICTI, conſtat eſſe diſcretionem atque fugam ſingularitatis omnis. Quod documento MOTIUS abbas dedit fratri cuidam, quomodo ſe gerere debeat in communitate, interroganti: *Si in quopiam loco habitaveris, noli tibi nomen in quoquam conciliare, dicendo, Non accedo ad collectam; vel in agape non comedo. Hæc enim vanum nomen efficiunt, poſteaque incides in turbamentum. Nam homines, ubi iſta reperiunt, ibi currunt.* Et fratri inſiſtenti: *Quid ergo faciam! Tum ſenex, ubicunque, inquit, reſederis, æquo pede cum omnibus incede: & quidquid videris fieri a viris, de quorum pietate certus es, id facito: tuncque requiem conſequeris. Hoc quippe humilitas eſt, te cum iis æquari. Et homines intuiti te cæterorum limites non tranſgredi, inſtar habent aliorum, nullusque interturbat ſe.*

Cotel. mon. gr. T. I. p. 567.

§. CXXIV.

A terrenis curis abſtracti.

Nihil magis huc confert, quam a ſæculo, ſæcularibusque curis eſſe abſtractum a prima ætate: quæ nemini claudenda eſt via, nec ſemel ſuſceptam deſerere licet, ac referre pedem.

Ad hoc ut expediti ſint, qui DEO ſe dicarunt, non ſolum propriis legibus conſtringun-

guntur, ſed etiam immunitatibus, & privilegio fori gaudent, ut exemti a rebus ſæcularibus ſtatui ſuo convenientibus muneribus vacent. Jus tam canonicum, quam civile refertum eſt ejusmodi legibus, & privilegiis, piis principibus huc curam impendentibus, & libenter patrocinantibus.

Neque turbari ſe ſinebant, ſi contra aliquid juſſum fuerat, uti ſub impio VALENTE contigit, a quo militiæ nomen dare monachi conſtringebantur. Eccleſiæ præſules, ſi quid ſæculi poteſtates contra moliti ſunt, ſtrenue ſe oppoſuerunt: veluti dum MAURITIUS publicis officiis detentos, ac milites ab amplectenda ſacra hac militia cohibere lege voluit, cui ſe ſtrenue S. GREGORIUS M. oppoſuit. Cavit tamen, ut in hujusmodi hominibus ſæculo diu conſtrictis major cautio adhiberetur, & probatio ante ſuſceptionem. *Oroſ. L. VII. c. 33.* *L. III. ep. 65. &c.* *L. VIII. ep. 5.*

Semperque illud JEREMIÆ præ oculis fuit habitum: *Bonum eſt viro, ſi portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Hinc a prima inſtitutione cœtuum religioſorum ipſis etiam infantibus in ſacro conventu locus eſt conceſſus: ut mos obtinuit in S. PACHOMII monaſterio, qui magis idoneos ratus eſt, ſi a prima ætate enutriti eſſent in pietate. Fuitque S. THEODORUS cum S. ORSIESO, ſucceſſore S. PACHOMII, vix tredecim, aut quatuordecim annorum, dum Tabennas conceſſit factus monachus. S. BASILIUS pariter infantes recipi per parentes indulſit, ſed non ſine teſtibus. Indigne tamen fert, ſi parentes id commodi alicujus gratia in vita faciant: *Profeſſiones autem*, inquit, *ab eo tempore admittimus, quo ætas rationis complementum habuerit. Neque enim pueri-* *Thren. III. 27.* *Boll. ad 14. Maji. app. p. 32. 33.* *Reg. maj. 15.* *Ep. can. II. can. 19.*

pueriles voces omnino ratas in ejusmodi rebus habere convenit: ſed quæ ſupra ſexdecim vel ſeptendecim annos nata ratiocinationum ſuarum arbitra diu examinata, ac probata deinceps perſeveraverit, &, ut admittatur, conſtanter rogaverit, tum demum inter virgines referenda, ejusque rata habenda profeſſio, ac illius violatio inexorabiliter puniendа. De pueris eadem eſt ratio, quibus ſtatuto eccleſiæ, eo, quem requirit S. BASILIUS, ætatis decimo ſexto anno licet emittere profeſſionem, puellis autem biennio citius, uti in aliis hujusmodi caſibus. Contigit non raro, infantes a parentibus DEO devoveri, etiam antequam naſcerentur, ut de ſe refert S. GREGORIUS NAZ. & THEODORETUS in hiſtoria ſolitariorum.

Orat. 19. funeb. in par.

S. BENEDICTUS quoad infantes conformiter S. BASILIO ordinat in ſua regula, etiam de illis, qui inſtituendi cauſa ad monaſteria mittebantur: quem morem S. CHRYSOSTOMUS laudat, & eam commemorationem diuturnam ad multos annos eſſe optat.

Adv. oppug. vitæ monaſt. L. III. n. 17.

Erat tunc, eorum etiam, qui vitam monaſticam profitebantur, non tam ſtricta loci ſaltem, ut hodie, ſtabilitas, quamvis ut ex ſuperiore canone S. BASILII diſcimus, piaculum fuerit inexorabiliter plectendum, ſi quis propoſitum deſeruiſſet. In actis S. PACHOMII diſcimus, quemdam impatientem durioris objurgationis diſceſſum paraſſe, & non niſi comiter fuiſſe retentum, non coactum ut maneret. Expellere etiam detracto habitu moris erat, ut ex iisdem actis, ac regula S. BENEDICTI diſcimus.

Apud Boll. ad 14. Maji. app. p. 36.

p. 52.

Sed potiſſimum hodie cuſtodia perverſi coercentur, qui forte abire vellent, etiamſi vi aut metu

metu dicat se ingressum quispiam, vel ante legitimam ætatem professum, *aut quid simile*, ut habent verba concilii Tridentini, *velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu sine licentia superiorum discedere: non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis: & tunc non aliter, nisi causas, quas prætendit, deduxerit coram superiore, & ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus audiatur, nec ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur.* Dantur quidem tam funesta exempla, quod minime mirandum esse, dudum dixit abbas THEODORUS. *Hac de re*, inquit, *miraris? Admirari noli; sed mirare magis, cum audieris, potuisse quemquam effugere ex ore inimici.* Concilium Parisiense gravissimam contra ejusmodi apostatam tulit sententiam, ut, si monitus non redierit, a communione separatus maneat usque ad articulum mortis. Jus novum canonicum varias transgressoribus pœnas constituit.

Sess. XXV. c. 19.

Cotel. mon. gr. T. I. p. 453. An. 615. can. 12.

Saluberrime etiam in monasteriis monialium clausura perpetua constituitur, ut non solum egressus cum voluntate emanendi, & ad sæculum redeundi piaculum sit. In concilio Tridentino decernitur, atque etiam jubetur sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, ut clausuræ sanctimonialium curam gerant episcopi. Antiquitas jam olim in hac re maxime cavendum duxit etiam, ne ulli accessus ad monasteria monialium pateat, uti prima pro monialibus regula S. CÆSARII statuit: item regula S. AURELIANI &c. Nec in ecclesias monasteriorum

Sess. XXV. c. 5.

n. 33. &c.

etiam

etiam virorum olim fœminis patuit ingreſſus, pariter nec viris in eccleſias monialium, ut ex S. GREGORIO Turonenſi diſcimus. Qui refert, in monaſterio Pictavienſi S. RADEGUNDIS clauſuram tam exactam fuiſſe, ut nec ad ſepulturam viri admitterentur, ſed cadaver foras mitteretur, ut in eccleſia cathedrali ſepulturæ traderetur.

Vit. Pat. c. 1. n. 6.

§. CXXV.

Victus & veſtitus.

Habitus, ſeu veſtitus, ac victus vilis ad modeſtiam, & temperantiam ordinatus, pro temporum, & locorum tamen circumſtantiis, etiam ad voluntarium multorum rigorem, & auſteritates ſingulares, varius fuit, apud perſonas DEO dicatas, monachos præſertim.

Veſtitus tam clericorum, quam monachorum nihil admodum ſingulare primum habuit. Sed potius, quæ ab initio communia apud omnes fuerunt veſtimenta, paulatim apud ſæculares immutata, apud regulares manſerunt. Tabennenſium monachorum veſtitus, qui ſingularem ab aliis veſtem habuerunt, myſticas rationes epiſtola ad ANATOLIUM, expoſuit CASSIANUS integro libro, agitque de cingulis, cucullis, collobiis, redimiculis, palliolis, & mafortibus, melotibus, & pellibus caprinis, caligis caprinis. De noſtris terris autem loquens dicit: *Neque caligis nos, neque collobiis, ſeu una tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas, & parviſſimi cu-*

L. I. de habitu monach.

culli

culli velamen, vel melotis geſtio deriſum potius, quam ædificationem ullam videntibus comparabit. Hoc S. BENEDICTUS in regula ſua attendit, atque de veſtitu non minus, quam victu, timide aliquid præſcribit, ob regionum diverſitatem, id accipiendum monens, quod vilius comparari poteſt, atque ſuperfluitatem in omnibus fugiendam; nihilominus ad temporum, locorum, & perſonarum circumſtantias attendi vult. S. BASILIUS in omnibus modeſtiam, & frugalitatem commendat juxta apoſtolum: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: Propterea*, inquit, *quod copia ultra neceſſitatem perducta avaritiæ imaginem exhibet.* Epiſtola ſecunda poſtquam late de hac re diſſeruiſſet, ſic colligit: *Et ut ſemel omnia uno verbo complectar, ut in veſte neceſſarium præcipue ſectandum: ita in cibo panis explebit neceſſitatem: aqua ſedabit ſitim recte valenti, quibus accedent, quæcunque ex leguminibus pulmenta corpori vires ad neceſſarios uſus conſervare valent.* Ipſe ſe carnis nonnihil addidiſſe ordinarie teſtatur in conſtitutionibus monaſticis, ubi etiam de victu anachoretarum tenui loquitur. Ep. 22.

Habentur hic maxime exempla auſteritatis, ſed non ad communes leges redacta. S. PALEMON, dum ei etiam in paſchate proponeretur oleum, a lacrymis ſibi temperare non potuit, dicens: *Magiſter meus crucifixus eſt, & ego oleum comedam?* In Quadrageſima præſertim quisque abſtinentiæ ſtudebat. S. MACARIUS, eo tempore ignotus, ad S. PACHOMIUM veniens, *vidit*, inquit PALLADIUS, *unumquemque ſuſcepiſſe diverſas vivendi rationes: alium quidem comedere veſpere,* Ap. Boll. ad 14. Maji. app. p. 26. Hiſt. Lauſiac. c. 32.

ſpere, alium poſt duos dies, alium poſt quinque, alium ſtare per totam noctem, interdiu vero ſedere ad opus. Ipſe autem cum aliquot palmæ ramos ſibi malefeciſſet, ſtetit in uno angulo, & donec quadraginta dies impleti eſſent, & adveniſſet paſcha, non ſumſit panem, non aquam, non genuflexit, non ſedit, non accubuit, nihil aliud guſtavit præter pauca cruda crambes folia, quæ ſumebat die dominico, ut videretur comedere &c. Indignati ſunt monachi ceu hominem ſine carne, ad ſui condemnationem: PACHOMIUS autem gratias ei egit: *Quod*, ajebat, *filios meos ſubegeris, ne ſe jactent, & magnifice circumſpiciant propter ſuam exercitationem.* CASSIANUS de ſe, & ſocio GERMANO apud SERENUM abbatem in monaſterio Scete in Quadrageſima die dominica cœnantibus recenſet ſatis lautum pro eo tempore convivium. Erat nimirum hæc hoſpitalitatis lex, etiam præter conſuetudinem bis aut ter comedere: quando id alias ſemel tantum in die ordinarie facerent, aut etiam duos dies abſtinerent. Narrat THEODORETUS de S. SIMEONE quodam, qui poſt jejunium ſeptem dierum ordinarie die dominica tantum comederit: quod vituperantes reliqui, ac ſuperiores etiam morem carpentes, nihilominus fervorem cohibere non potuerint. Ad tantam abſtinentiam etiam MELANIA junior, ut eſt apud SURIUM, ſucceſſu temporis devenit, ordinarie autem ſemel duobus diebus tantum comedit. S. GENOFEVA bis ſaltem in hebdomada cibum capiebat, dominica die, & feria quinta. Sed hæc, & ſimilia extraordinaria ſunt; adhuc autem multo magis, quod refert THEODORETUS de SS. MARANA, CYRA, & DOMNINA in vita ſolitaria-

Collat. VIII.

Vit Solitar. c. 26.

Ad 31. Dec. §. 16. &c.

Apud Roſw. P. 457.

litariarum, eas duas Quadrageſimas ſine cibo tranſegiſſe, ſemel autem tres hebdomadas.

In communitate, ut jam diximus, leges ſunt ſtatuendæ, ad quas omnes teneantur, diſtinctione tamen inter ſanos, & infirmos habita, quam facit S. BENEDICTUS in ſua regula. Sed hodiernam uſque in diem gravis eſt controverſia de libra panis, & hemina vini, quam ſuis per ſingulos dies indulſit, quamvis dicat legi, vinum monachorum non eſſe. Quod quidem dictum abbatis POEMENIS eſt, ſed vel inde colligi poteſt, quod etiam dicit S. BENEDICTUS, paucorum eſſe eam virtutem. Ita vero habetur in apophtegmatibus patrum: *Narraverunt quidam abbati POEMENI de aliquo monacho, quod vinum non biberet. Et dixit: Vinum omnino ad monachos non pertinet.* S. BENEDICTUS ſcripſit regulam, atteſtante S. GREGORIO, diſcretione præcipuam, & omnia in abbatis reliquit arbitrio, & pro indigentiæ ratione ſingulorum. *Apud Cotel. mon. gr. T. I. p. 596.*

Unde etiam apud nos Germanos carnium eſus eſt indultus, alias prohibitus ſanis, ſaltem quadrupedium. De volatilibus enim diſputant. P. MARQUARDUS HERRGOTT, præter alia argumenta, hinc deducit hanc licentiam: quia S. BENEDICTUS juxta regulam S. BASILII, id, quod vilius haberi poteſt, ſicut in veſtitu, ita etiam in victu haud dubie voluerit indulgere, montem autem Caſſinum per totum fere annum tanta volucrum copia abundare, ut nihil vilius ibi ſit. Adducit etiam miracula quædam, & auctoritatem antiquorum, præſertim concilii Aquisgranenſis, quibus alia addere licet. Etiam aliis in regulis S. CÆSARII, & AURELIANI *Vet. diſc. mon. præf. §. 2.*

commeſtio volatilium conceditur, neutiquam autem aliarum carnium: quodque in conſtitutionibus S. EUGENDI nominatim etiam carnes volatilium excipiantur, firmat regulam. ISIDORUS autem Hiſpalenſis ſaltem in præcipuis feſtis volatilia monachis indulget. S. SIMPERTUS in ſuis ſtatutis expreſſe dicit, hanc facultatem dari in S. BENEDICTI regula. RHABANUS MAURUS putat, veteres indulſiſſe eſum volatilium præ quadrupedibus, quod ſicut piſces ex aqua prodierint primitus. Ante hos omnes autem jam S. EPIPHANIUS notavit, fuiſſe tunc inter monachos diverſitatem: *Et quidam ſane*, inquit, *abſtinent ab omnibus his, aliqui vero a quadrupedibus ſolum, volatilibus autem, & aliis veſcuntur. Alii vero a volucribus abſtinent, utuntur autem ovis, & piſcibus &c.* S. PRUDENTIUS de ſe ipſo fatetur, ſe etiam aves, non tamen carnes quadrupedium comediſſe. JULIANUS POMERANUS eos vituperat qui a quadrupedibus abſtinentes delicias avium, & piſcium ſectantur.

Ap. Boll. ad 21. Mart. p. 263.

Reg. mon. c. 9.

L. II. c. 27. Inſtit. cler.

De hæreſ. Lib. III. circa fin.

In cathemer. L. II. c. 23. de vita contempl.

§. CXXVI.

Labor manuum.

Cum nulla pars vitæ vacare debeat officio, atque otioſitas inimica ſit animæ, nullo miniſterio ſacro præſertim addicti, certatim manuum laborem obibant.

S. ANTONIUS in ſecretiorem ſeſe recondens receſſum, ne quo homine egeret, ipſe parum, quo indigebat ad panem, frumenti ſeminabat, parabatque. Abbas POEMEN dicebat de abbate PAMBO: *Tres corporeas actio-*

Cotel. mon. gr. T. I. p. 628.

actiones deprehendimus in abbate PAMBO; jejunium quotidianum uſque ad veſperam, ſilentium, & magnam manuum operationem, ut habetur in apophtegmatibus patrum. Ibidem refertur, interrogaſſe aliquem e patribus abbatem JOANNEM curtum, *quid eſſet monachus?* Cui ille, *eſt*, inquit, *labor. Quia monachus in omni opere laborat. Ita eſt monachus.* p. 481.

De S. THEODOSIO, in Cilicia patre multorum DEI ſeſe ſervitio penitus dicantium THEODORETUS refert, quam ſuis laborem commendarit: „ Memor enim, „ inquit, „ vocis apoſtolicæ, quæ dicit: *Nocte diuque operantes, ne eſſemus oneri* „ *alicui veſtrum.* Et, *Manus meæ hæ mihi, & iis, qui erant mecum, ſuppeditarunt.* Et ipſe laborabat, & hortabatur „ ſuos contubernales, ut cum animæ laboribus corporis quoque labores conjungerent. „ Eſt enim abſurdum, ut ii quidem, qui aluntur in vita ſæculari, ſe affligentes, & laborantes alant filios, & uxores, & præterea „ tributa conferant, & ab eis exigantur vectigalia, & DEO offerant primitias, & mendicorum pro viribus medeantur inopiæ: nos „ autem non quæramus ex laboribus ea, quæ „ ſunt neceſſaria. „ *Hiſt. ſolit. c. 10.*

Narrat RUFINUS in vitis patrum de quodam peregrino fratre, „ qui venit ad abbatem SILVANUM in monte Sina, „ & vidit quod fratres operarentur, & dicit „ eis: Quare operamini eſcam, quæ perit? „ *MARIA enim bonam partem elegit.* Tunc „ ſenex dicit diſcipulo ſuo ZACHARIÆ: „ Da illi codicem, ut legat, & mitte illum „ in cellulam, quæ nihil habet. Hora autem „ nona circumſpiciebat frater ille viam, ſi forte vocaret eum ſenex ad comedendum. „ *Apud Roſw. p. 509.*

„ Poſtquam vero tranſiit hora nona, venit ad „ ſenem, dicens ei: Numquid hodie non come- „ derunt fratres, abba? Cumque ſenex fatere- „ tur, ait ille: Quare me non vocaſti? Tunc di- „ xit ei abbas SILVANUS: Tu homo ſpiritua- „ lis es, & non habes neceſſe hanc eſcam: „ nos autem tanquam carnales opus habemus „ comedere, ideo operamur, tu autem bo- „ nam partem elegiſti. Legis enim omni die, „ & non vis carnalem eſcam accipere. Quod „ cum audiſſet, cœpit pœnitere, ac dicere: „ Indulge mihi abba. Tunc reſpondit illi SIL- „ VANUS: Ergo neceſſaria eſt MARTHA „ MARIÆ, propter MARTHAM enim „ & MARIA laudatur. „ Mox ſubditur ſimilis hiſtoria de abbate quodam JOANNE pariter correcto, cupiente eſſe ut angeli non laborantes, ſed DEUM ſemper tantummodo collaudantes.

Fuit hic error Meſſalianorum. S. AUGUSTINUS rogatu AURELII Carthaginenſis tali occaſione ſcripſit librum *de opere monachorum*: *Quod*, inquit, *cum apud Carthaginem monaſteria eſſe cœpiſſent, alii ſe ſuis manibus tranſigebant, obtemperantes apoſtolo: alii vero ita ex oblationibus religioſorum vivere volebant, ut nihil operantes, unde neceſſaria vel haberent, vel ſupplerent, ſe potius implere præceptum evangelicum exiſtimarent, atque jactarent, ubi Dominus ait: Reſpicite volatilia cœli, & lilia agri, unde etiam inter laicos inferioris propoſiti, ſed tamen ſtudio ferventes, exiſtere cœperant tumultuoſa certamina, quibus eccleſia turbaretur, aliis hoc, aliis aliud defendentibus.* Ex ipſo opere patet, de hujusmodi laicis inferioris propoſiti rem fuiſſe, qui a vita laborioſa

L. II. Retract. c. 21.

De op. monach. c. 14.

rioſa venientes, in religione, nullo miniſterio ſacro occupati, otium quærebant: quod omnibus modis cavebant monachi. Diſcimus ex CASSIANO, abbatem PAULUM cum ex opere manuum victum quærere non poſſent ſui, tamen non voluiſſe a labore exemtos ſed ſingulis annis collectos labores cremavit: *Quia*, inquit CASSIANUS, *cum eum operari nulla neceſſitas victus exigeret, tam indeſinenter tamen laboravit pro ſola cordis purgatione, & cogitationum ſuarum ſolidatione, ac perſeverantia cellæ, aut pro victoria, aut expugnatione acediæ.* Abbas ACHILLAS hanc inſtructionem dedit rogantibus: *Ego a veſpertino tempore ad hoc texui 20. ulnas, non tamen iis indigeo, ſed ne forte indignetur DEUS, accuſetque me dicens: Cur, cum poſſes operari, non es operatus: ideo laboro, faciens quantum valeo.*

Inſtit. L. X. c. 24.

Cotel. T. I. p. 389.

§. CXXVII.

Lectio, ac ſtudium ſacrum inter præcipuas ſemper fuit monachorum occupationes, in propriam, & aliorum utilitatem; atque ſtudia litterarum recte labori manuum ſubſtituuntur apud eos, qui ſacris ſunt initiati.

Studia.

S. EPIPHANIUS ad finem præſtantiſſimi de hæreſibus operis faciem quandam eccleſiæ ob oculos ponens, & inter hæc varia recenſens inſtituta ſtatuum DEO dicatorum: *Et quidam*, inquit, *vitæ renunciarunt, artesque tenues, & nullius negotii ſibi ipſis ex-*

L. III. Co ult.

cogitarunt, ut ne otioſam vitam degant, neque panem gravatum comedant. Plerique vero in pſalmodiis, & aſſiduis orationibus; lectionibusque ſacrarum ſcripturarum, & ſeceſſibus exercentur. Et quidem, ut ex S. HIERONYMO diſcimus, *dominicis diebus orationi tantum, & cantionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opuſculis faciunt.* Quotidie aliquid de ſcripturis diſcitur. In vita S. HILARIONIS idem refert, *ſcripturas ſanctas memoriter tenens, poſt orationes, & pſalmos, quaſi DEO præſente recitabat.* PALLADIUS plures ejusmodi commemorat. Imo quodam loco diverſa genera laboris manuum recenſens, *memoriter autem*, dicit, *omnes expromunt ſcripturas.* Inter ipſum manuum laborem hac ſacra detinebantur occupatione ad ſe, aliosque ædificandos, inſtruendosque.

Ep. 22. ad Euſtoch. *c. 7.* *Hiſt. Lauſiac. c.* 12. 32. 83. 96. *Ib. c.* 39.

Cui muneri deeſſe haud poterant ſaltem ſuperiores. S. ATHANASIUS quidem dubium nonnullis fecit, an S. ANTONIUS legendi peritus fuerit, dum dicit, noluiſſe eum μαθεῖν γράμματα. Idem de eo perſuaſus licet fuerit S. AUGUSTINUS, teſtatur tamen, ſcripturas ſacras memoriter tenuiſſe: habenturque non pauca illius ſcripta paſſim edita, ex quibus quædam ſaltem genuina ſunt. S. PACHOMII familia Græca ad inſtructionem ſacram deſtinata erat, memoraturque imprimis de AMMONIO, eum cito inſtruendum illi familiæ traditum eſſe, utpote brevi ad munia ſacra admovendum. Aliis autem præpoſitis id incumbebat ex S. PACHOMII inſtitutione, ut concreditos inſtruerent in ſcripturis. Ipſeque hoc munere gnaviter perfungebatur, explicando difficilli-

Boll. ad 14. Maji. p. 64. *Ib. p.* 29. *Ib. p.* 34.

mos

mos ſcripturæ locos, ac profundiſſima fidei myſteria. Ipſius etiam extant opera, quemadmodum & ORSIESI, THEODORI, ac AMMONII diſcipulorum: cujus præcipue peritia, ac eruditio ſacra ab antiquis omnibus collaudatur. De S. MARCIANO ſolitario dicit THEODORETUS: *Jucundiſſimum hunc laborem amplectebatur, & orationem quidem pſalmodia, pſalmodiam autem oratio excipiebat, & utraque rurſus divinorum eloquiorum lectio.* *Vit. ſolitar. c. 3.*

Ex vitis patrum diſcimus, antiquiſſimum laborem monachorum fuiſſe libros transſcribere, ut ita ſibi, & aliis prodeſſent. Nec aliter puto SERAPIONEM indigne tuliſſe monachi feneſtram libris oppletam, niſi quod ſine hoc fructu, ad tempus tantum terendum fuerint. Quare, qui in ſolitudine degebant, jungendun laborem manuum ſapientiſſime duxerunt. *Vit. PP.* *Ib. L. V. c. 6.*

Memorabile eſt, quod S. AMMONIUS de ſeipſo dicit fratri cuidam: *Crede mihi, frater, quia, donante DEI gratia, ſcripturas ſanctas memoriæ commendavi: nam & vetus, & novum teſtamentum ab ineunte ætate ad plenum didici, nec non etiam & ſanctorum antiquorum patrum orthodoxorum ſacerdotum Domini ſexcentas myriadas expoſitionum in lege divina conſcriptas perlegi (ſicut teſtabantur ei de hoc pœne omnes in eremo patres.)* *Apud Roſw. app. p. 981. a.*

Erat autem inſtitutus in eremo, ut diximus ſicut & alii, qui ſacra eruditione eccleſiam illuſtrarunt, plerique non minimam partem ita traduxerunt, SS. GREGORIUS NAZ. BASILIUS, CHRYSOSTOMUS, imprimis S. HIERONYMUS doctor

ctor maximus, & ex ſanctis patribus eruditione præſtantiſſimus. Is quidem agnoſcens, ſolitarios occupari labore manuum, ſe autem ad aliud a DEO vocatum credens, ſilentium ſolitudinis tranſigebat legendo, ſcribendo, ac alios inſtruendo: etiam pias fœminas, quæ ſub ejus magiſterio ita profecerant, ut Hebraica lingua pſalmos canerent. S. AUGUSTINUS, inſtitutor vitæ monaſticæ in Africa, ob eadem ſacra ſtudia, miniſteriumque ſacrum loco manuum laboris ſcripto relinquendo tot ingentia volumina, toto orbe celebratiſſimus evaſit.

Ep. 114.

Tantummodo profana ſtudia, ſi eis unice inhæreretur, ſtatui iſti non viſa ſunt accommodata, ut de S. HIERONYMO alibi jam commemoravi. GERMANUS ſocius CASSIANI fatetur, ſe hinc in tentationes, & diſtractiones incidiſſe: „Quod„ inquit „impedimentum oritur mihi per notitiam litterarum, quam videor aliqualiter attigiſſe. „In qua maceravit me inſtantia pædagogi, atque continuum ſtudium lectionis, ita ut „mens mea poeticis carminibus illis infecta „meditetur, nunc etiam tempore orationis „illas fabularum nugas, hiſtoriasque bellorum „quibus imbuta eſt a primis rudimentis, ac „ſtudiis, impudens quoque memoria poematum ingeratur, aut quaſi pugnantium principum imago ante oculos meos verſetur. „Dum pſallo, aut pro peccatorum indulgentia oro, taliumque phantaſmatum ſpecies me „ſemper illudens non patitur mentem meam „aſpirare ad ſupernos intuitus, in tantum, „ut extingui non valeat fletibus quotidianis.„ Hæc incommoda, & tentationes non ex ſtudiis monaſticis, ſed juvenilibus proveniebant,

Coll. XIV. c. 12.

bant, quæ incommoda a prima inſtitutione melius tolluntur noſtris temporibus, quando prima etiam ſtudiorum efformatio ab iis dependet plerumque, qui DEO ſunt dicati.

Apud homines autem ſacrum inſtitutum amplexos ſancta ſuſcipiuntur ſtudia, quæ potius ad tentationes diabolicas profligandas, quam inferendas faciunt, ſi oratio non negligatur, & virtutum chriſtianarum, humilitatis præſertim ἄσκησις, nec libri pro idolo habeantur. *Vid. S. Nil. L. II. ep. 10. & L. IV. ep. 60.*

At neceſſitas etiam apud illos, qui ſacris ſunt addicti, pro hodierna præſertim eccleſiæ diſciplina, & decor flagitat, ut his ſacris potius, & liberalibus occuperitur ſtudiis, quam opere manuum ſervili, quo olim monachi laici, ſicut & hodie occupantur, non autem ſacerdotes. Pro quibus nuſpiam præſcriptus manuum ejuscemodi labor in regulis, ac inſtitutis monaſticis legitur; frequenter autem in ſacris canonibus prohibita leguntur commercia, & occupationes ſerviles.

Quare nihil ex regula S. BENEDICTI, ubi manuum labor præſcribitur, proficitur: quæ fuit inter BUTTILIERIUM & MABILLONIUM controverſia de ſtudio litterarum labori manuum ſubſtituto ab eo tempore, quo communiter religioſi ad ſacerdotium adoptantur. Cum antea ſemper, etiam quo tempore S. BENEDICTUS inſtitutum monaſticum in occidente reſtituit, eadem ſtudia obtinuerint, ut vel ex CASSIODORI inſtitutionibus ſacris patet, qui ſuos ad omnem ſcientiam formarat, bibliothecam inſtruxerat, atque ut deſcriptione librorum ipſi adaptarent providit. Unde ad nos uſque ſummum emolumentum devenit omnis generis libris poſteritati relictis, utroque ſexu deſcriben-

bendis libris occupato illis temporibus, quibus pœne litteræ, ac ſtudia conciderant. Sicubi autem ſtudia florerent, indultum fuit monachis earum cauſa extera etiam loca frequentare, academias publicas, a quo tempore efloreſcere cœperunt. In CANISII lectionario habetur inſtructio inſignis BERNARDI abbatis S. GALLI data cuipiam ſuorum monachorum, ſtudiorum cauſa in academiam miſſo.

§. CXXVIII.

Cura animarum & clericatus.

Etiam monaſticum ſectantes inſtitutum pro occaſione, & facultate, præſertim ad miniſterium ſacrum vocati, & in vineam Domini conducti, DEO & proximo in eccleſia ſervire obſtringuntur.

Nemo ſibi perſuadeat, quocunque nomine, ac inſtituto DEO ſeſe quis conſecravit, aliena a ſuo munere uſurpare, ſi pro data occaſione, & facultate zelum ſuum pro gloria DEI, & ſalute aliorum etiam oſtendat. Dudum eccleſia eos etiam, qui monaſticum ſectantur inſtitutum, in partem miniſterii ſacri aſſumſit.

Nunquam defuerunt in numeroſis ſaltem monaſteriis clerici presbyteri, & diaconi, qui vel apud monachos ipſos ſacra obibant munia, vel illis ſeſe aſſociabant, vel ex ipſa inſtitutione ſua clericale monaſtico copulabant munus. *Nemo*, inquit VALESIUS, *ut novum mirari debet, quod monachi in eccleſia clericorum munus obiiſſe dicuntur. Id enim eo tempore* (nimirum jam ſæculo IV.) *uſita-*

Not. in Sozom. L. VIII. c. 17.

uſitatum fuit, ut ex AMBROSIO diſcimus in laudatione EUSEBII Vercellenſis epiſcopi, & ex POSSIDIO in vita beati AUGUSTINI, ubi dicit, eum monachos intra eccleſiam inſtituiſſe. Confirmat hoc etiam SOZOMENUS de eccleſia ad QUERCUM in ſuburbano Chalcedonis: *Quod nunc*, inquit, *ex RUFINI viri conſularis nomine appellatur, in quo palatium eſt, & eccleſia maxima, quam RUFINUS ipſe in honorem apoſtolorum PETRI ac PAULI conſtruxerat, & apoſtolorum ob id cognominarat. Monachos quoque juxta eam collocavit, qui clericorum in ea eccleſia munus explerent.* L. VIII. c. 17.

Alias, qui ſacris initiati non erant monachi, etiam eremitæ, ſi quæ occaſio, ac neceſſitas eccleſiæ id poſtulavit, non defuerunt illius cauſam agendo. Sic teſte S. HIERONYMO, Beatus ANTONIUS, a S. ATHANASIO propter confutationem hæreticorum in urbem Alexandriam accitus, fidei catholicæ tutelam in ſe ſuſcepit. Imperator VALENS infenſus, ſi quis alius, monachis, cum S. APHRAATEM, in cauſa eccleſiæ ejusmodi cellam deſerentem, offendiſſet, redarguit: „ Domi potius, ajebat „ ut narrat THEODORETUS „manere debueras, & ſecundum legem monaſticam intus precari. Cui „ APHRAATES: Recte admodum dicis, „ imperator, id ego facere debueram, idque „ hactenus facere non deſtiti, quamdiu oves „ ſervatoris noſtri pace fruebantur. Nunc vero „ cum in maximam perturbationem inciderint, „ & periculum grave immineat, ne a feris diripiantur, omnis via tentanda eſt, & pecus „ conſervandum. Dic enim, quæſo imperator, „ ſi

Ep. 33. ad Caſtruc.

L. IV. c. 26.

„ ſi puella eſſem intus in thalamo ſedens, &
„ curam ædium gerens, ignemque ædibus im-
„ miſſum, & paternam domum conflagran-
„ tem viderem, quid me tunc agere oporte-
„ ret ? Utrum intus ſedere, & domum con-
„ flagrantem negligere, & exſpectare, dum
„ flamma in me irrueret ? An potius relicto
„ thalamo hac & illac diſcurrere, aquam affer-
„ re, ignem extinguere ? Non dubito, quin
„ hoc poſtremum dicturus ſis: id enim pru-
„ dentis, ac ſolertis puellæ eſt. Hoc ipſum
„ eſt, imperator, quod nunc ago. Nam cum
„ in patris noſtri domum ignem injeceris, cir-
„ cumcurſamus nos, eum reſtinguere co-
„ nantes.

Roſw. de vit. PP. p. 122. S. PACHOMIUS præter eccleſiam ſui monaſterii, quam malebat miniſtrari ſuis ſacerdotibus, quam aliis, alteram ad inſtinctum epiſcopi pro paſtoribus in vicinia conſtruxit, quo cum aliis monachis ire ſolebat, obiens ipſe munus lectoris maximo fructu non fidelium tantum, ſed etiam infidelium, quorum plures converſi baptiſmum ſuſceperunt. S. JACOBUS Niſibenſis, antequam epiſcopus renuntiaretur, Perſiam peragravit eremita ad confirmandos chriſtianos, roborandosque in fide, unde & ſtigmata ſacræ confeſſionis retulit. SS. AMMONIUS & ISIDORUS (quorum prior, ut epiſcopatum fugeret, fruſtra ſibi aurem dextram præciderat) S. ATHANASIUM Romam comitati ſunt, ut ex SOCRATE diſcimus. Fuerat autem AMMONIUS prius Alexandria ad monaſterium Tabennenſe miſſus, ut cito ad clericatum formaretur. S. EPHREM miniſterium prædicationis, ac functiones diaconatus cum ſolitudine conjungebat, ut PALLADIUS nos

Boll. ad 14. Maji. app. p. 30.

L. IV. c. 23.

Hiſt. Lauſiac. c. 101.

do-

docet, etiam curam pauperum in se susciens, ac administrationem bonorum. Idem de S. APHTHONIO refert THEODORETUS ad episcopatum assumto, nihil mutato habitu, aut genere vivendi. S. BASILIUS cavet quidem, ne monachi ambiant sacerdotium, tamen libenter eos in clerum assumsit, unde ipse fuerat assumtus, ac enutritus cum fratre PETRO (quem postea episcopum ordinavit) & socio individuo S. GREGORIO NAZ. Qui quidem fatetur, maluisse se solitudini addictum mansisse, nisi vocationi Spiritus S. obsecundandum duxisset.

Vit. solitar. c. 5.
Serm. de renunciat.
Orat. 8.

In vita S. JOANNIS ELEEMOSYNARII multa referuntur de monacho quodam, qui noctu in civitate ad personas incontinentiæ deditas divertens, eas a peccando abstrahebat. Quod est singulare exemplum non nisi a consummatæ virtutis viro suscipiendum: cum etiam male cesserit injectum a dæmone monacho cuidam desiderium procurandæ salutis uxoris, & filii unici, ut RUFINUS narrat, & SULPITIUS SEVERUS. Illustre est exemplum ABRAHAMI a THEODORETO relatum, qui, cum vicinos suæ solitudini idololatras ad fidem convertisset, eorum votis deesse non potuit, quin non solum sacerdos eorum susciperet curam, sed etiam esset præses eorum. S. EPHREM in alio cognomine ABRAHAMO laudat exemplum & possent complura hic recenseri. In nostra plaga celebre est exemplum S. SEVERINI abbatis in Norico, quamvis parum proficeret apud illos vel paganos, vel hæreticos Arianos. SIMEON STYLITES apud utrosque infideles, & hæreticos zelum suum demonstravit in defensionem concilii Chal-

Apud Boll. ad 23. Jan. p. 507.
Ap. Ros. p. 455. &c.
Dial. l. c. 15.
Vit. solitar. c. 17.

Chalcedonenſis. Quid S. DALMATIUS cum ſuis monachis pro concilio Epheſino egerit rogatu patrum, acta illius concilii docent. Cum alias nunquam egrederetur monaſterium, nec etiam ad ſupplicationes publicas hoc imperator ab eo impetrare potuerit.

In occidente, ut jam vidimus, & paſſim retulimus, multo frequentior fuit vitæ activæ cum contemplativa, ſtatusque monachalis cum clericali conſociatio, cum primum id inſtituiſſet in eccleſia Vercellenſi S. EUSEBIUS in Italia, & S. AUGUSTINUS in Africa. Qui alias libenter, & frequenter monachos in ſuum clerum adoptabat, quamvis eos ab ambiendo clericatu dehortaretur, ut videre licet ex epiſtola ad EUDOXIUM, & ſuos monachos; & ad AURELIUM ob duos monachos, qui hoc prætextu ſuum monaſterium deſerentes Carthaginem concedebant. Uſurpabant epiſcopi præſertim in Galliis poteſtatem, quos vellent monachos ad clericatum promovendi, ex quibus plurimi Lirinenſes ad infulas epiſcopales aſſumebantur ſub S. HONORATO, & deinceps. Ambiebant autem epiſcopi non monachi habitum monachalem geſtare, quod COELESTINUS P. interdixit. Fuerunt etiam tunc, qui monachos e ſolitudine ægre ferrent ad ſacrum miniſterium avocari, quod vehementer dolet SIDONIUS APOLLINARIS.

Ep. 48.

Ep. 4. *ad ep. Vien. & Narbon. p.* 1066.

S. BENEDICTUS ſuis præivit exemplum, reliquias idololatriæ extirpando, qui deinceps totum fere occidentem ad CHRISTUM ſuis prædicationibus converterunt, & eccleſiarum non ſolum præſides, ſed etiam clerum integrum conſtituerunt ſæpe epiſcopali cum abbatiali infula ſimul copulata, monaſte-

L. VII. ep. 9.

riis

riis etiam in epiſcopatus erectis, ut in Hiſpania, Anglia, & Germania paſſim. Idque accidit a primæva inſtitutione ejusmodi eccleſiarum a Benedictinis cœpta, qui eccleſias paſſim fundarunt, converſis a ſe populis præficientes, aut ipſi præfecti epiſcopi. Tantum abeſt, ut ab inſtituto ſuo alienum videretur in vinea Domini laborare, ut hic a prima ſua inſtitutione perpetuus eorum fuerit labor. In quo eis ordines religioſi ſucceſſerunt.

§. CXXIX.

Qui eſt ſtatus perfectus.

Status religioſus, ac monaſticus, quo ad perfectionem tenditur, gradus eſt, & præparatio ad clericalem: miniſteriumque ſacrum, ac munus paſtorale, qui eſt ſtatus perfectionis jam adeptæ.

Dicit CHRISTUS: *Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me.* Quibus quidem verbis viam ad perfectionem expeditam oſtendit, acquirendam demum, non jam acquiſitam, qualis ſupponitur in ſtatu clericali, ac paſtorali in charitate perfecta, quæ eſt, ut quis animam ſuam pro DEO, & ovibus exponat, exemplo CHRISTI: *Ego ſum paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* In hoc conſtituit perfectionem charitatis: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Talem in paſtoribus requirit perfectionem charitatis, majorem quam in aliis. Quare PE-

Matt. XIX. 21.

Jo. X. 11.

Jo. XV. 13.

TRUM eccleſiæ ſuæ præfecturus, ter interrogat: *SIMON JOANNIS diligis me plus his?* Et ad PETRI confeſſionem, ei paſcendas oves committit.

Jo. XXI. 15. &c.

Præſupponitur ergo hæc perfectio in paſtore, non ad eam primum tenditur, ut in ſtatu religioſo, ac monaſtico. „ Ad ſtatum epiſcopalem „ inquit S. THOMAS „ præexigitur vitæ perfectio, ut patet per hoc, quod „ Dominus a PETRO quæſivit, ſi plus eum „ cæteris diligeret, antequam ei committeret „ paſtorale officium, ſed ad ſtatum religionis „ non præexigitur perfectio, ſed eſt via ad perfectionem. Unde Dominus *Matt. XIX.* „ non dixit, ſi es perfectus, vade, vende „ omnia, quæ habes: Sed *ſi vis perfectus eſſe.* „ Et hujus differentiæ ratio eſt, quia ſecundum „ DIONYSIUM (5. *cap. eccl. Hierarch.*) „ perfectio pertinet active ad epiſcopum, ſicut „ ad perfectorem; ad monachum autem paſſive, ſicut ad perfectum. Requiritur autem, „ quod ſit perfectus aliquis ad hoc, quod poſſit „ alios ad perfectionem adducere: quod non „ præexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem adduci. Eſt autem præſumtuoſum, „ quod aliquis perfectum ſe reputet: non autem, quod aliquis ad perfectionem tendat. „ Hoc recte JOAN. GERSON cum aliis theologis ad ſtatum curatorum univerſim applicat, quorum eſt animam ſuam exponere pro ovibus ſuis ſtatu perfectionis non ſolum acquirendæ, ſed etiam exercendæ, ut loquitur de ſtatu eccleſiaſtico conſid. quinta.

2. 2. q. 185. a. 1. ad 2.

S. CHRYSOSTOMUS hanc materiam, tractans de ſacerdotio, pluribus diſcutit, pœne dimidia libri ſexti parte priore, ubi oſtendit, quanto longe major perfectio in ſacerdo-

cerdote, quam monacho, requiratur: *Etenim*, inquit, *ſolaribus radiis puriorem eſſe oportet ſacerdotis animam, ne quando Spiritus S. illum deſertum relinquat; ut poſſit dicere: Vivo autem ego jam non ego: vivit vero in me CHRISTUS. Nam ſi ii, qui eremum incolunt, & urbe, & foro, & tumultibus procul, ſemper portu, & tranquillo cœlo fruentes, nolunt tamen ejusmodi vitæ inſtituto confidere .... quanta putas oportere ſacerdotem uti vi atque violentia, ut poſſit animam ab omni inquinamento eripere, & ſpiritualem pulchritudinem illæſam ſervare?* Tantum autem diſcrimen ponit, quantum eſt inter idiotam & regem: Et nec ſi monachus ut ELIAS foret, curatori animarum comparandum vult. *Si tamen aliquem mihi adducas monachum, qualis, ut ſecundum exaggerationem dicam, HELIAS fuit, non tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis, & multorum peccata ferre compulſus, immobilis perſeverat, & fortis.* Tritum eſt illud S. HIERONYMI: *Ita age, & vive in monaſterio, ut clericus eſſe merearis.* *L. VI. de ſacerdot. paulo poſt init.* *Ep. ad Ruſtic.*

CAPUT II.

De cœlibatu.

§. CXXX.

De continentia, & voto caſtitatis perſonarum Deo dicatarum.

Inter prima legis evangelicæ decora eſt flos illibatæ caſtitatis eorum, qui ſeſe totos DEO dicarunt, continentiam ſervantes, deſpondentes ſe

2. Cor. II. 2. juxta apoſtoli conſilium, *uni viro virginem caſtam exhibere CHRISTO.*

Jud. XI. 31. Sunt, qui ex veteri teſtamento filiam JEPHTE non ad mortem, ſed cœlibatum DEO devotam eſſe volunt. Quod exemplum eſt ſingulare in veteri teſtamento, ubi ſtatus hic ſublimis DEO dicatarum perſonarum, vel propagandi humani generis cauſa, vel ipſius MESSIÆ ſpe, incognitus, ac inſuetus fuit.

Initio quidem eccleſiæ non licuit palam, & tam ſolemniter profiteri caſtimoniam, ſeſe una in monaſteriis recondendo, & vitam cœlibem profitendo, quæ legibus Romanorum tam ſevere erat interdicta. At paſſim tamen acta martyrum docent, non idcirco quidquam de hoc decore detrahi fuiſſe paſſas virgines, aut contaminari, ſi forte vis inferretur, aut quid contra votum tentaretur a tyrannis: veluti contingebat e. g. S. AGNETI, & aliis non paucis publice etiam proſtitutis, & in lupanaria damnatis, CHRISTO ſponſas ſuas integras ſervante.

Novatores volunt, HERMAM ſemina cœlibatus ſparſiſſe: neque inficias ire poſſunt, a primis naſcentis eccleſiæ ſæculis virginum florem fuiſſe, ac choros. S. IGNATIUS in epiſtola ad Smyrnenſes ſalutat virgines vocatas viduas. Et S. JUSTINUS magnum numerum utriusque ſexus, ac conditionis commemorat, qui vitam ſuam in virginitate traduxerunt. ORIGENES exiſtimat, rationi conſentaneum eſſe, virorum quidem munditiei, quæ in caſtitate eſt, primitias fuiſſe JESUM, mulierum autem MARIAM.

n. 13. *Apol. 2.* *In Matt. 3.*

Ac quidem eſt theologorum opinio conſentiens, B. V. MARIAM etiam voto obſtrinxiſſe

xiſſe ſe, idque colligunt ex illis verbis: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* *Luc. I. 34.* In quo repugnant Proteſtantes, qui alioquin nobiſcum fatentur, integritatem ſuam ante, & poſt partum genitricem DEI MARIAM conſervaſſe.

Voto autem maxime obſtrepunt caſtitatis univerſim: ut, qui ſe eo obſtrinxerint, teneri non putent. Quo tamen obligatos ſemper ſe ſenſerunt, qui illud fecerunt, ut non teſtimoniis ſolum, ſed integris evincitur libris antiquiſſimorum doctorum, TERTULLIANI e. g. de velandis virginibus, S. CYPRIANI de habitu virginum &c. Fueruntque, ut jam ſupra commemoravi, eccleſiæ matriculæ adſcriptæ, & conſecratæ virgines. *Eccleſiaſtici*, ut vocat S. CYPRIANUS citato de habitu virginum libro, *germinis flores*, *decus*, *atque ornamentum gratiæ ſpiritalis*, *læta indoles*, *laudis & honoris opus integrum*, *atque incorruptum*, *DEI imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini*, *illuſtrior portio gregis CHRISTI*. Non obſtabat, quod per leges Romanas talis profeſſio fuerit interdicta, donec leges virginitati adverſas CONSTANTINUS mox abolevit; *Papiam* imprimis, qua graves pœnæ decernebantur, qui procreandæ ſoboli non indulgerent: ut etiamnum extant leges, & EUSEBIUS de vita CONSTANTINI teſtatur. *L. IV. c. 26.* Qui etiam in demonſtratione evangelica duplicem hunc in eccleſia DEI ſtatum diſtinguit: *Alter quidem*, inquit, *naturam noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorſus a communi, & conſueta cunctorum hominum vita abhorrens, & ſoli-* *L. I.*

divino cultui, ex immenſo rerum cœleſtium amore addictus; qui hunc modum amplexi ſunt, quaſi ab hac mortali vita ſejuncti, ipſumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero, atque animo in ipſo cœlo degentes, quaſi quidem cœlites, reliquorum hominum vitam deſpiciunt: quippe qui pro univerſo genere ſuppremo omnium DEO ſacrati ſunt.

Patet igitur, cum virginitate omnia DEO fuiſſe conſecrata, atque ſingularem ordinem fuiſſe μοναζόντων, ut vocat S. CYRILLUS HIER. *monachorum & virginum, qui vitam in munda parem angelis inſtituunt.* Id vel antiquiſſimus mos velandi virgines demonſtrat, & pœnæ, quibus ſubjectæ virgines votum violantes, quemadmodum ex S. CYPRIANO, & aliis conſtat; jamque S. BASILIUS ad patrum hic provocat ſtatuta. Fuerunt hæ profeſſiones alterius ſexus, etiam antequam ſub monachorum nomine apud viros obtinerent eodem teſte S. BASILIO, qui virorum profeſſiones non novit: *Præterquam, inquit, ſi qui ſe ipſi monachorum ordini adſcripſerint: qui quidem tacite vitam cœlibem videntur ſuſcepiſſe.* Ergo utrinque ratum erat votum, illic adhuc magis explicitum:

Catech. IV. n. 24.

Ep. 2. can. can. 18.

Ib. can. 19.

S. Greg. Nazianz. carm. 3.

- - - - - Qui CHRISTO virginitatem
Spirituale velut ſacrum vacuumque cruore
Obtulit, atque pedem referens connubia quærit;
Non illi hoc facimus tantum jactura futura eſt,
Sed caſus gravis, & morti vicina ruina,
Et probrum, ac labes omni durabilis ævo.

Alii integris libris, ut jam commemoravi, in hanc ingentem jacturam ſunt invecti, imprimis S. AMBROSIUS ſi quis alius virginitatis cultor, qui ingentem earum numerum

rum collegit, tanto zelo, ut nonnunquam invitis parentibus, & reſiſtentibus, ad altare confugerint, aſylum integritatis quærentes. *S. Ambr. de virginit. L. I. c. 11.*

Fuerunt tamen olim, qui firmitatem hujus voti laceſſere ſunt conati, quales S. EPHREM refutat, & S. HIERONYMUS in VIGILANTIO, qui votum continentiæ, ceu fontem corruptionis traduxit. Notat autem alios etiam epiſcopos tunc fuiſſe, qui in hoc VIGILANTIO fuerint ſuffragati. Quod hodie imitantur Proteſtantes, neutiquam DEI gratiam intuentes ad obtinendum hoc donum, quod S. AUGUSTINUS toties agnovit, & urget contra Pelagianos, atque ſingillatim in libro de virginitate. Contrarium errorem ſemper eccleſia damnavit, & tam ſolemnem habuit continentiæ profeſſionem, ut virgines reſilientes ab ea conciliorum decretis coercendas duxerit, quo autem præſertim ſexui fragili proſpiceret, nonniſi matura ætate quadraginta plerumque annorum velandas duxit, ſtatuitque, ut non niſi ab epiſcopis, ſicut jam obſervavi, & in præcipuis feſtis, Epiphaniarum die, ut habet GELASIUS, aut in albis paſchalibus, aut apoſtolorum natalitiis ſacrum velamen accipiant. Sed profeſſio facta fuit alias ſæpe ab ineunte ætate, nonnunquam etiam a parentibus nondum edito partu oblatio DEO fuit facta. *Serm. de matrim.* *Ep. 9.*

§. CXXXI.

Etiam matrimonio junctorum grata fuit ſemper, & eſt firma voti caſtitatis obligatio, mutuo conſenſu facti, aut inſtituti religioſi, ſacrique Etiam in matrimonio.

ordinis ſuſceptione, aut facta per unius conjugum morte libertate.

Exemplum excellentiſſimum in conjugio B. V. MARIAM inter & JOSEPHUM habetur, ſervata ſine omni commercio carnali integritate; cujusmodi illud S. CÆCILIÆ M. & ALEXII fertur; aſſertius autem eſt AMMONIS ſolitariorum in Nitria inſtitutoris. Qui prima nuptiarum die uxorem ad ſervandam non ſolum continentiam induxit, ſed etiam ipſo in ſolitudinem ſecedente, poſtquam ſimul in tali ſtatu mutuo manſiſſent 18. annis, ipſa domi chorum virginum congregavit.

Frequenter autem id contingere debuit primis ſæculis, quando ad ſacros ordines, eorumque apicem epiſcopatum uxorati aſſumebantur, viventibus adhuc uxoribus, veluti SS. HILARIUS, GREGORIUS NAZ. ſenior, & NISSÆNUS, cujus uxor THEOSEBIA ipſo epiſcopo diaconiſſarum ordini eſt inſerta, ejusque miras virtutes celebrat S. GREGORIUS NAZ. GREGORIUS TURON. hic mirum in modum extollit S. RETICIUM inter primos celebres Galliarum epiſcopos Auguſtoduni, qui a ſua uxore thoro, dum viveret, ſejunctus, in ſepulchro demum poſt mortem iterum conjunctus eſt. Simile exemplum eſt S. SEVERI epiſcopi Ravennatenſis a JULIO P. ordinati, uxore viduitatem, filia virginitatem profeſſis. S. PAULINUS epiſcopus poſtea NOLANUS cum S. uxore THARASIA a prima converſione non ſolum continentiam, verum etiam voluntariam rerum abdicationem ſuſcepit, quod ejus inſtitutum mox toto orbe celeberri-

Ep. 95.

De gl. conf. c. 75.

Boll. ad 1. *Febr. p.* 89. §. 8.

mum

mum fuit, atque omnium laudibus celebratum; ipſe quidem gratiæ divinæ amplitudinem, qua cor ſuum a carnalibus ad ſpirituales delicias eſt commutatum, in epiſtolis, ac carminibus paſſim deprædicat; ſed humillimus parum ſe egiſſe omnia relinquendo profitetur, prima tantum implendo CHRISTI verba; timetque, ne in eo, quod potiſſimum eſt, ac longe difficilius, CHRISTUM ſequendo deficiat. Ab eodem S. PAULINO non ſolum ad fidem chriſtianam, ſed etiam ad tale vitæ propoſitum APER cum conjuge AMANDA eſt inductus, etiam ad ſacerdotium evectus. Ubi ſe totum DEO, & eccleſiæ conſecrando uxor rem familiarem omnem in ſe ſuſcepit, plenum ſancto viro otium relinquens: cum penitus faſtigium non attigerit, uti S. PAULINUS, omnia ſua relinquendo. De quo tamen S. GREGORIUS TURON. obſervat, eum centuplum in hac etiamnum vita accepiſſe, divitem nactum eccleſiam Nolanam. Simillimum fuit S. AMATORIS, cum uxore MARTHA, inſtitutum, epiſcopi poſtea Antiſiodorenſis. Adhuc excellentius S. NILI presbyteri in ſolitudinem cum bona uxoris venia ſeſe abdentis.

Vid. ep. 2. 12. 41. carm. 24.

De gl. conf. c. 107.

Boll. ad 1. Maji. p. 53.

Id. ad 1. Jan. p. 954.

Sed infinitus eſſem, ſi omnia ab ipſis apoſtolis incipiendo vellem ejusmodi recenſere exempla. *Apoſtoli*, inquit S. HIERONYMUS, *vel virgines, vel poſt nuptias continentes. Epiſcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, vel poſt nuptias continentes.*

Ep. 30.

Inter eos, qui alias in conjugio propoſitum continentiæ ſecuti ſunt, imprimis S. PULCHERIÆ imperatricis generoſum eſt facinus, quæ ea demum conditione MARCIANO nupſit, atque ad imperatorium eum ſolium evexit, ut

integram, illibatamque conſervaret. MELANIA itidem conjugem PINIANUM ad tam ſanctum induxit inſtitutum, cum juvenis adhuc in primo laboraret partu. Fuit tunc ſacrum hoc propoſitum familiare apud nobiles etiam, & illuſtres. Cujusmodi ex S. AUGUSTINO videtur colligi, epiſtola ad VALERIUM comitem. Libenter idem conſuluiſſet BONIFACIO comiti iterum ad bonam mentem redeunti, ſi per uxorem licuiſſet, cum antea viduum a tali propoſito retraxerit. Idem ARMENTARIUM, cum factum tale votum cum PAULINA uxore implere tardaret, obligationis ſerio admonult. In eandem rem eſt prima epiſtola S. FULGENTII de voto continentiæ. Sexta autem illuſtre continet exemplum THEODORI conſulis, cum uxore totum ſeſe DEO conſecrantis.

Sur. ad 31. *Dec. p.* 377. §. 4.

Ep. 200. *Ep.* 70. *vet. edit.* *Ep.* 45.

De viduis ſeſe DEO conſecrantibus ſcripſit duos libros S. CHRYSOSTOMUS, unum autem S. AMBROSIUS, qui ſummo zelo non virgines tantum, ſed viduas etiam, ut de cætero continentiam ſervarent, voverentque, data quavis occaſione induxerunt. S. AUGUSTINUS, ad quæſtiones DULCITII reſpondens, refert exemplum juvenis cujusdam catechumeni, CELTICI nomine, graviter in ſomno caſtigati, quod in uxorem ſumſiſſet viduam, quæ caſtitatem DEO voverat. Erant a prima eccleſiæ ætate, inſtitutioneque S. PAULI, viduæ ſacro miniſteſterio adgregatæ.

c. 7.

§. CXXXII.

§. CXXXII.

Conſtanti, inde ab apoſtolis, eccleſiæ diſciplina cœlibatus clericorum obtinuit, ſi non undique locorum, & eodem vigore, pro ſingulis ordinibus majoribus, omni ſaltem tempore, & in occidente lege ſacroſancta firmatus. De continentia clericorum.

De apoſtolis nonnullis conſtat, eos uxoratos fuiſſe, ſed conjugio uſos eſſe, poſtquam apoſtolico munere fungi cœperunt, non legitur. Contrarium conſtans ſemper tenuit eccleſiæ traditio, quam fruſtra novatores laceſſere ſunt conati. Ex quibus tamen SAM. BASNAGIUS confitetur, credere ſe, apoſtolos poſt illapſum Spiritus S. omnem prorſus venerem abdicaſſe, quæ continentia nonnullis ſaltem epiſcopis, presbyterisque exemplar ad imitandum præbuerit. Anſam diſputandi præbuit imprimis locus S. PAULI: *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri apoſtoli?* Sed dudum aperte oſtenderunt eccleſiæ doctores, HIERONYMUS *lib.* 1. adverſus JOVINIANUM, & AUGUSTINUS de opere monachorum *cap.* 4. ut agnoſcit ZEGERUS in hunc locum, cum ex ſororis addito vocabulo, tum ex ipſorum ordine verborum, haud quaquam locum hunc de uxoribus intelligendum, ſed de aliis ſanctis mulieribus, quæ, juxta morem Judaicum, magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant. Alii alteram addunt cauſam, ut facilius, & citra ſuſpicionem pravam ſexui

Annal. T. II. diſſert. VII.

1. *Cor. IX.* 5.

sexui fœmineo fides insinuari potuerit. *Sed hi quidem*, inquit CLEMENS ALEXAND. *ut erat consentaneum ministerio, quod divelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in Gynæceum absque ulla reprehensione, malave suspicione ingredi posset doctrina Domini.* Idem cum ORIGENE, & EUSEBIO illud PAULI, quod vulgatus noster masculine vertit, *& tu Germane compar*, ex ambiguitate textus Græci σύζυγε γνήσιε PAULUM uxoratum fuisse putat, plerique tamen negant ex confessione ipsius PAULI: unde eo minus prior ille locus ad Corinthios de uxoribus intelligi potest. Tertius locus est, dum PAULUS episcopum vult unius uxoris virum esse, quod ecclesiastica traditio sumit de antecedente conjugii usu, non simultaneo cum ipso sacro ministerio: *Sacrosancta DEI ecclesia*, inquit S. EPIPHANIUS, *eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis præcipue fit, ubi canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi, & hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo, non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere, ac connivere solet, ob nimiam populi multitudinem: cum scilicet, qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur.*

L. III. Strom.

Philip. IV. 3.

Hær. 59. c. 4.

Abu-

Abuſus iſte apud Græcos obtinet hodie; ſi tamen uxores duxerint, antequam ad ſacrum miniſterium ſunt admoti Nemini etiam in ſacris conſtituto licet ad ſecundas nuptias tranſire, niſi velit abſtinere a ſacro miniſterio. Epiſcopi autem, aut monachi, aut cœlibes aſſumuntur. Ipſeque agnovit JOVINIANUS, ad epiſcopatum promoto non licere uti conjugio, qui primus hic litem movit, & VIGILANTIUS, contra profeſſionem caſtitatis, quos novatores ſequuntur; veteres autem, imprimis S. HIERONYMUS, hoc ipſo miniſtrorum altaris ad eos impugnandos utitur exemplo, idque ipſius eccleſiæ orientalis. *Quid facient*, ſcribit, *orientis eccleſiæ? Quid Ægypti, & ſedis apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* Sedem apoſtolicam Romanam haud dubie intelligit, quæ moris hujus fuit retinentiſſima, ut in occidente univerſalis evaſerit; in oriente autem per concilium Trullanum poſthabitus, ubi ſic habet canon 12. *Quoniam Romanæ eccleſiæ pro canone traditum eſſe cognovimus, ut promovendi ad diaconatum, vel presbyteratum profiteantur ſe non amplius uxoribus ſuis conjungendos: nos antiquum canonem apoſtolicæ perfectionis, ordinisque ſervantes, hominem, qui ſimul in ſacris legitima conjugia deinceps quoque firma, & ſtabilita eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes.* Quod ſatis impudens eſt: neque ullus canon poteſt proferri, niſi unus & alter indulgentiam quandam ſignificans, veluti Gangrenſis quartus: *Si quis de presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportere eo* S. Hier. cont. Vigilant.

ſacra

ſacra celebrante oblationi communicare, anathema ſit. Et Ancyranus decimus: *Quicunque diaconi conſtituti in ipſa ordinatione teſtificati ſunt, & dixerunt, oportere ſe uxores ducere, cum non poſſint ſic manere, ii, ſi uxorem poſtea duxerint, ſint in miniſterio, eoquod hoc ſit ab epiſcopo conceſſum.* Concilium Neocæſarienſe presbytero, qui ante ordinationem uxorem duxerit, videtur parem indulgentiam facere, ſed tamen decernit, ut presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. At antiquiſſimo concilio Illiberitano, *Placuit*, ita habet canon 33. *in totum prohiberi epiſcopis, presbyteris, diaconibus, vel omnibus clericis poſitis in miniſterio abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios.*

Can. 1.

Fuerunt tamen minores ordines exemti hac lege. In concilio Carthaginenſi decernitur, ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Sed non ſemel in conciliis Carthaginenſibus continentiæ lex indicta eſt epiſcopis, presbyteris, & diaconis, pro reliquis ordinibus ſtatutum eſt, ut quævis eccleſia morem ſuum ſervet. Putat tamen SCHEELSTRATIUS, etiam ſubdiaconos ad continentiam fuiſſe in Africa obſtrictos. Patet hinc, quam falſo patres Trullani ad Africanam eccleſiam provocaverint. In concilio Arelatenſi ſecundo tantum ſacerdotii fit mentio, decerniturque, *Aſſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in conjugii vinculo conſtitutum, niſi fuerit præmiſſa converſio.* SOCRATES & SOZOMENUS referunt, quid de hac re in concilio Nicæno agitatum fuerit, ut cœlibatus omnino ſtatueretur pro clericis, & ſacerdotibus, cui decreto interceſſerit S. PAPHNU-

An. 397. *Can.* 19.

Can. 2.

Socr. L. 1. *c.* 11. *Sozom. L.* 1 *c.* 23.

NUTIUS, putans, *ſatis eſſe, ut qui in clerum fuiſſent adſcripti, juxta veterem eccleſiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent, non tamen quemquam ſejungendum eſſe ab ea, quam antehac tunc, quum eſſet laicus, legitime duxiſſet.* Prævaluit tamen poſtea in occidente lata a SIRICIO lex, ſæpius a ſucceſſoribus repetita, & tenaciter retenta contra omnes abuſus, & inſultus, tantum circa miniſtros, præſertim ſubdiaconos, fuit dubietas. S. LEO dicit: *Lex continentiæ eadem eſt miniſtris altaris, quæ epiſcopis, atque presbyteris.* Diſcimus tamen ex S. GREGORIO M. in Sicilia ſubdiaconis uxoratis eſſe licuiſſe. Quod cum vetaretur, ſejungique juberentur ab uxoribus, ſanctus papa legem iſtam nimis duram putavit: id autem voluit cavendum, ne deinceps ſubdiaconi ordinarentur, niſi promittant vivere in cœlibatu. Sæculo octavo WITIZA rex ſeſe huic Romanæ eccleſiæ decreto oppoſuit; & Proteſtantes nihil magis quam hic remiſſionem, ac licentiam urſerunt, eccleſia nec quidquam ab hac ſacerrima remittente diſciplina.

Ep. 2.

L. I. ep. 45.

§. CXXXIII.

Et vitando commercio fœminarum.

Ne vel ulla prava ſuſpicio, aut periculum eſſet incontinentiæ, ſemper ſaluberrimis legibus cavit eccleſia commercium utriusque ſexus, ac cohabitationem perſonarum DEO dicatarum, interdicendo.

Sæculo jam tertio legitur in concilio Antiocheno contra PAULUM Samoſatenum hic ſalutaris præcautio præſtita. Primum, cujus acta habemus, concilium Eliberitanum

ita

Can. 27. ita ſtatuit: *Epiſcopus, vel quilibet alius clericus, aut ſororem, aut filiam virginem dicatam DEO tantum ſecum habeat, extraneam nequaquam habere placuit.* Concilii Nicæni hæc inter primas fuit cura: *Vetuit omnino magna ſynodus, ne liceat epiſcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum, qui ſunt in clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel ſororem, vel amitam, vel eas ſolas perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.*

L. I. hiſt. c. 6. RUFINUS per has intelligit propinquas cognatas. Hoc canone uſus eſt S. BASILIUS

Ep. 55. ad expellendam mulierem a presbytero jam ſeptuaginta annos nato. S. CHRYSOSTOMUS duos libros compoſuit contra cohabitationem clericorum, & fœminarum. In plerisque conciliis Africanis hæc conſtitutio eſt repetita: *Occaſiones enim*, inquit

An. 348. *ean.* 3. GRATUS, *amputandæ ſunt peccatorum, & tollendæ ſuſpiciones, quibus ſubtilitas diaboli ſub prætextu charitatis, & dilectionis, incautas animas, vel ignaras irretire conſuevit. Nullus igitur, nullaque ſanctimoniæ, & virginitati deſerviens propter blaſphemiam eccleſiæ, ſi vobis placet, in una domo cum extraneis penitus commorari debeat. Univerſi dixerunt: Qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem, hæc vitare debent. Et non ſolum non habitare ſimul, ſed nec habere ad ſe aliquem acceſſum. Hoc ergo & lex jubet, & ſanctitas veſtra commendat, ut in ſingulis conciliis ſtatutum eſt.*

Regula hæc pro perſonis regularibus, præſertim monialibus, a prima inſtitutione cautiſſime eſt conſtituta jam a S. PACHOMIO.

Boll. ad 14. Maji. p. 33. In concilio Toletano I. ſtatuitur, *ut neque puella DEI aut familiaritatem habeat cum*

An. 400. con-

confeſſore, aut cum quolibet laico ſibi ſanguinis alieni. CASSIANUS familiaritatem cum altero ſexu inter ea crimina refert, in quæ virgis, aut expulſione e monaſterio fuit animadverſum. *Inſtit. L. IV. c. 16.*

Quoad clericos, præſertim epiſcopos, presbyteros, & diaconos fuit cautum, ut ad omnem tollendam ſuſpicionem perſonam perſpectæ probitatis ſecum habeant, teſtem actionum. Cujusmodi decretum emanavit occaſione accuſationis SYMMACHI papæ. Inde Syncellitarum nomen eſt, ac uſus epiſcopis imprimis in more, ut etiam noctu in ſua camera teſtem ſecum haberent, quod de ſe ipſe THEODORETUS teſtatur. In concilio Turonenſi id præcipitur archipresbytero ſi viſitationis gratia ullibi degat. In concilio Epaonenſi prohibent patres epiſcopo, presbytero, & diacono, vel cæterts clericis, horis præteritis, id eſt, meridianis, vel veſpertinis, ad fœminas acceſſum: quæ tamen, ſi cauſa fuerit, cum presbyterorum, aut clericorum teſtimonio videantur. Nec ullus canon frequentius fuit repetitus, quam is de clericis, ne extraneas apud ſe habeant fœminas. In capitulari THEODULPHI etiam mater, ſoror, aut amita non excipiuntur. In recentioribus etiam conciliis ejusmodi ſtatuta habentur: noviſſima collectio conſtitutionum Atrebatenſis epiſcopi cavet, ne clerici ſecum habeant fœminas annis 40. minores. In jure canonico ſingularis habetur titulus ſecundus libro tertio decretalium *de cohabitatione clericorum, & mulierum.* *Vit. Solit. c. 21.* *An. 566. can. 19.* *An. 517. can. 20.* *An. 1710.*

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Abraham multarum gentium pater quomodo dicatur? 240. Ejus fides. *Ib. ſeq.*

Acta apoſtolorum quare ſic inſcripta? 72. *ſeq.*

Adam in ſtatu integritatis conditus. 14. Facile ſibi a vetitæ arboris fructu temperare potuiſſet. 19. Sua culpa integritate excidit. 20. Ac ſpe felicitatis. 21.

Amor ſuiipſius, amore DEI ordinandus. 370. 376. *ſeq.* Proximi quouſque ſe extendat? 380.

P. Amort cum PP. Franciſcanis lites circa librum Mariæ de JESU. 34. Ab Electore Bavariæ coercetur. 35.

Animæ origo difficillime explicatu viſa eſt S. Auguſtino. 36.

Aſcetica theologia cum myſtica a SS. Patribus ſemper conjuncta. 9.

S. Auguſtinus inſignis gratiæ doctor ac prædicator. 143. 144. Gratiæ actualis neceſſitatem adſtruens libertatem arbitrii non ſuſtulit. 96. 152. Ejus de gratia & prædeſtinatione doctrina, Manichæiſmi a Pelagianis petita. 188. Ejusdem cum Pelagianis de gratiæ auxiliis actualibus controverſia. 94. *ſeq.* Liber de correptione ab eo ſcriptus clavis eſt totius doctrinæ de gratia. 197.

Auguſtiniani. 191.

B.

S. Benedictus ſtudia monachis non interdixit. 443. Ejus regula mater diſcretionis. 428.

Bonum objectum eſt voluntatis. 192. Summum in quo conſiſtat. *ib.* Temporalia ex conſilio Chriſti relinquenda. 295. Eorum verus ac perverſus uſus. 297.

Breithaupti *D.* quoad hominis perfectionem opinio. 312.

C.

C.

Calvini impia opinio circa prædeſtinationis decretum. 221.
Canonici regulares unde orti? 387. 389. Quinam regulares, & quinam ſæculares dicti? 390.
Carmelitarum origo incerta. 390.
Charitas DEI quid? 368. Recte cum fide conjungitur ad noſtram juſtificationem. *ib.* Anima eſt chriſtianiſmi. 371. Et regula proprii amoris, & proximi. 370. 376. *ſeq.* Perfecta timorem expellit. 373. 374. Ac menſuram non habet. 376. 377. *ſeqq.* Per eam fides & ſpes non deſtruuntur. 381. 382.
Chriſtus ſine peccato, quia & DEUS. 29. Ejus nativitas a communi ordine aliena. 30. Singulare prædeſtinationis exemplum. 202. Per eum omnis noſtra ſalus. 207. *ſeq.*
Clemens Alexandrinus theologiæ myſticæ reſtitutor. 3. Gnoſticum ſuum ἀπαθῆ ſiſtere volens ultra limites abripitur. *Ib.*
Cœleſtius præcipuus Pelagii fautor. 151. Ejus calumnia de liberi arbitrii per gratiam efficacem deſtructione. *Ib.* A S. Hieronymo retuſa. *Ib. ſeq.*
Cœlibatus in V. T. inſuetus. 452. A clericis in occidente ſemper eſt obſervatus. 459. Quis hic Græcorum mos. 461. Eum ſolemniter profiteri legibus Romanorum eſt interdictum. 452.
Cœnobitarum auctor. 403. *ſq.*
Concupiſcentia in renatis etiam manet. 39 Ac origo eſt omnis mali. 53. 54. Non eſt tamen ipſa peccatum originale. 39. *ſeq.* Peccati nomine qua ratione veniat? 42. Proteſtantium circa eam errores. *Ib.*
Congruiſtæ qui appellati? 191.
Conſilia DEI inſcrutabilia. 336. & *ſeq.*
Continentia donum DEI eſt. 299. Omnibus ſervatu poſſibilis. *Ib.* Proteſtantium circa eam errores. *Ib.* Libere profeſſa ſervanda. 300. Ejus effectus & præſtantia. 302.
Converſio hominis ad DEUM ſine gratiæ auxilio fieri nequit. 113. *ſeq.*
Corozaitis deſpectus gratiarum a Chriſto exprobratus. 166.
Crux Chriſti? 303. Quomodo

do ferenda? *Ib.* Ejus ſpecies præcipua mortificatio. *Ib.* Mors pro Chriſti nomine tolerata. 307. DEO eſt gratiſſima. 308. Chriſtianorum in ea ſubeunda conſtantia. 309.

D.

David præſumens a gratia deſeritur. 133.

Delectatio victrix ſine erroris periculo tenetur. 161. Non tamen gradibus relative ſuperior. 163.

Deſperatio quid? 343. De hac D. Jochii, Calvini, & Novatiani ſenſus? 341. *& ſeq.* Quo ſtudio evitanda. 344.

DEUS acceptor perſonarum non eſt. 141. Quare unum aſſumat alterum relinquat, ſummum eſt myſterium. 142. *ſeq.* 185. 186. *ſeq.* 212. *ſeqq.* Præſciens hominum peccata non prædeſtinavit facienda. 223. Ea ſæpius permittit in pœnam peccati. 225. 226. Summum eſt bonum. 191. *ſeq.* Ac de malis etiam bene facere novit. *Ib.* 219.

Dilectio DEI ſuper omnia ſine gratia haberi non poteſt. 104. 105.

Doctrinæ evangelicæ finis. 7.

E.

Eccleſiæ pro incredulorum converſione preces prævenientis gratiæ neceſſitatem demonſtrant. 155. 156.

Eleemoſyna maximæ utilitatis. 291. Ab antiquioribus præſertim ſanctis patribus magni habita. 293. *& ſeq.*

Eremitica vita ſeu ſolitaria unde orta & quo præſertim auctore efflоruit? 392. 405. Eam Neoterici naturæ adverſam cavillantur. *Ibid.*

Evangelium aſceſis chriſtiana. 282. Ejus natura, & partes. 283. *& ſeq.* Varia ſubminiſtrat ad perfectionem chriſtianam media. 285. Obligationi legum nihil derogat. 273. Magis eam perficit. 275.

Excæcatio, & induratio hominis cui adſcribenda? 345. *& ſeq.*

F.

Facultatum mentis perfectio in ſtatu integritatis. 15.

Fanatici varii generis. 56.

Fides quid ſit? 234. Bifariam dividitur. *Ib. ſeq.* Non in ſola voluntate conſiſtit. 236. Eſt fundamentum juſtificati hominis. 237. *ſeq.* Radix, non unica cauſa ſalu-

ſalutis. 277. Eſt donum DEI. 87. Ejus inititum homini a ſemi-Pelagianis adſcriptum. 88. 131. Qui error etiam Auguſtinum aliquando detinuit. 102.

G.

Gloria DEI in omnibus quærenda. 106.
Gottescalcus, varios adverſarios, ac defenſores nactus. 190. Ei qualis error quoad prædeſtinationem imputatus. 189.
Gratia benignitatis divinæ favor. 57. Ejus virtus. 74. 75. 86. 87. *ſeq.* Et neceſſitas. 58. Ad omnes & ſingulos actus. 118. Et præceptorum obſervationem. 120. Gratis data, quid ſit? 71. Multifariæ ejus diviſiones. *Ib.* Et diſtinctio a gratia gratum faciente. 72. Hujus præ illa neceſſitas & præſtantia. *Ib.* Inter gratiam ſtatus integri, & ſtatus lapſi diſcrimen. 77. Gratiæ Chriſti omnes participes ſunt facti. 79. *ſeq.* Niſi obex ponatur. 84. *ſeq.* Actualis & habitualis definitio. 91. Quale jus hæc homini conferat? 93. Gratiæ in prævenientem, cooperantem & ſubſequentem diviſio. 99. 100. Quales quæque effectus habeat. *Ib.* Nullis præcedentibus meritis datur. 127. 129. Ejus ablatio in pœnam abuſus gratiarum. 132. *ſeq.* Eam ad facilius tantum operandum utilem exiſtimat Pelagius. 120. Gratia efficax. 145. Ejus virtus victrix. 148. Et effectus infallibilis. 169. Libertatem arbitrii non deſtruit. 151. Sufficiens. 165. Effectum non ſortitur hominis culpa. 166. 167. *ſeq.*

H.

Hoffmann *Dan.* lumen rationis naturaliter DEO adverſari calumniatur. 233.

I.

Jacob & Eſau ſola gratia diſcreti. 200. *ſeq.*
Janſenius unde ſuam delectationem relative per gradus ſuperiorem procuderit? 162. Ejus circa gratiæ victricis operationem error. *Ib.* Non eadem eſt cum prædeterminatione Thomiſtarum. *Ib.* Ejus propoſitio circa reſiſtentiam

gratiæ damnata. 165. Et circa impoſſibilitatem præceptorum DEI. 98.
Jejunium primis ſæculis majori pretio habitum. 289. Ejus præſtantia. 287. Relaxatio pravis erroribus adſcribenda. 288. Ei adjungendæ eleemoſynæ. 291.
Infantes peccato originali exemti non ſunt. 21. Ante baptiſmum defuncti damnantur. 21. 214. Occulto DEI judicio. 171. Quare alii gratiam baptiſmi obtineant, alii non, ex eorum prævisis meritis minime repetendum. 215. Neque etiam parentum. 216.
Influxus moralis gratiæ operationem quomodo deſtruit. 163.
Infra-lapſariorum error quoad permiſſionem peccati. 191. 209.
Ingratitudo hominum ſibiipſis ſalutem, quæ a CHRISTO eſt, tribuentium. 60. 61. *ſeq.*
Inimicorum dilectio, perfectio eſt charitatis. 379. Quo gradu exerenda? *Ib.*
Judæi de gratia præſumentes in Spiritum ſanctum peccant. 135. Excæcati. 362. Et gratiæ reſiſtentes rejiciuntur. 167. Eorum converſio rara, & ſuſpecta. 364.
Juſtificatio hominis a ſola gratia CHRISTI exſpectanda. 108. 109. Ejus cauſa finalis, efficiens, meritoria, inſtrumentalis, formalis &c. 238.
Juſtitia originalis in quo ſita? 15. Ejus effectus. *Ib.*

K.

Κεχαριτωμένη. Hujus vocis notio quæ ſit? 31.

L.

Labor manuum priorũ monachorum præcipua occupatio. 436. Studiis nequaquam neglectis. 439. Præſertim ſacrarum ſcripturarum. 440.
Lex evangelica virtutũ ſchola. 277. *ſeqq.* Ejus obſervatio nonniſi gratiæ auxilio impletur. 120. *ſeq.*
Liberi arbitrii absque gratia cum oculo ſine luce comparatio. 157. 158.
Libertas arbitrii debilitata, non penitus eſt deſtructa. 50. *ſeq.* Interpretativa ad peccatum non ſufficit. 53. Efficacia gratiæ non deſtruitur. 150. *ſeq.* Potius vindicatur. 156. *ſeq.* Varia ejus-

ejusdem genera ex S. Auguſtino. 152. Ejus cum gratia efficaci conciliatio difficillima eſt viſa S. Auguſtino. 153. Hodie etiam variæ de ea pugnæ perſeverant. 154.
Limbrochius juſtitiæ originalis amiſſionem impugnat. 25. *ſeq.*
Lumen naturæ penitus extinctum non eſt. 86.
Lutheri jactantia quoad fidelium perfectiones. 311.

M.

Magnetis vis. 37. Ejus exemplo propagatio peccati originalis explicata. *Ibid.*
Maria ab omni peccato, labe etiam Adami præſervata. 29. 30. Angelum quærendo: *quomodo fiet iſtud?* incredula non fuit. 31.
Martyres in acerbiſſimis tormentis Chriſti gratiam deprædicant. 118. Præmia eis promiſſa. 309.
Martyrium ſumma hominis perfectio. 310.
Maſſa damnationis omnes conſtringit. 212. Ex qua alii miſericorditer eripiuntur, alii juſto judicio relinquuntur. 213. *ſeqq.* 218. 219.
Menſura peccatorum impleta non datur ſpes ſalutis. 362. Quod variis ſtabilitur exemplis. *Ib.* & *ſeq.*
--gratiæ ſoli Deo cognita. 134. Quæ hinc ſalutaris doctrina haurienda. 134. *ſeq.*
Merita hominum dona ſunt Dei. 205. 206. 268. *ſeqq.* Secundum ea electio non fit. 215.
Molinæ circa gratiæ efficaciam & voluntatis cooperationem opinio. 163. Magnarum litium *de auxiliis* origo. *Ib.*
Molinos. 232. Ejus *caligo myſtica. Ib.*
Monachi Adrumetini gratiam aſſerentes libertatem arbitrii tollunt. 189.
Monachi eccleſiæ utilitati nunquam non ſe devoverunt. 417. Eorum varia genera. 419. Non omnia probanda. *Ib.* Et primariæ functiones. 421. 424. Privilegia. 429. Veſtitus & victus pro conditione locorum varius. 432. Eorum ſtabilitas loci primis temporibus non adeo ſtricta. 430. Eſus volatilium illis licitus fuiſſe videtur. 435.
Monaſteriorum origo. 403.
Monaſticæ vitæ origo. 390.

Eam inter ac aſceticam diſcrimen. 391. Modus vivendi. *Ib. ſeq.* Quando & quomodo cœperit propagari. 409. A quibus. *Ib. ſeq.* Quam variæ ejus regulæ? 412. Quique harum auctores. *Ib. ſeq.* Præparatio eſt ad clericatum ejusque functiones digne exercendas. 449. Eam qui impugnarint? 412.
Monialium clauſuræ. 431.
Moralis theologiæ cum myſtica neceſſarius nexus. 12. Quo diſſoluto maximi in ea defectus exorti. *Ib.*
Myſticæ theologiæ varii abuſus. 4. 5. Ejus triplex via. 8. Quo quæque ducat? *Ib.*

N.

Naturæ corruptio. 14. 57.
Neoterici honori Mariæ inimici. 31.

O.

Oratio gratiæ donum. 139. Ejus ſumma neceſſitas. 327. 137. Et præſtantia, dominicæ præſertim orationis. 328. Petitionum ejus veſtigia in Cabbala Judæorum. 328. Harum expoſitio. 329. *ſeq.* Eam nulla præcedunt merita. 140. In ea quæ ſint petenda? 320. *ſeq.* Cur ſæpius non exaudiatur. 322. Varii circa eam pſeudo-myſticorum errores. 318.
Ordo naturæ per peccatum turbatus. 170. *ſeq.*
Origo mali unde ſit? 53. *ſeqq.* Varii circa eam errores. *Ib.*
Origenes quem ordinem tenuerit in inſtituendis ſuis diſcipulis? 4.
Originale peccatum in totum genus humanum transfuſum. 22. *ſeq.* 35. *ſeq.* A quibus hæc doctrina primum laceſſita? *Ib.* Qua id ratione fiat, difficillimum explicatu. *Ib.*

P.

Paſtorum eccleſiæ perfectio quæ eſſe debeat? 449.
Peccare in Deum & Deo quid ſit. 357.
Peccator omnis inexcuſabilis. 172.
Peccatum in Spiritum S. conſumantium funeſta exempla. 365. *ſeqq.* Variæ de eo veterum ſententiæ. 353. *ſeq.* Quis hic S. Auguſtino, hodiernisq; theologis ſenſus. 354. *ſeq.* Originale in quo conſiſtat? 37. *ſeq.*

Ma-

Mala ex eo provenientia. 39. 40. 43. *ſeq.*
Pelagius gratiæ neceſſitatem qualem admiſerit? 62. 65. 84. Hominem ſine peccato eſſe contendens refutatur. 110. 111. Secundum merita hominis electionem fieri adſeruit. 215. Ejus cum S. Auguſtino de gratia actuali controverſia. 94. *ſeq.*
Pelagiani ſalutis negotium naturæ viribus adſcribunt. 126. Concupiſcentiam naturæ bonum ſtatuentes. 40. 41. Gratiam orandi a libero arbitrio repetunt. 141.
Pelagianiſmus practicus frequens. 12.
Perditio hominis ex ſe ipſo. 81. *ſeq.* 217. 218. *ſeqq.* 225. 226. 344. 345. *ſeqq.*
Perfectio hominis chriſtiani. 295. 310. Adæquata non datur. 312. Quotidie tamen progrediendum. *Ib.*
Perſeverantia ſingulare DEI donum. 122. Quod mereri homo non poteſt. 124.
Petri lapſus ex præſumtione ortus. 133.
Philoſophorum virtutem a ſeipſis ſumendam opinantium faſtus. 60.
Pœnitentia pravis habitibus innutritorum difficillima. 350. Ab ea nemo repellitur. 349. Niſi ſua culpa. 344. 345. *ſeq.*
Poireti *P.* exceſſus circa corporis & animæ dotes in ſtatu integritatis. 17. Lumen internum immediatum ſtatuens fidei externæ neceſſitatem ſubvertit. 232 237.
Præcepta DEI juſtis impoſſibilia non ſunt. 98. Janſenii hic error. *Ib.*
Prædeſtinatio quid ſit? 173. Ejus definitio utilitati prædicationis adverſa non eſt. 186. Nullam homini fatalem neceſſitatem infert. 178. 180. Gratuita prorſus eſt. 200. 211. 215. 216. *ſeq.* Ad gratiam & gloriam pertinet. 203. 204. *ſeq.* Per merita Chriſti. 207. *ſeq.* minime vero ad peccatum. 221. Ejus myſterium. 212. 215. *ſeqq.* Non nimis eſt indagandum. 184. *ſeqq.* Inter eam & gratiam neceſſaria connexio. 173. *ſeq.* Et diſcrimen. *Ib.* Veterum hæreticorum circa eam craſſiſſimi errores. 188.
Prædeſtinatiani. 189. Num in ſectam aliquando coaluerint? *Ib.* Eorum origo ex male intellectis S. Auguſtini libris. *Ib.*

Prædeſtinatorum ad ſalutem certus eſt numerus. 178.
Prædeterminatio phyſica cum libero arbitrio difficulter conciliatur. 164.
Præſcientia DEI. 181. Ejus a prædeſtinatione diſtinctio. *Ib. ſeqq.* 224.
Præſumtio ſui multis exitio fuit. 334. & *ſeq.*
S. Proſper doctrinæ S. Auguſtini de prædeſtinatione defenſor. 186. 187. 190.
Providentiæ & gratiæ œconomia in vet. & novo teſtamento. 208. *ſeq.*
Pſeudo-myſticorum deliria circa ſenſum perfectæ charitatis. 281.
Pugna in homine. 47. *ſeq.* Unde enata? Ejus funeſti effectus. *Ib.* 11. 39. 40. 43. 44. 47. *ſeq.*

Q.

Queſnelli propoſitiones circa gratiam damnatæ. 92.

R.

Radii divinitatis in operibus gratiæ reſplendentes. 57. 58. 64. 65. *ſeq.* 221.
Recluſi unde originem trahant? 408.
Reprobi a DEO ad damnationem prædeſtinati non ſunt. 222. Sua culpa infelices. *Ib. ſeq.*

S.

Scientia veritatum ſupernaturalium, gratiæ opus. 115. *ſeq.*
Semi-Pelagiani prædeſtinatione vim inferri libero arbitrio calumniantur. 178. A S. Auguſtino coerciti. 219. 175. Fruſtra obtendunt antiquos patres prædeſtinationem ignoraſſe. 181. Diſcrimen inter præſcientiam & prædeſtinationem non attendentes in varios errores labuntur. 182. Eorum cavillatio de Jacobi juſtificatione, & reprobatione Eſau. 201. Ab epiſcopis Africanis diluta. *Ib.* Ac error circa perſeverantiæ donum. 124. Obedientiam hominis priorem volunt eſſe, quam gratiam. 129 130. 207.
Sociniani imaginem DEI in quo conſtituant? 14. Ut peccatum originale tollant ſtatum etiam integritatis negant. *Ib.* Lumen rationis unicum in religione principium ſtatuunt. 234. Lata ad Indifferentiſmum via.

via. *Ib.* Solis naturæ viribus DEO ſerviendum putant. 107. CHRISTUM pro mero homine habentes. *Ib.* Eorum doctrina moralis naturaliſmum ſapit. *Ib.*
Solis cum ſummo bono elegans comparatio. 193.
Spes virtus theologica. 315. Diſtincta a fide. *Ib.* Novatorum perverſa de hac doctrina. *Ib.* In ſolo DEO collocanda. 334.
Status clericorum quid? 384. Ejus officia & functiones. 385. *& ſeq.*
Status integritatis explicatus. 15. 16. *ſeq.* Naturæ puræ. 18. In quo diſcrepet a ſtatu integritatis? *Ib.* Naturæ lapſæ. 43. 44.
Studia recte labori manuum apud monachos ſubſtituta. 439.
Supra-lapſarii. 191. Eorum exceſſus circa decretū prædeſtinationis. *Ib.* 209.

T.

Theodorus Mopſueſtenus, Pelagianorum parens. 202. Ejus de Chriſti perfectione error. *Ib.*
Theologia myſtica inter theoreticam & practicam media. 1. Ab ipſa nominis origine Græca ſuſpecta habita. 2. Genuina in ſolo chriſtianiſmo reperienda. *Ib.* Ejus definitio ac finis. 3. 4. 9.
Therapeutæ. 390.
Thomiſtarum cum Scotiſtis controverſia de immaculata conceptione B.V.M. 33. A ſummis pontificibus conſopita. *Ib. ſeq.*
Timor DEI quotuplex? 334. 340. Unde repetendus? *Ib.* Ejus effectus. 339. *ſeq.* Recentiorum hæreticorum circa eum errores. 340.

V.

Virginum ſacrarum origo. 393. Veſtitus & ratio vivendi. *Ibid. ſeq.* Severa in delinquentes diſciplina. 394. Earumque inſtitutionis propagatores. 397.
Virtutes theologicæ quæ ſint, & unde ſic dictæ? 228. Fundamentum ſunt omnis perfectionis chriſtianæ. 230. Iis inſtructus qui eſt absque ſcripturis ſacris fidelis eſſe poteſt. *Ib.*
Vita æterna gratuitum DEI donum. 125. *ſeq.*
Vitalis ſemi-Pelagianorum anteſignanus. 155. Hominem præ-

præcedente voluntate gratiam mereri asserit. *Ib.*

Vocationis duplex genus. 199.

Voluntas DEI omnes hominis salvandi seria est, ac sincera. 79. 194. 195. 198. Prima seu beneplaciti, & secunda seu consequens quæ sit? 199.

- Hominis cum gratia omnino libera. 158. 159. 168.
- Qua ratione omnium in uno Adamo coaluerit? 22. *seq.*

Votum castitatis a matrimonio junctis emissum primis sæculis firmum fuisse variis stabilitur exemplis. 455. & *seqq.*

W.

Whitbus, *Dan.* corruptæ naturæ causas quas statuat? 26. Imputationem peccati originalis negat. *Ib.*

Z.

Zannetinus *Dionysius*, episcopum de Cava reprimit. 229.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	10.	Lin. 21.	Præſcripta *adde* debemus.
	13.	13.	pro *Maſſilianam* leg. Meſſalianam.
	17.	14.	*inveſtaſſet* leg. infeſtaſſet.
	50.	2.	*ſuo*, leg. ſua.
	75.	7.	*primum*, leg. primam.
	87.	ult.	*vaſæ*, leg. vaſa.
	128.	23.	*damnares*, leg. damnaret.
	279.	26.	*mòtibus*, leg. moribus.
	400.	20.	*affligit*, leg. affigit.
	416.	antepenult.	poſt AUGUSTINI dele *non*.
	420.	18.	*MARTINO*, leg. MARTIO.
	444.	4.	*earum*, leg. eorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google